# ANNOTATIONES
## IN TOMVM VII.
# B. AVGVSTINI
## HIPPONENSIS
## EPISCOPI,

QVIBVS CASTIGATIONVM RATIO VARIETASQVE lectionum indicatur, res memoratu dignæ obſeruantur, obſcuriora difficilioráque loca explicantur & illuſtrantur.





ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regii.
M. D. LXXVII.

# ANNOTATIONES IN TOMVM VII. B. AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

QVIBVS CASTIGATIONVM RATIO VARIETASQVE lectionum indicatur, res memoratu dignæ obſeruantur, obſcuriora difficilioráque loca explicantur & illuſtrantur.




ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini Architypographi Regii.
M. D. LXXVII.

## STVDIOSO LECTORI S.

STATVERAM initiò, amice Lector, quod in cæteris Tomis factum eſſe arbitror, ipſas modò caſtigationes tribus verbis indicare, vt qui corrigendi codicis ſui deſiderio tenerentur, harum notarum indicio, facere id non multo negotio poſſent. Verùm in operis progreſſu ſenſi, non me poſſe propoſitam vbique breuitatem retinere, non tam ob infinitam erratorum turbam quæ hunc Tomum turpiſſimè defœdabant, quàm quòd neceſſe frequenter eſſet, mutatæ lectionis rationem reddere, mendoſam conuincere, vitiatæ cauſam & occaſiones aperire: interdum autem variantem expendere, ac collatione aliorum inter ſe locorum diiudicare; nonnunquam & contra fidem MS. vulgatam aſſerere; aliquando verò diuinationem quoque noſtram proponere, quomodo biulca impleri, luxata curari, deprauata reſtitui poſſe viderentur. Poſtremò annotanda etiam loca ſuſpecta, & quibus medelam ſine MS. præſidio adferre non poſſemus; vt nimirum occaſio ſtudioſis præberetur, veteres aliarum regionum bibliothecas excutiendi, numcubi fortè vel antiquiora vel fideliora exemplaria lateant, vnde corrigi vel emendari ea poſſent. Quare vbi ſemel ab inſtituto receſſimus, auſi ſumus aliquantò etiam longiùs procedere. Ac primùm quidem hiſtoriam quæ plurima hic & ignota frequenter occurrit, breuiter aperuimus; dehinc obſcura illuſtrauimus; adhæc ſuſpecta & periculoſa explicauimus, tum ab aliis arroſa defendimus; præterea non rectè à quibuſdam intellecta, quò ſenſu accipiẽda forent, oſtendimus: denique ſi quid contra hodiernas hæreſes faceret, aut alioqui obſeruatione dignum occurreret, paucis annotauimus. Sed nec id viſum fuit prætereundum, vt quoniam Germanicum exemplar corrigendum nobis datum erat, multi autem Gallicana vterentur editione, quæ alios frequenter ac alios à Frobenianis errores haberet, eos quoque indicaremus. Id quod in libris aliquot non indiligenter fecimus, ſed temporis anguſtiis excluſi perficere non potuimus. Hanc operam noſtram ſtudioſis nec ingratam nec inutilem futuram confido: certè prodeſſe conati ſumus, nec ſine ſtudiorum ac valetudinis noſtræ iactura. Quare ſicubi lectorum deſiderio non erit à nobis per omnia ſatisfactum, aut alicubi etiam fortaſſe dormitatum, veniam, vt ſpero, æqui iudices dabunt, præſertim in hac tanta nonnunquam MS. ſaltem vetuſtiorum penuria: tum verò ſi norint qua temporis breuitate, quanta corpuſculi huius imbecillitate, interque quas domeſticas curas fuerint hæc nobis elaborata: maximè autem ſi meminerint quæ fuerit horum temporum calamitas & perturbatio, quibus ad hæc ſtudia vix animus cuiquam aut otium eſſe potuit. Quò factum eſt, vt volumini huic longè doctiſſimo vtiliſſimoque operam impendere quantam & debuimus & ſanè exoptauimus, minimè licuerit; vrgentibusque typographis immaturum fœtum præcipitare, ac velut abortum facere coacti ſimus. Vnum eſt quod doleo, temporis breuitate præſtari non potuiſſe, vt numeri videlicet aut literæ alphabeti toto ſparſim opere insererentur, quibus notis Lectores admoniti, quo quicque loco annotaretur, tota facilitate inuenire potuiſſent; quod incommodum proxima editione ſarciri poterit. Bene vale Lector humaniſs. ac operam noſtram boni conſule.

ANNO-



# ANNOTATIONES IN PRIOREM PARTEM TOMI SEPTIMI B. AVGVSTINI quæ libros complectitur aduerſus Donatiſtas.

Et primùm

## IN PSALMVM CONTRA PARTEM DONATI.

Ex collatione ad MS. Cambronenſe ac Endouienſe, nec non veterem Ioannis Amerbachij editionem, vulgatarum omnium longè caſtigatiſſimam.

A

PSALMVS hic in excuſis exemplaribus, in proſæ morem confuſè perturbateq; legebatur; quo fiebat, vt nec primæ alphabeti literæ conſpicuæ forent. Quare nos eum in ſuos verſus digeſſimus. Porro lib. I. Retrac. B cap. 20. quod ad caput libelli huius adiecimus, meminit Auguſtinus proœmij alicuius extra ordinem literarum, ſed quod ab Hypopſalmate videtur non eſſe diuerſum.

In literam A.

Congreganti multos piſces] Non dubitaui hunc locum ita reſtituere, pro quo prius legebatur, Congregauit.

Quiſquis recolit Euangelium] MS. pro recolit, habent nouit.

Genus autem mixtum piſcis, iuſtus eſt cum peccatore.] Ita eſt hic locus diſtinguendus, non, vt prius erat, piſcis iuſtus.

Vaſa ſunt ſedes ſanctorum, quò non poſſunt peruenire] In excuſis legebatur, quò non poſſunt mali peruenire. Sed illud mali, non eſt in MS. nec videtur ratio verſus admittere: quare hoc referendum erit ad eos qui retia ruperunt, de quibus in ſuperiore verſu.

B.

Sic fecerunt ſciſſuram] Videtur ad verſus integritatem aliquid deeſſe, fortaſſis copula &, vt legatur, Sic fecerunt & ſciſſuram.

& altare contra altare.] ſic infrà litera I. Quid curritis ad ſchiſma, & altare contra altare: & litera N. Quod tunc impij fecerunt, extra leuantes altare. Similiter lib. 2. contra Donat. cap. 6. lib. 1. contra Petilian. cap. 10. De vnita. Eccle. cap. 20. lib. 2. contra Creſco. cap. 1. Et e- C piſto. 162. imitatus Optatum, qui lib. 1. contra Parmenia. non ſemel ea formula vtitur. Quæ quid ſibi velit, intelligi poteſt ex lib. de Vnitate Eccleſia, cap. 16. vbi pro eo quod hic dicitur facere, leuare, ſeu erigere altare contra altare, ait, leuare epiſcopum contra epiſcopum. Et clarius lib. 1. contra Parmen. epiſtolam, cap. 3. cõtra epiſcopum in cathedra ſedentem, alterum epiſcopum ordinare. Vtrumque coniungit epiſt. 162. & 171. Quare ſchiſmatis eſt nota & ſignificatio, quoties videlicet contra epiſcopum legitimè electum & creatum, alius quorundam factione, eligitur & conſtituitur. Nam altaris nomine ſacrificium ſignificatur, cui offerendo erigitur. Sacrificij autem in eccleſia offerendi primum ius ac poteſtas penes põtificem eſt ſeu epiſcopum. Omnis enim pontifex, inquit Apoſtol. ad Hebr. 5. conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Vnde Auguſti. lib. 2. contra Creſcon. quod cap. 1. dixerat, qui altare contra altare in eadem ciuitate primus erexit, cap. 2. ſic extulit, qui primus extra eccleſiam ſacrificauit. Sic Cyprianus lib. 2. epiſt. 1. ad Stephanum papam, contra altare vnum atque diuinum, inquit, ſacrificia foris falſa atque ſacrilega offerre conati ſunt. Et epiſto. ad Iubaianum, Nouatianus, inquit, altare D collocare, & ſacrificia offerre contra fas nititur. ſic & lib. 2. epiſt. 10. de Cornelij pontificis loquens electione, In tanto, inquit, fratrum religioſorum cœtu conſidentibus Dei ſacerdotibus, & altari poſito: Id eſt, epiſcopo iam electo & ordinato. Cùm autem vna Eccleſia, vnum tantum epiſcopum capiat, ſequitur, vt qui alterum epiſcopũ facit, eccleſiam quoq; alteram inſtituat: vt inquit Cyprian. lib. 3. epiſt. 2. & Cornelius ad Cyprianum lib. 3. epiſt. 11. quæ Cypriano illic mendoſe adſcribitur. Vnde infra Auguſtin. litera N. extra leuantes altare.

cum pugnant de traditione] malim traditore.

Quod poſſent cauſam librorum] Legendum videtur, Quum poſſent.

Quod perſecutor non fecit] In MS. eſt, Quod perſecutio: ſed alterum prætulimus.

C.

Qui nouerunt ſcripturas] Omnino videtur deeſſe negatio, Qui non nouerunt ſcripturas: vel quod mollius foret, Qui ſcripturas nõ nouerunt. Eam enim non ſenſus modò, ſed verſus quoque ratio poſtulare videtur.



A Quia & nos credimus noſtris] fortè credidimus, vt reſpondeat ei quod præceſſit, Suis ſe dicunt crediſſe.

D.

Epiſcopi de Numidia] pro eo quod erat Numida.

Botrus & Celeſtius] Hiſtoriam hanc habes apud Optatum lib. 1. contra Parmenianum, vbi pro Celeſtius, legit Celeſius.

E.

Crimen nobis quis probauit] Perperam legebatur vobis.

putauerũt ſibi turpe] Ex MS. adiecimus ſibi. quod exigit et verſus.

Iam fratres finitur error] Malim finiatur.

F.

quæ in cõcilio ſolent eſſe] Non cõſilio, quo modo legunt excuſa.

G.

Sed ſi tunc nõ viſum eſt verum] In vulgatis deſiderabatur, Sed.

vel nunc experti videte] ſic rectius MS. quàm excuſa expertum.

H.

Sicut princeps huius mali, de cuius vocantur parte] Duo fuerunt celebres apud eos Donati, alter Numida Caſenſis, ſeu à Caſis nigris; alter Carthaginienſis. Ille præcipuus author ſchiſmatis fuit, & Cæcilianum ternis iudiciis accuſauit, ternis ipſe damnatus. Hic ſecundus fuit Carthagini Donatiſtarum epiſcopus, cuius opera magnopere propa- B gatum & confirmatum eſt ſchiſma. Ab vtro autem Donatiſtæ ſint appellati, non ita certum eſt; nam initio videntur Pars Maiorini fuiſſe dicti. Auguſtinus hic vtrumque videtur confundere. Nos ea de re plura dicturi ſumus in Commentario quem meditamur, rerum Donatiſticarũ.

Deinde vbique, victus cœpit Chriſtianos rebaptizare] Donatus Caſenſis poſt damnationem ſuam maiore audacia cœpit paſſim per Aphricam ſuæ communionis homines rebaptizare; nam & ante id ab eo factitatum aliquando fuiſſe, liquet ex ſententia concilij Romani ſub Melchiade, vbi inter cætera eius crimina recenſetur, quòd auſus fuerit quoſdam rebaptizare, vt videre eſt apud Optatum lib. 1. Quare illud vbique non ad victus, ſed ad rebaptizare referendum erit.

I.

Quid curritis ad ſchiſma] Fortè, Vt quid curritis. vel, Quid recurritis.

Iam non poſſetis] Sic conſtanter MS; pro, poſſitis.

K.

& nobiſcum concordate] Prius erat vobiſcum recordate.

quos velletis iudicare] In vulgatis exemplaribus erat non rectè, quàm velletis.

C qui non eſſent de ipſa lite] Pro qui erat quoniam.

Quare ergo conſenſiſtis iſtis, qui hoc fecerunt antè] Totus hic verſus deſiderabatur in impreſſis, quem ex MS. adiecimus.

L.

Quibus ſi & nos non credimus] Ita rectius MS. quàm, Quibus etſi.

Amplectamur ergo pacem] In excuſis addebatur Chriſti, ſed ratio verſus docet ſupereſſe.

& non tunderent quotidie] Pro tunderent, legebatur nullo ſenſu puderet.

Clamatis vos de Macario] Macarius vnus eorum fuit, per quem Conſtans imperator, Conſtantinum patrem imitatus imperij ſui initio Aphricanis eccleſiis dona tranſmiſit. Quæ cùm Donatus Carthaginienſis ſuperbè reieciſſet, & in itinere Circumcelliones ſuos in eum concitaſſet, ille coactus armatũ militem aſſumere, ſeq; aduerſus eorum furorem munire, multos eorum trucidauit. Quod factum Donatiſtæ odioſè admodum exagitarunt, appellantes catholicos Macarianos tanquam ſanguinarios, vt docet Auguſt. lib. 2. contra Petil. cap. 92. & epiſt. 164. in D fine. Item eccleſiã Macarianam, vt teſtis eſt epiſt. 161. Et partem Macarij, vt liquet lib. 2. contra Petil. cap. 39.

non habent per quos regnare] Excuſa addebant poſſunt. Sed redundare docet primùm ratio metri; deinde quòd reliqui omnes verſus deſinant in e vocalem. Similis locutio eſt ſuprà litera C. Quibus ſi dicam, probate, non habent quid reſpondere. Sup. poſſint.

M.

conſcriptum in Chriſtiana lege] Malim ſcriptũ, propter verſum.

Non dico iſtum nihil peccaſſe] Rectius quadrarẽ [illegible]il quã nihil. Cæterùm editio Pariſienſis legit non rectè, Nam dico.

Quia ſcriptum eſt, Reconde gladium ſcelus [illegible] putant in fuſte] Quia Chriſtus defendi contra hoſtes ſuos nolens, [illegible]ſerat Petro gladium recõdere, Circumcelliones, religioſi videlicet hom[illegible]s, initio fuſtibus tantum aduerſus catholicos armabantur; ſed poſt, [illegible] ferro nec vllo telorum genere abſtinuerunt, vt docet Auguſt. lib. 1. cõtr. Parmen. cap. 11. lib. 2. contra Petil. cap. 88. Item in Pſal. 54. De quorum furore & barbari[illegible] immanitate, plura in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum. C[illegible]terùm pro Reconde, fortè legendum Conde, ita, vt videtur, exigente metro.

Fuſtes Iſraëles vocant] forte, Iſraëlis, vt ad baculos alludatur quos filij Iſraël phaſe comedentes manibus tenere iuſsi erant. Simili artificio Circumcelliones ſeſe Agoniſticos appellabant; præfectos verò ſuos in Catholicis opprimendis, duces ſanctorum; ſpecioſo vocabulo ſimplicitati vulgi imponentes, & ſacrilegos furores ſuos prætexentes. Author Optatus lib. 3. & Auguſt. in Pſal. 132.

N.

Nos amemus pacem Chriſti] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere pro eo quod erat poteſtatem Chriſti.

Si non poterunt excludi] Pro, potuerunt.

quàm quod ſe fingunt fuiſſe] Vix dubito quin legẽdum ſit, quàm quos ſe fingunt fugiſſe.

O.

quia ſunt hæreſes vbique] Pro, qui ſunt.

P.

vt poſſis quod dico in corde videre] Si verſum ſpectes, redundat illud in corde.

habes multos & de plebe] Copulam ex MS. adiecimus, quã habet etiam Amerbach.

tot occiſi ſunt Prophetæ] In excuſis deerat vocula, tot.

Q.

Quia qui iudici credebant, non curabant de præcone] MS. alterum habet prædone, ſed non rectè. Præco enim eſt qui iudicẽ præit, & eius aduentum aut legem promulgat. ſic infrà lib. 3. contra Petilian. cap 8. non præco, inquit, ſed iudex. Et tractatu 5. in Ioannem, de eodem loquens argumento: Quid te impedit malitioſus præco, vbi beneuolus eſt iudex? Et iterum, Aliquando agnoſce iudicem, & noli præco ſuperbus eſſe.

ſolo ſeparentur corde] In MS. eſt ſeparemur. quod rectius fortaſſe quadrarit.

R.

poſt illos rebaptizate] Perperam, rebaptizare.

Scriptum eſt, peccata patrum ad filios non pertinere] Mollius foret, Scriptum eſt ad peccata patrum filios non pertinere, quo modo eãdem ſcripturam citat Auguſtinus Colla. 3. cum Donatiſt. cap. 9.

S.

Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede] Teſtimonium hic habes ſucceſsionis epiſcoporum præſertim in cathedra Petri, quam & alibi contra Donatiſtas vrget Auguſtinus, vt lib. 3. contra Creſco. ca. 18. & epiſtola 165. in qua omnes ad ſua vſque tempora Romanos pontifices enumerat. Contra Manichæos verò lib. 1. contra aduerſar. leg. & Prophetar. cap. 20. lib. contra epiſt. Funda. cap. 4. lib. De vtilit. creden. cap. 17.

Ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ] Solet Auguſtinus petram libenter Chriſtum interpretari: hic quemadmodum & cæteri penè omnes interpretes, refert ad ipſum Petrũ: quod & alibi facit non ſemel, vt concio. 2. in Pſal. 30. in Pſal. 50. & 103. tractat. 11. in Ioannem: denique lib. contra epiſt. Donati, vt ait ipſe Auguſtinus lib. primo Retract. cap. 21. neque enim liber ille extat. Et retractat quidem eam ibi interpretationem, ſed ſic vt lectori libertatem relinquat vtram volet eligendi.

T.

Talis ſi quis ad te veniat] Pro, ſi quis adueniat.

Vultus tuos ecce attendo] Perperam tuus.

Et tamen Chriſtianum talem audes rebaptizare] Ratio metri audetis poſtulat: quo modo habes verſu vltimo in litera V.

V.

Iterum enim reſpondemus] Ex MS. adiecimus enim.

Cum quo Apoſtoli acceperunt primum ſacramentũ cœnæ] Sunt qui arbitrentur Iudam egreſſum fuiſſe cœnaculum priuſquam Euchariſtiæ ſacramẽtum Chriſtus ei porrigeret aut etiam inſtitueret: quorum præcipuus eſt Hilarius qui in 26. caput Matthæi id aſſerit: nam author Conſtitutionum apoſtolicarum, qui lib. 5. capite 16. idem affirmat, non magni admodum eſt ponderis. Eandem ſententiam in eundem Matthæi locum ſcribens refert & Theophylactus, & approbare videtur. In diuerſa ſententia eſt Auguſtinus non hoc tantùm loco, verùm etiam epiſtola 162. & [illegible]3. Item in Pſalmum 10. Tractatu 62. in Ioannem, lib. 2. contra litera[illegible] Petiliani cap. 22. 23. 47. & 106. in fine. denique lib. De vnico bapt[illegible] cap. 15. Conſentiunt & alij patres, in primis Dionyſius Areopagita, [illegible] libro De eccleſiaſtica hierarchia capite 3. de Euchariſtia tractans, In [illegible]uina, inquit, illa cœna etiam ipſe ſignorum effector & author iure [illegible]timo priuat ſorte eum qui non ſanctè neque concordi animo ſacramen[illegible]a ſecum ſumpſerat, & cæt. Loquitur haud dubiè de Iuda. Et Chryſoſtomus Homil. 83. in Matthæum. Homil. in illud Apoſtoli, Oportet & hæreſes eſſe: Altera item; Quòd nemo læditur niſi à ſe[illegible]ſo: Et ſermone quodam de latrone. Cyrillus quoque Hieroſolymita[illegible]us catecheſi 13. Inter Latinos Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Leo papa ſermone 3. & 7. de paſsione Domini. Remigius apud Thomam in cathena ſup. 26. caput Matthæi. Commentarius Hieronymo aſcriptus in 14. caput Marci. Eſtq; hæc ſententia longè probabilior.

AA.

& vos de Donati parte] forte, at vos.

Quando enim dona miſerunt] Cõſtantini filios intelligit, in primis autem Conſtantem Imperatorem, de quo apud Optatum lib. 3. & latius in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.

Quæ dona cùm reſpuiſtis, oſtendiſtis vos non eſſe] ſcilicet filios meos: antitheſis eſt enim eius quod præceſsit, Si filij eſtis, quid inuidetis?

Cantamus vobis fratres] forte, En cantamus; vel, decãtamus; vt metrum conſtet.

nos damus, exigit ille] videtur non carere locus ſuſpicione mendæ.

## ANNOTATIONES IN TRES LIBROS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI.

In quibus caſtigandis vſi ſumus 4. MS. exẽplaribus, Cambronenſi, Tornacenſi, S. Amandi, & Carthuſienſi, nec non vetere Ioannis Amerbachij editione.

### In libri primi cap. I.

Multa quidem & alia aduerſus Donatiſtas] Eorum non pauca intercidêre, vt liber contra epiſtolam Donati, libri duo contra partem Donati.

Parmeniani quondam epiſcopi eorum quædã epiſtola] Parmenianus iſte tertius fuit Donatiſtarum in Carthaginienſi vrbe epiſcopus, ſucceſſor Donati, qui poſt Maiorinum ibidem præfuit. teſtis eſt Auguſt. lib. 2. Retract. cap. 17. ſcripſit pro ſchiſmatis & ſectæ ſuæ defenſione nonnulla: in primis tractatum quendam quem refutat Optatus Mileuitanus, cuius libri argumentum & capita recenſet idem lib. 1. Deinde epiſtolam quandam ad Ticonium, quam hic Auguſtinus refellendam ſuſcipit. Diuerſum autem eſſe hunc librum à priore, ex Optati & Auguſtini collatione intelligi facilè poteſt.

quæ ſcribitur ad Ticonium] Hic eſt ille Ticonius, cuius meminit etiam Auguſtinus epiſt. 48. 69. & 77. item lib. 3. de doct. Chriſtianæ cap. 30. & regulas ibidem eius ſeptem explicat. De quo plura in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.

Quo percepto ſuſcepit aduerſus ipſos] Prius legebatur præcepto.

### In cap. II.

benedicentur in te omnes tribus terræ, & in ſemine tuo] Deſiderabatur copula, quam addebant MS. & legunt 70.

deinde geminato aduẽtu ſanctiſſimorum Domini ſacerdotum] Perperam, de ingeminato. Repetit enim Parmeniani verba initio capitis poſita.

à flamma conſeruaſſe gloriemini] pro gloriamini.

quia iam iuſto iudicio fuerant improbati] pro fuerunt.

ad ſociandam communionem in illis partibus] Præpoſitionem In ex MS. adiecimus.

### In cap. III.

quædam autem ita manifeſtata] Sic MS. pro manifeſta.

legant qui volunt, quæ narret] Pro narrat.

ſiue de Lucilla] Hiſpana fuit hæc mulier, cuius potiſsimum opera conflatum fuit ſchiſma aduerſus Cæcilianum, corruptis pecunia Numidiæ epiſcopis, vt eo depoſito Maiorinum eligerent. Qua de re plura in Commentario noſtro.

robuſtioribus communicaret eccleſiis] forte, cõmunicabat.

### In cap. IIII.

Quòd enim de Hoſio dicunt Cordubenſi] Quid Hoſio obiecerint, neſcio; forte quod in Syrmienſi Arrianorum cõcilio plagis coactus Athanaſij damnationi ſubſcripſerit. De quo Tripart. hiſtor. lib. 5. cap. 9. Et Athanaſ. epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, necnon Hilarius lib. de ſynodis. Mortuum tamen in Hiſpaniis apparet ex ſuprà dictis Athanaſij & Hilarij locis.

ſi tranſmarino iudicio] Perperam, etſi.

vbi à Cæciliano præſente ſuperati ſunt] non præſenti.

Nam illa victoria præcelſior eſt] verbum eſt, addebant MS.

quàm ſi non ſolùm de homine vno] Sic rectè MS. pro eo quod erat in excuſis, quaſi non ſolùm.

præuaricatorem meipſum conſtituo] Perperam conſtituto.

Nam & Maximianiſtæ] Semel admonuiſſe ſufficiat deprauatam eſſe lectionem vbicumque occurrit Maximinianus & Maximinianiſtæ; pro quibus legendum eſt Maximianus, & Maximianiſtæ: vt conſtanter habent MS. & vetus Amerbachij editio, & quibuſdam in locis etiam vulgata, vt epiſtola 48. 50. 162. 163. 165. 166. 171. 172.

Hæc iterum ædifico] Sic MS. conſentiente Græco Apoſtoli textu; quo modo



quo modo habes & ſuprà eodem hoc capite in impreſsis. Prius erat, hæc eadem ædifico.

quia ſententia ſua in collegarum ſententiam defluxit] locus corruptus eſt: legendum fortaſſe, quia à ſententia ſua in collegarum ſententiam deflexerint.

Et maximè Prætextato Aſſuritano & Feliciano Muſtitano] Non Muſticano, quod & ipſum ſemel annotaſſe ſuffecerit: ſic enim cõſtanter MS. & alicubi excuſa, vt epiſt. 5. in auctario Pariſienſ. quæ eſt ad Naucelionem. Nam & locus ille in quo Felicianus Donatiſtarum erat epiſcopus, Muſta vocabatur, quem Ptolemæus in Geographia vicum appellat. Cæterùm Prætextatus & Felicianus ordinatores fuêre Maximiani, & cum eo damnato in ſchiſmate permanſerunt. Tandem malorum pertæſi ad reliquorum Donatiſtarum communionem redierunt, ea conditione vt epiſcopatus ſui honorem retinerent, & ratus haberetur baptiſmus, & reliqua ſacramenta ſchiſmatis tempore ab eis collata.

ſicut iam multa fruſta, de iſto fruſto per totam Aphricam facta ſunt] Donatiſtæ in tres potiſsimum factiones abiêre. Nam præter Primianiſtas, penes quos manſit nomen Donatiſtarum, quòd cæteri eſſent numero inferiores, & ab ipſis tanquam à corpore ſeſe præſcidiſſent, erant Rogatiſtæ qui per Mauritaniam, Maximianiſtæ qui per Aphricam; Vrbaniſtæ qui per Numidiam graſſabantur. De quibus plura in Commentario noſtro.

### In cap. V.

Cùm enim diceret per Oſium Hiſpanum adiutorium præſtitum Cæciliano] Iam tunc quoque priuſquam eum Donatiſtæ ad Conſtantinum deferrent. Nam legem immunitatis eccleſiaſticæ, quam Imperator paulò poſt ſuperatum Maxentium in Aphricam miſerat, excluſis haud obſcurè Donatiſtis, ad Catholicam eccleſiam, cui Cæcilianus præerat (primas autem erat totius Aphricæ) reſtrictam fuiſſe, conſtat ex eiuſdem epiſtola ad Amulium proconſulem miſſa: quam recitat Euſeb. lib. 10. hiſt. cap. 7. Idem cùm ſtatuiſſet per ſingulas prouincias in vſus eccleſiarum & pauperum magnam vim auri contribuere, literas ea de re non ad Maiorinum, ſed Cæcilianum dedit; quibus ei mandat vt certam eamq; nec exiguam pecuniæ ſummam ab Africæ quæſtore accipiat: quæ ſi non ſufficiat, à procuratore ſuarum iſtic poſſeſsionum petere iubet quãtum opus eſſet. Meminit ibidem & ſeditioſorum quorundam (Donatiſtas ſignificans) qui eccleſiæ pacẽ & tranquillitatem turbarent, quos iubet vt compeſcat & coërcedat; ſin parere nolint, authoritatem adhibeat & proconſulis & vicarij præfectorum, quibus Romæ cùm eſſent, idem negotium demandarit. Quæ omnia Oſio authore et ſuggerente facta vel inde conijci poteſt, quòd pecuniam Cæciliano donatam, iis diſtribui mãdet qui eſſent in adiuncta ſchedula per Oſium deſignati. Nam eum Imperator præſentem ſemper habebat, nec niſi ex eius conſilio in rebus eccleſ. quicquam agebat.

vltro faſſus eſt ſuos ipſos adiiſſe Conſtantinum] Perperam, vltro paſſus.

quibus præfuit Melchiades Romanæ vrbis epiſcopus] Variè hoc nomen legitur tum in MS. tum excuſis; interdum Miltiades, aliquando Meletiades, nonnunquam Meltiades; aliàs Melchiades. quam poſtremam lectionem viſum eſt amplecti.

etiam ex præcepto imperatoris quem ipſi adierant, tale ſubiere iudicium] Locus hic deprauatus eſt: fortaſſe pro etiam, legendum nam, vel at iam, aut etiamſi, vel illud, tale ſubiere iudicium redundet, aut deſit certè aliquid. Similis locus eſt lib. De vnico bap. cap. 16. De quo iudicio, inquit, cùm maiores iſtorum importuniſsima peruicacia memorato Imperatori quererentur; quòd nec plenè, nec rectè fuerit examinatum atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cuius audientiam nec venire vtique debuerũt; hoc potius aut ſuggerentes Imperatori, aut vt ſuggereretur inſtantes, quòd apud traditorem codicum diuinorũ, & idolorum ſacrificiis inquinatum, cauſam ſuam agere non deberent. Cùm hoc ergo nec antè ſuggeſſerint, nec poſteaquam contra eos pro Cæciliano iudicatum eſt, ſaltem victi & irati obijciendum putarint; quid nunc inanes tam ſero connectunt calumnias?

vſque adeò dementes ſunt homines, vt ducentos iudices, apud quos victi ſunt, victis litigatoribus credant poſtponẽdos.] Niſi deprauatus ſit locus, & pro ducentos, legendum ſit fortè duodeuicenos; pertinent hæc non ad Romanum, ſed Arelatenſe, poſterius in cauſa Cæciliani iudicium. Nam in illo, vt ex Optati primo libro clariſsimè conſtat, præter Melchiadem, octodecim fuere tantùm epiſcopi. Vnde & poſteà Donatiſtæ paucitatem eorum cauſati, iudicato ſtare noluerunt. In Arelatenſi verò, quia numeroſiſsimum fuit, ducenti eſſe potuere. Cum excuſorum lectione conſentiunt MS. niſi quòd legunt caſu nominatiuo, ducenti, & conſequenter, credantur eſſe poſtponendi. Eodem pertinere videtur, quod mox apud Auguſt. ſubijcitur, Et tamen in his omnibus, quamuis magna temeritate Italos, Gallos, & Hiſpanos accuſant, &c. Nam in Romana illa ſynodo, excepto Melchiade Aphro, Itali tantum & Galli interfuere. Hoſius enim, per quem paulò antè hoc eodem cap. Parmenianus adiutorium Cæciliano præſtitum eſſe ait, Romæ inter iudices non ſedit; quorum Optatus ſingulatim nomina referens, Italos quindecim enumerat, ac tres Gallicanos, Hoſij nulla mentione facta. Hic locus parùm bene obſeruatus & intellectus Caluinum fefellit, vt lib. 4. Inſti. cap. 7. ſect. 10. ſcriberet Imperatorem Conſtantinum in cauſa Cæciliani, collegas Melchiadi ex Italia, ex Gallia, ex Hiſpania epiſcopos, addidiſſe. In quo toto loco quàm turpiter, non in dogmate tantum, ſed in alia quoque hiſtoria huius parte, hallucinetur, aliàs fortaſſe dicemus.

iam cæteras terras cæco more] redũdat in excuſis, vocula enim, quæ hic addebatur. pro qua forte legendum, & vel etiam, alioqui imperfecta videtur ſententia.

Quæ vna comminatio] Putarim legendum combinatio, nihil enim hic minarum præceſsit.

breuiſſimè atque veriſſimè] ita hunc locum putaui reſtituẽdum, vbi pro veriſſimè, legebant MS. viliſſimè, vnde in excuſis natum erat, iuſtiſſimè.

### In cap. VI.

Fatetur etiam Parmenianus ad Arelatenſe oppidum & epiſcopos iudices, & partes ex Aphrica conueniſſe.] Alterum hoc fuit concilium & iudicium in cauſa Donati & Cæciliani. De quo plura in Commentario noſtro.

qui nihil victi potuerunt de iudicibus conqueri] qualia nimirum de Romanis queſti prius erant, vt quòd nimis pauci fuiſſent, quòd præcipitata ſententia, quòd non eſſent permiſsi omnia dicere. Nam alioqui quomodo nihil de illis conqueſti ſunt, à quorum ſententia ad ipſum Imperatorem appellarunt?

eligat, quibus credat] pro eliget.

### In cap. VII.

ſi placet potiſſimum philadelphia] Ita rectius cum MS. quàm etſi placet.

quid me arguitis fratres?] Excuſa habebãt, quid in me. Sed præpoſitionem nulla legunt MS.

cuius ſancta commercia Propheta tanto antè cecinit dicens] Perperam, prophetata.

De cauſa itaque veſtra] Pro noſtra. Sic enim habes et paulò infrà, cauſam veſtram vicinis veſtris.

Cùm verò nos qui bene nobis conſcij ſumus] Perplexa eſt hæc periodus, nec hærent inter ſe ſatis ſententiæ, vt vitij aliquid ineſſe videatur.

ſi vel vicina eſſem] Perperam editio Pariſienſ. vicina eſſent.

qui me fratrem tam longè abſentem] MS. legunt conſtanter, meum tam longè abſentem fratrem, ſed non reſpondent ſequentia. Altera ſi vera eſt lectio perſonam mutat ſatis incommodè, vt cùm prius eccleſiam velut ſororem feminino genere loquentem fecerit, nunc velut fratrem inducat.

### In cap. VIII.

Quin etiam audet conqueri Parmenianus, quòd eos Conſtantinus ad campum, id eſt ad ſupplicium duci iuſſit] Hic vides capitalem ſententiam in hæreticos & ſchiſmaticos latam. quam vſqueadeò non improbat Auguſtinus, vt paulò pòſt ſubijciat: Quid enim nõ iſti iuſtè patiuntur, cùm ex altiſsimo Dei præſidentis & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admonentis iudicio patiuntur & merito criminum & ordine poteſtatum? Prius enim probent ſe non eſſe hæreticos vel ſchiſmaticos; tum demum de indignis pœnis ſuis liuidam emittãt vocem; tum demum ſeſe audeant cùm mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere.

in ſanctæ eccleſiæ præciſione] Non præciſionem.

vt in leniorem coërcitionem] Quamuis vtrumque dicatur & coërcitio & coërtio, prius tamen illud prætulimus, ſecuti MS. fidem, qui conſtanter paſsim, etiam poſtea ſic legunt. quod habes & infrà in excuſis lib. 3. cap. 2. & lib. De moribus eccleſ. cathol. cap. 28.

id eſt ſacrilegi ſchiſmatis] Pro ſacrilegij.

probabilius alius crediderit] Nõ rectè Lutetiani, credidit, tametſi & MS. ſic legant.

vindex in iram ei qui malè agit] Pro ei, erat eius, [illegible]d altera eſt Apoſtoli lectio, conſentientibus etiam MS: quam habes p[illegible] cap. 10. & in excuſis, ſed numero plurali.

multa grauiora paſſim atque quotidie] Videri que[illegible] legendum, multò grauiora, niſi & aliàs frequenter ita loqueretur Au[illegible]ſtinus, vt infrà cap. 11. MS. legunt, multa grauia, ſed non placet.

### In cap. IX.

an propterea ſi interfecerit eos] Non rectè prius, & propterea.

### In cap. X.

An forte [illegible]licent] Docet ſequentibus tribus cap. ad regum & principum pertinere officium, vt quos Eccleſia hæreticos & ſchiſmaticos cenſuerit, ad

ſuerit, ad Catholicam communionem, ſi ſponte nolint, pœnis & ſupplicijs A redire compellantur.

impia diſſenſione nolunt fateri] Ita hunc locum reſtituendũ non dubitaui, cùm prius eſſet, impias diſſenſiones.

An forte nec talia poteſtates iſtæ humanæ conſtitutionis] MS. legunt iſtas, & mox permittunt, pro permittuntur.

per poteſtates à catholicis Imperatoribus miſſas] nõ miſſos.

Ipſi verò Maximianiſtæ antequam eſſent Maximianiſtæ] Ex hoc loco diſcimus Maximianiſtarum inter Donatiſtas ſchiſma, Rogatiſtarum fuiſſe poſterius. Qua de re plura in noſtro Commentario.

quæ ab eis Rogatus ille Maurus, per regem barbarum Firmũ quàm ſæua, & quàm acerba perpeſſus ſit] Firmus quidam excitatis Mauris regem ſe in Aphrica conſtituit; Cæſaream Mauritaniæ ciuitatem dolo captam dedit militibus diripiendam. Aduerſus eum Theodoſius magni Theodoſij pater à Valentiniano maiore miſſus, eum prœlio vicit, & afflictum oppreſſumq́ ad mortem compulit. Refert Paulus Diaconus lib. 12. Eius opera vſi ſunt Donatiſtæ in Rogato ſchiſmatico ſuo perſequendo. Qua de re copioſius in Commentario noſtro.

IN CAP. XI.

in eo genere actionum ponant ſi volunt] Redundare hæc videntur, aut deeſt quippiam.

qui Circumcellionum notiſſimo nomine per totam Aphricam vagantur] B Circumcelliones qui fuerint, & vnde dicti, plenius in noſtro Commentario dicemus.

vtrum patiantur grauiora quàm faciunt] Pro faciant. Sic enim & ſuprà paulò poſt initium huius capitis.

Aditi ſunt iudices] Non rectè Pariſ. Additi.

ſuis baſilicis cedere nolebant] Perperam, credere.

concilium eorum proconſularibus geſtis indictũ eſt] Prorſus legendum videtur inductum, id eſt allegatum: nam id longè ante celebratum erat.

& facile ceſſerunt, nec multa paſſi ſunt] Legendum videtur, qui facile ceſſerunt, non multa paſſi ſunt.

addendo inſuper etiam vt cum donis eccleſiæ quos miſerat Imperator] Locus vt apparet deprauatus vel mutilus. Fuit autem ille Conſtans imperator, de quo ſupra in Pſalmum contra partem Donati, ad litteram L. & A A.

IN CAP. XII.

Nec pro eis aliquid promulgaſſe quis inuenitur, niſi apoſtata Iulianus] Quemadmodum Donatiſtæ Iuliano ſupplices fuerint, ſintq́ ab eo reuocati ab exilio, & in priſtinũ ſtatum reſtituti, dicemus in Commentario noſtro. C

quòd apud eum ſola iuſtitia locum haberet] Non ſolùm; vt liquet ex lib. 2. contra Petil. cap. 92. & 97. Epiſt. 48. & 166. Conc. 2. in Pſal. 36.

IN CAP. XIII.

quod Chriſtianam excederet lenitatem] Sic MS. pro, vt Chriſtianam.

IN CAP. XIIII.

Ager eſt Aphrica] Redundat præpoſitio in, quã addunt excuſa.

vel pro frumentis zizania religent] MS. legunt redigant, ſcilicet in horreum: quod rectius fortaſſe quadrarit.

Iſti autem cum quaſi zizania germinata fugiunt] In MS. nõ eſt illud germinata. Amerbachij editio habet, geminata, fortè ſeminata.

frumenta verò diminuta, & in ſola Aphrica remanſiſſe] In excuſis copula deſiderabatur.

## IN LIB. II. CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI CAPVT PRIMVM.

vel excitatas tollere noluerunt?] Lutet. non rectè pro tollere, habent tolerare. D

Exclament itaque quòd poſſunt] ſic MS. pro, ſi poſſunt.

Reſpondemus breuiter, hoc verum eſt.] Ex MS. adiecimus voculam hoc.

Itáne lux erat Optatus] Thamugadenſis Donatiſtarum hic fuit in Carthaginie[...] prouincia epiſcopus, Gildonianus appellatus; quia de ſatellitio fuerit [...]ldonis Aphricæ comitis, qui mortuo ſeniore Theodoſio imperium illic p[...] tyrannidem occupans, multis annis regionem eam miſerè afflixit: qu[...] tempore Optatus ille prædonem & latronem magis quàm paſtorẽ ag[...]s, catholicos omnes crudeliter oppreſſit, vnaq́ cum eis & Maximi[...]ſtas Donatiſtarum ſuorum ſchiſmaticos grauiſſimè perſecutus eſt, vt eum infra cap. 2. & alias frequenter decennalem Aphricæ gemitum Auguſtinus appellet. De cuius violentijs, ſceleribus & flagitijs in Commentar. noſtro dicturi ſumus.

Non ergo eum lucem vocabatis, & tamẽ ei co[...]municabatis] perperam vocabitis, & communicabitis.

quàm quilibet Afer tot gentes per orbẽ terrarum] prius erat gentibus, ſed non rectè; refertur enim non ad ignotus, quod ſequitur, ſed ad verbum maculauit, quod præcedit. Conſentit & Pariſ. editio.

IN CAP. II.

Obiiciunt iterum aliquid ſimile huic] Illud aliquid, addũt MS.

Cur non iſta execratio] vocula iſta, deerat in excuſis.

quæ per totum agrum ſeminans] perperam, qui per totum agrum ſeminatis.

aliud, ſcimus quòd non ſint] pro ſunt.

Chriſtum eis Donatumque proponimus] non dubitaui quin legendum ita eſſet, pro præponimus.

quod ab igne ſe conſeruaſſe iactitant] conſentiunt MS. vnde non rectè in editio. Pariſ. conſeruare. Nam & ſup. lib. 1. cap. 2. ſimilem habes ſententiam. Reſpicit autem ad tempus perſecutionis Diocletiani, quãdo cogebantur Chriſtiani ſacros libros tradere & in ignem inijcere; quod Donatiſtæ à Catholicis factitatum calumniabantur, vnde & traditores appellabant, ſe verò fuiſſe ab eo crimine alienos. ſed quàm verè, docebit hiſtoria noſtra.

IN CAP. III.

Oua aſpidum eruperunt, & telam araneæ texuerunt] MS. habent ruperunt, quomodo & 70. legunt: ſed eruperunt Parmenianum B poſuiſſe pluſquam probabile eſt. Nam Auguſtinus infra in reſpõſione ſua & interpretatione ſimiliter legit etiam in MS. ſecutus nimirum quod citarat Parmenianus. Quo non ſatis animaduerſo quidam locum caſtigarunt, & vt apparet ad vulgatam noſtram lectionem: nam & quod ſingulari numero legitur telam, quo modo & 70. ſcripſere, mutarunt in telas.

Sicut etiam non obfuit] Deeſt, etiam in Pariſ. editione.

Nónne iſti in media nocte ambulant] Ex MS. adiecimus, iſti.

dictator illius ſententiæ plenarij concilij trecẽtorum decem qui cum vniuerſis prouinciis Aphricæ conuenerunt] Loquitur de Bagaienſi Numidiæ 310. epiſcoporum Donatiſtarum concilio, in quo reſtituto Primiano Carthaginienſi ipſorum epiſcopo, Maximianus cum ſuis damnatus eſt. Cuius concilij ſententiam dictauit Emeritus Cæſarieñſis in Mauritania epiſcop⁹, vt docet Auguſtinus lib. De geſtis cũ Emerito.

Hæc certe concilij eorum verba ſunt] Nuſquam Auguſtinus totam concilij ſententiam recitat, ſed pro occaſione varias ſparſim eius tantum partes proponit, quas nos in vnum corpus collectas & in ordinem redactas in Commentario noſtro exhibebimus.

venenati vteri aluus] MS. legunt, vterus aluei, cui ſatis conſentit C quod eſt lib. De geſtis cũ Emerito, vteri alueus: ſed priorem excuſorum lectionem aliis paſſim locis habent etiam MS.

euaneſcente vmbraculo celari non potuit] Perperã prius poterit. Lib. de geſtis cum Emerito pro celari, habes occultari.

publicum facinus & parricidium ſuum] Similiter legis lib. 4. contra Creſco. cap. 31. Aliis locis, publicum parricidium & facinus ſuum. Cæterum videtur poſt vocem publicum, addendum tamen.

fœta ſcelerum vota pepererunt] In excuſis erat, fota fœtũ ſcelerum pepererunt. In MS. vota fœta ſcelerum pepererunt. Sed ex lib. De geſtis cum Emerito & aliis innumeris poſt locis veram lectionem reſtituimus.

inſuper eos ab iſtis] Non eſt hic noua periodus facienda, & notæ interrogationis in finem huius reijcienda.

cùm in vnum pariter eſſent] redundare videtur præpoſitio in; aut pro eſſent, legendum iſſent.

IN CAP. IIII.

nullus eum ſe ignorare reſpondeat] Ex MS. adiecimus eum.

tanquam à Domini ſpiritu] Sic MS. conſentientibus etiam Græcis. prius erat, tanquam ad Domini ſpiritum.

D quia transfigurãt ſe in miniſtros iuſtitiæ] Pro qui transfigurãt.

IN CAP. VI.

Sacrificia, inquit, impiorum execratio eſt Domino; etenim iniquè offerunt illa] In excuſis erat, non iniquè, ſed redundat negatio. Locus eſt autem Prouerb. 21. ſecundum 70. pro quo nos habemus, Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.

& tale cuique fit] Deerat copula, quam non MS. modò, ſed legunt etiam Pariſienſes.

quod eſt patentiſſimum, Dei] MS. legunt, quod eſt potentiſſimum Dei; & collocant quatuor has voculas poſt illud quod ſequitur, toto orbe diffuſos.

IN CAP. VII.

Cur ergo accedebat dona offerre Deo] Euchariſtiæ oblationem intelligit, vt ex ſequentibus liquet, & eam Deo non homini factam.

& ab eo cæteri coniunctis manibus accipiebãt] Euchariſtia et olim coniunctis manibus in os accipiebatur.

vtrum nulla ſit macula ebrioſitas] Eam MS. lectionem quadrare rectius quàm excuſorum quæ habẽt ebrietas, do[...]t quod ſequitur apud Auguſt.



Auguſt. Sed prius legãt, inquit, quibus ſceleratis ebrioſos adiunxerint Apoſtolos. A

IN CAP. VIII.

cum his verbis maxime ſecuri fiant] Redundat in excuſis copula, vel. Niſi forte legas ordine inuerſo, cum vel his verbis. certe MS. non legunt.

iſtorum ſuperbiam ferũnt] MS. quædam pro ſuperbiam, legunt fimbriam.

Nec mediatorem ſe facit inter populum & Deum] Et mox, Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent vtique & cæteri coapoſtoli eius, ac ſic multi mediatores eſſent; nec ipſi Paulo conſtaret ratio qua dixerat, Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus] Similis locus eſt conc. 2. in Pſal. 36. ſed qui neuter pugnat cum ſanctorum inuocatione & interceſſione, nec magis cum Chriſto regnantium, quàm adhuc in terris viuentium. Aduerſus Donatiſtas enim agit Auguſtinus, docentes ſacramenta & ſacrificia valere ex miniſtrantis ſeu offerentis qualitate; vt ſi iniuſtus ille ſit, non modò nihil proſint, ſed obſint quoque & polluant: quare faciebant ſe hominum iuſtificatores & mundatores, quod proprium eſt vnici illius Mediatoris officium, ita videlicet inter Deum & humanum genus intercedere, & mediare, vt per ſemetipſum pro peccatis eius Deum placet, ac legis obſeruationem iuſtitiamq́ illi promereatur. Quod certè nullus ſanctorum poteſt. Hi enim omnes nihil ex ſeipſis adferre poſſunt, quo B peccatorem quempiam Deo reconcilient, aut ad iuſtitiæ amorem cõuertant, multo minus totum genus humanum; cum quo & ipſi aliquando inimici reconciliatore opus habuerunt, & pro quotidianis adhuc peccatis ſuis nunquam non opus habent. Hoc ergo ſenſu negat Auguſtinus mediatorem quenquam præter Chriſtũ eſſe poſſe. Verũ ſi vocem eam generaliter accipias, pro eo qui cauſam alicuius apud quenquam agit, pro eo orat, & impetrare pro eo aliquid cupit, nihil prohibet plures mediatores ac interceſſores dici, neque modò in cælis beatos, ſed & in vita adhuc iſta laborantes. Sic enim vtroſq́ non dubitarunt iam olim appellare Gregor. Nazian. in Apologetico, & epiſt. ad Simpliciam, quæ eſt inter Baſilianas 88. Chryſoſt. homil. 5. de verbis Iſaiæ, & lib. 6. de ſacerdotio. Cyrillus lib. 12. Theſau. cap. 10. Hieron. in 2. cap. Malachiæ. Gregorius papa lib. 1. epiſt. 24. Bernar. ſer. vlt. de aſſumpt. B. Mariæ. Cæterum quàm non improbarit Auguſt. ſanctorum inuocationem & eorum pro nobis interceſſionem, liquet ex lib. De cura pro mortuis, cap. 4. vbi & martyres patronos noſtros appellat, lib. 7. contra Donatiſt. cap. 1. lib. 22. de ciu. cap. 8. ſer. 17. de verbis Apoſtoli.

ac ſic oratio pro inuicem] Pro ac ſi. Nam & infrà ſimiliter habes, ac ſic multi mediatores eſſent. C

ſed alienigena conductus ab amico] Sic conſtanter MS. cum excuſa habeant inimico. Intelligit autem Balach filium Sephor regem Moabitarum.

Vnde non mirum eſt verba bona] Tollenda eſt in editione Pariſ. coniunctio ſi; aut quod ſequitur exaudiri mutãdum in exaudiuntur, quo modo MS. quædam legunt. Delenda eſt præterea copula, &, quæ illic verbum exaudiri præcedit.

IN CAP. IX.

Si videbas furem, concurrebas cum eo] Locum hunc mutarat quiſpiam ad vulgatam noſtram lectionem, ſed alteram veteribus vſitatam fuiſſe ex aliis & Auguſtini, & reliquorum Latinorum locis patet; tametſi interdum legunt, concurrebas ei; quod Græcis etiam vicinius eſt. Priorem lectionem habet Tertull. lib. de ſpectaculis. Optatus libro 4. Pacianus epiſt. 3. ad Simpron. Auguſt. lib. vnico de baptiſmo ca. 14. non ſemel, & epiſt. 164. Poſteriorem Cyprianus lib. 1. epiſt. 4. & lib. 2. epiſt. 3. Auguſtinus lib. 2. contra Creſco. cap. 19. lib. 7. contra Donat. cap. 15. Tomo 8. hunc Pſalmi locum ſimiliter legit, quanquam in commen. eſt cum eo. Cæterùm illud quod ſequitur, & cum adulteris portionem tuam ponebas, Auguſtinus paulò poſt repetens, legit, cum mœchis D particulam tuam ponebas: quo modo citat & Cypr. lib. 2. epiſt. 3. Vt videri queat Parmenian. quoque ſimiliter legiſſe. verùm alteram lectionem habet quoque Cypr. lib. 1. epiſt. 4. & reliquis paſſim locis Auguſt.

& eos ſanè cum fure concurriſſe non dico] & hic erat cucurriſſe, pro concurriſſe. Cæterùm negationem illam nulla legunt MS. reliquimus eam tamen, quòd ad maiorem faciat criminis exaggerationẽ.

etſi difficilius confiteri] id magis quadrat, quàm facilè.

IN CAP. X.

facta eſt plebs mea mihi ſicut aqua mendax, non habens fidem] in excuſis addebatur copula, & non habens. ſed eam nec habent 70. nec legitur infra eodem hoc cap.

Qui baptizatur à mortuo, quid prodeſt lauatio eius] Supereſt quod addebatur in excuſis, & iterum tangit mortuum, nec legunt MS. ſed neque excuſa quamplurimis poſtea locis, vt lib. 1. cont. Petilian. cap. 9. & 2. cap. 7. lib. 2. contra Creſc. cap. 24. & ſequent. ſunt qui arbitrentur Donatiſtas hæreticorum more, ſcripturam hanc truncatim citaſſe, & fallendi cauſa partem illam mediam omiſiſſe; præſertim cùm ſit etiam in 70. Verùm probabilius eſt, nec eam olim Aphricana exemplaria habuiſſe. Nam & D. Cyprianus epiſtola ad Quintum, & epiſcopi in concilio illo Carthaginienſi ſimiliter prius citarunt. Pacianus quoque epiſt. 3. ad Simpro. contra Nouatian. Certè ſi legiſſet Auguſt. non diſſimulaſſet, nec in eius loci explicatione tantopere laboraſſet. De cuius germano ſenſu dicemus paulo infra eodem hoc cap.

illi ſoli ſua prauitate turbantur] Ita rectè cum MS. edit. Pariſ. pro ſola.

& ei non diuiſæ in compage corporis Chriſti agente] Sic & Lutet. quod magis placet quàm diuiſo; vt Frobenian. vel diuerſæ, vt MS. legunt.

Quod vtique non de illis peccatis dicitur, quæ in baptiſmi regeneratione dimiſſa ſunt] Facit hic locus contra hodiernos hæreticos, qui concupiſcentiam baptiſmo remiſſam, ita volunt adhuc eſſe peccatum, vt mortis reos faciat etiam non conſentientes, licet propter Chriſtum non imputetur. Nam ſi peccatum eſt, vtique & illud quoque, vti cætera, dimitti nobis in oratione Dominica petimus. Idem repetit Auguſt. lib. 2. contra Petil. cap. 103. lib. 2. contra Creſc. cap. 28.

vt in oratione dicatur] Redundat eſſe, quod in excuſis additur.

cùm mẽdaces & infideles eorum miniſtri] pro cur mẽdaces.

dare vel habere credantur] non creduntur.

tunc poſſe à malo baptizari quemquã] Perperam Lutet. poſtea à malo.

Satis eſt nobis ad neceſſarium articulum cauſæ huius] pronomen huius ex MS. adiecimus.

qui eiecti ſunt ſi in eadem fictione laterent] Conditionalis deſiderabatur in excuſis.

quomodo baptizare poſſunt?] pro potuerunt.

Cur non recenſentur ſaltem qui viuunt vt accipiant baptiſmum] Diuerſa eſt MS. lectio: ſic enim habent, Cur non recenſent, ſaltem vt à Catholicis accipiant baptiſmum. Et paulò poſt pro accipere nequiuerunt, legunt, accipere nequeunt.

quis me prohibet ſic intelligere, id eſt conuerti ad voluntatem terrenam] pro quo non rectè prius legebatur, ſic intelligendum eſſe, conuerti, &c.

quis quoquo modo Chriſtianus ignorat] Prius erat quis modò.

Qui baptizatur à mortuo] Nec hic in MS. erat, quod addebatur, & iterum tangit mortuum.

Vt interim differam diligentiorem iſtorum verborum inquiſitionem] Scripturam hanc Eccleſ. 49. tum hoc tum aliis locis ſic C interpretatur Auguſt. vt à mortuo baptizari dicatur, qui in nomine idolorum, falſorumq́ Deorum baptizatur. nam hi cùm aliquãdo vixiſſent, ſic superesse deſierunt, vt ne futuræ quidem vitæ ſpem habeant; qui verò etiam per malum miniſtrum perditis moribus mortuum, in Chriſti tamen nomine baptizatur, non à mortuo baptizari, ſed ab ipſo Chriſto, qui reſurrexit à mortuis, & viuit in æternum. Hic eſt enim qui baptizat. Et hic quidem comment. vtcunque valet ad refellendum quod hinc ſtatuebant Donatiſtæ, irritum videlicet eſſe baptiſmum qui per malum hominem confertur: verùm Auguſt. ſatis ipſe ſignificat, non omnino ſibi ſatisfacere hanc interpretationem, nec auſum polliceri eſſe germanam. In primis enim hoc loco ita rem aggreditur, vt interim differam, inquit, diligentiorem iſtorum verborum inquiſitionem. Et lib. 1. contra Petilia. cap. 11. Et ſi quo alio modo, inquit, iſta ſanctæ ſcripturæ verba veraciter quæri, ac ſalubriter diſcuti, & intelligi poſſunt. Et lib. 2. cap. 7. diligẽtius quære quomodo dictum, & quomodo intelligendum ſit teſtimoniũ, quod de ſcriptura poſuiſti. Lib. verò 2. contra Creſcon. vbi à cap. 24. per multa ſequentia de hoc loco diſſerit, tandem 27. concludẽs, Aut inſpice, inquit, diligenter codices antiquos, & maximè Græcos; ne fortè ipſa verba aliter D conſcripta ex præcedenti & ſequenti contextione ſermonis alium ſenſum intiment. Quod ſi per correctiora exemplaria facere ipſe potuiſſet, certè germanum ſenſum facile deprehendiſſet. ſic enim legunt etiã 70. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? Quorum verborum hæc eſt intelligẽtia: Qui tacto cadauere ſeu hominis ſeu pecoris pollutus, iuxta Moſis præſcriptum Numer. 19. ſeſe abluit & purificauit, quid ei prodeſt ablutio illa, ſi iterato [co]ntactu ſe polluat? Quomodo intellectus, vti debet, hic locus, prorſ[us] nihil facit pro Donatiſtarum de Chriſti baptiſmo ſententia.

Meliora ſunt vulnera amici] MS. duo legũt verb[a] ſed alterum habent etiam 70. atque ita legit & aliâs Auguſtinus, vt in [...] lib. 2. contra Petilianum cap. 103. Epiſt. 40. & 48. contra Fulgent. [i]n Donatiſtam cap. 9. & aliâs frequenter.

quos ſi ſequantur] Redundat quod in excuſis addebatur qui. Et mox rectius expedientur anguſtiis, quàm expediuntur.

IN CAP. XI.

& per Euangelium] Tollenda eſt negatio quã addunt Lutetiani.

cùm fugiat ſpirituſſanctus] prius erat, cùm eos fugiat.

gigni ſpiritales filios adſtruunt] adſtruāt, legunt Pariſienſ. non rectè.

cùm baptizator manifeſtus eſt bonus] perperam baptizatur.

& vnuſquiſque talis ſpiritaliter naſcitur] vitioſè ſpiritu taliter. MS. legunt, talis ſpiritu naſcitur: ſed placuit Amerbachij lectio.

Hanc abſurditatem ſic ſe cogitent euitare] non rectè cogitāt, nec erat hypoſtigma. Clarior autem fuerit ſequentium intelligentia ſi legas hoc pacto, vt per quemlibet hominem, cùm quis Chriſti baptiſmate, &c.

cibaria Dominica etiam malus ſeruus impendit] pro eo quod erat Dominicus.

ſuſcitari vinculis meis] Redundat præpoſitio, in, quam habent excuſa.

quia ſic eorum fictionē fugiebat ſpirituſſanctus] nō fugerat.

& illud quod Apoſtolus ait] vitioſè vt illud.

IN CAP. XII.

Hæc etiam de oratione ſancti Danielis] Pelagiani dictam volebant ex populi, non ipſius Danielis perſona; ſed refellunt eos ipſa orationis verba: Cùm orarem, inquit, & confiterer peccata mea et populi mei. Damnata eſt Pelagij ſententia, quia hæreſim ſuam hinc tuebatur Concilio Mileuitano cano. 7. Impugnat frequenter & Auguſtinus, vt epiſtola 89. ad Hilariū, lib. 2. De peccat. merit. & remiſſion. cap. 10. Tractatu de vrbis excidio, to. 9. Refellit & Hieron. in fine libri 2. contra Pelag.

IN CAP. XIII.

Refer nunc animum] Pariſ. Refert, legunt non rectè.

Qualemlibet exiſtiment Cæcilianum] Sic MS. & Pariſ. pro Quemlibet. quamquā ea voce vtitur interdum illo ſenſu Auguſtinus. Porro Cæcilianus epiſcopus fuit Carthaginienſis, cuius occaſione natum eſt ſchiſma Donatiſtarum.

Vtrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur; illud cùm baptizatur, iſtud cū ordinatur; ideóque in Catholica vtrumque non licet iterari] Apertum hîc habes pro Ordinis ſeu Ordinationis ſacramento teſtimonium: & infrà eodem hoc capite neminem ait de eo ſacramento dubitare: quod nō ſolùm permittunt ſibi hodierni hæretici, ſed negare etiam audent. Vides hic præterea ſacramentum hoc iterari non poſſe, vti nec baptiſma, quia videlicet conſecratione quadam detur.

Nam ſi quando ex ipſa parte venientes] Vetus fuit Eccleſiæ diſciplina, vt qui ex clero in hæreſim, ſchiſma vel idololatriam lapſi eſſent, reſipiſcentes ad pœnitentiam quidem admitterentur; à cleri tamen ordinatione & ſacerdotali honore prohiberentur, etiam quem prius habuiſſent. Quod olim à Cornelio papa toto orbe Chriſtiano conſentiente decretum fuiſſe, author eſt Cyprianus lib. 1. epiſt. 4. qua docet Martialem & Baſilidem Hiſpaniæ epiſcopos, in perſecutione lapſos, ad priſtinum honorem admittendos non eſſe: quomodo & ante eum præfatus Romanus Pontifex epiſcopum quendam Nouatianum à ſchiſmate reuertentem vt laicum in Eccleſia receperat; refert ex eius ad Fabium Antiochenum epiſt. Euſebius lib. 6. cap. 35. Cuius canonis non primùm tamen eum anthorem extitiſſe, colligi poteſt tum ex Tertull. lib. De præſcript. hæreticorum, tum ex Innoc. 1. epiſt. 22. cap. 5. qui eam legem ad ipſos vſque Apoſtolos refert. quare Cornelius non tam eius author, quàm innouator fuiſſe cenſendus. Eandem in Africano quodam concilio, præſertim de hæreticis & ſchiſmaticis renouauit & Cyprianus, vti ſcribit ipſe ad Stephanū Romanum Pontificem lib. 2. epiſt. 1. Repetijt poſtea in Hiſpaniis Eliberitinum quoque concilium: quod cùm eos canone 1. per pœnitentiam in Eccleſiam admittat; canone tamen 51. in clerum recipi vetat. Meminit eiuſdem & Innocentius pontifex eius nominis primus ſupradicta epiſtola 22. ad Macedoniæ epiſcopos cap. 4. Auguſtinus quoque cum aliàs, tum verò lib. De vnico baptiſmo cap. 12. & epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem. Lex certè Eccleſiaſticæ diſciplinæ admodum vtilis & oportuna: ſic tamen lata, vt diſpenſationem admitteret, vbi ſeueritatis illa cenſura damnoſa Eccleſiæ vel periculoſa foret, aut alioqui iuſtæ cauſæ ſubeſſent, cur remittendum non nihil de ea videretur, vti docet Auguſtinus eadem illa 50. epiſt. Ceſſante tamen ea neceſſitate prorſus ſeruanda, vt rectè monet Innocentius cap. illo 5. epiſt. 22. & Auguſt. epiſt. 73. Sic olim cū partim vi, par[tim] dolo et fraudibus Arrianorum ingens epiſcoporum numerus Arimin[ens]i concilio ſubſcripſiſſet, mortuo Conſtantio Imperatore, & reuocatis ab [e]xilio Athanaſio, Hilario, Euſebio Vercellenſi, cæteriſq; confeſſoribus [v]iſum eſt Eccleſiæ ad ſarciendam concordiam, & fidem Catholicam [a]duerſus Arrianos inſtaurandam, vt epiſcopi reſipiſcentes, in priſtinis [ho]noribus ſuis, ſeruatoq; Epiſcopi gradu & dignitate in gratiam recip[er]entur. Id quod conſentiente Romano Pontifice in Alexādrina ſynodo conſtitutum fuit. Cui diſpenſationi cùm Lucifer Caralitanus in Sardinia Epiſcopus, quodā ſuperbiæ tumore aſſentiri pertinaciter nollet, & factum Eccleſiæ damnare auderet, ipſe velut ſchiſmat[ic]us damnari meruit. Qua de re conſulere licebit Ruffinum hiſt. Ecc[le]ſ. lib. 10. cap. 28. 29. & 30. Athanaſium epiſt. ad Ruffinianum, quàm recitat ſeptima ſynodus actione prima. Liberij Romani pontificis epiſt. ad Orietales, quæ extat apud Socratem lib. 4. cap. 11. Hieronymum lib. cōtra Luciferian. Auguſt. epiſt. 50. & de agone Chriſtiano in fine. Quin & ante ea tempora in Nicæno conc. canon. 8. Nouatiani qui ad eccleſiam redire vellent, integro ſacerdotij & epiſcopalis dignitatis honore ſuſcipi iubentur, propterea nimirum, quòd & cōtra Arrianos in diuinitatis filij Dei, & in Paſchatis quæſtione per omnia cum Catholicis conſentienter ſenſiſſent. Eodem exemplo Macedoniani quidam reſipiſcētes à Liberio pontifice, & ex eius ſententia à Catholicis in Oriente in ſynodo Thyanenſi, Eccleſiæ reconciliati, & in cathedras ſuas reſtituti ſunt. Author Socrates lib. 4. cap. 11. Zozomenus lib. 6. cap. 10. 11. 12. Baſilius epiſt. 74. quæ eſt ad Occidentales, & ad Terentium Comitem, quæ citatur actione 1. ſeptimæ ſynodi. Meſſalianorum ſeu Euchitarum execrabilis fuit hæreſis, per Orientis partes deſæuiens. Clericos tamen ex iis redeuntes incolumi gradu recipi iubet ſynodus tertia Epheſina. Coacta ea erat aduerſus Neſtorianos, quos in errore perſeuerantes, excōmunicarat & ſacerdotij dignitate nudarat. Eorum tamen quoſdam reſipiſcentes in honoribus ſuis recepit Cyrillus Alexandrinus, vt fatetur ipſe epiſt. quadam ad Maximum, quæ refertur ſynod. 7. actio. 1. quod idem feciſſe & Proclum Conſtantino. in eadem epiſt. commemoratur. Eadem indulgentia receptos & Iconoclaſtas non paucos videre eſt actione prima ſynodi ſeptimæ, quæ Nicæna fuit ſecunda. Quod ibi factum multis & doctorum teſtimoniis & eccleſiaſticis exemplis defenditur & excuſatur. Similia olim in Galliis ſtatuit Aurel. conc. 1. can. 12. de ſui temporis Arrianis. Nec illuſtre minus exemplum extat in Donatiſtarum hiſtoria quos primus Melchiades Pontifex in Romano concilio annis aliquot Nicæno vetuſtiore, ſaluo epiſcopatus honore, in gratiam recipere paratus fuit, ſi depoſito ſchiſmate redire ad Catholicam vellent. Author Auguſt. epiſt. 50. & 162. Quod exemplum & Africani poſtea patres ſemper ſecuti ſunt, vt refertur Africani concilij canone 35. In quo legatio quoque decernitur ad Anaſtaſium papam, vt id ratum habere velit, non obſtante tranſmarino decreto quodam, quo de gradu ſuo irreparabiliter deiiciantur; ſed vbi & quando id latum fuerit non addit: fortè Arelaten. vbi ſecunda ſententia damnatus fuit Donatus, abſolutus Cæcilianus. Eodem reſpicere videtur & Leo Pōtifex epiſt. 3. vbi quoſdam ab hæreſi redeūtes ad priſtinos gradus admittit, num ne fuerint rebaptizati. Certè cur in Africa ſeueritas illa nonnihil laxaretur, ſuberat euidens Eccleſiæ vtilitas, & pacis vnitatiſq; compenſatio. Nam integræ interdum plebes relicto ſchiſmate in eccleſiam erant rediture, ſed non niſi recepto & retento epiſcopo ſuo: quo caſu rigorem illum canonicum ſeruare voluiſſe, ſummæ fuerat & imprudentiæ & inhumanitatis. Eodem pertinet locus hic lib. 2. contra Parmen. cap. 13. & lib. 1. contra Donatiſt. cap. 1. & lib. 2. contra Creſconium cap. 11. & 16. Conciliandi autem rationem inter Catholicos & Donatiſtas reſipiſcentes eiuſdem interdum loci epiſcopos, tradit idem Africanum concilium canone 85. Quod beneuolentiæ ac moderationis exemplum ſecuti & Catholici epiſcopi in collatione Carthaginienſi quæ cū Donatiſtis fuit, vltrò ſe ipſi epiſcopatu ſuo abdicantes, ſi cauſam ipſi ſuam probare poſſent, integrum tamen honorem illis promittunt ſi facientibus concordare pacificè vellent. Author Auguſt. lib. 1. Collat. cap. 5. & lib. De geſtis cum Emerito. His ergo ac ſimilibus cauſis neceſſitatibuſq; ſubexiſtentibus Eccleſiaſticus ille canon cedere haud dubiè debet; iiſdem tamen ceſſantibus omnino retinendus, vti monet Innoc. 1. epiſt. 22. cap. 5. & Auguſt. epiſt. 50. Quomodo generaliter circa Hæreſiarchas & primos ſchiſmatum authores obſeruatum fuiſſe videtur, vt ad honores Eccleſiæ non reciperentur. quod diſcere liquet ex Melchiadis ſententia, de qua ſuprà. Ex epiſtola quoque Athanaſ. ad Ruffinianum, & Ruffino libro 10. hiſt. eccleſ. ca. 28. Tertull. verò lib. de præſcrip. hæreticorum, Marcionem refert ne ad Eccleſiæ quidem pacem admitti potuiſſe, niſi reductis iis quos deceptos ab ea ſegregaſſet. Denique obſeruandum & illud ex Leonis epiſt. 3. vt recipi ad priſtinos honores ex hæreſi aut ſchiſmate reuerſi queant, ad maiores tamen admittendos promouendoſq; non eſſe. Sed de hoc argumento hactenus.

non ſunt rurſus ordinati] pro ordinandi.

quod vnitatis pace correctum eſt] perperā in Pariſ. vanitatis.

Et cū expedire hoc iudicatur eccleſiæ] Sic MS. pro videatur.

Ideoque non eis in populo manus imponitur] MS. conſtanter legunt, impoſitio manus imponitur. ſed magis placet quod habent excuſa. ſimiliter enim ferè loquitur lib. 1. contra Donatiſtas cap. 1. & ideò eis, inquit, manus inter laicos non imponitur.

venia facilis impetratur] non facilius.

ſed ipſi qui receſſerunt, inimici eius ſunt] Ex Manuſcr. adiecimus eius.

quamquam & ſi laicus aliquis pereunti dederit neceſſitate compulſus] Sic conſtanter MS. vulgò, pro aliquis, legitur aliqua. Ratum autem eſſe baptiſma à laico fideli in neceſſitate vel aliàs collatum, docuit ante Auguſt. Tertullian. lib. De baptiſ. Hieron. Dialo. contra Luciferi.



Idem definiuit Gelaſius epiſt. ad epiſc. Lucaniæ cap. 9. et ante eum Conc. Eliberinum cap. 38. Et poſtea ſecutus Iſidorus lib. 2. de offic. cap. 24. Gratianus de conſec. diſt. 4. citat in eandem ſententiam alia duo Auguſtini loca, velut ex epiſtola ad Fortunatum. cap. In neceſſitate; & Sanctum eſt baptiſma.

Aut ſi fortè illum militiæ characterem] Ex hoc & ſimilibus locis petitum videtur quod ſcholaſtici aiunt ſacramēta quædam characterem imprimere; eaq; iterari non poſſe.

Et hæc quidem alia quæſtio eſt, vtrùm & ab iis qui nūquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temere inde affirmandum ſine authoritate tanti concilij, quantum tantæ rei ſufficit] Eandem proponit quæſt. lib. 7. contra Donat. cap. 53. vbi in eam magis partem propendet, vt ratum putet baptiſmum ab huiuſmodi hominibus collatum. Id quod certè poſteà eſt à ſede Apoſtolica manifeſtè definitum. Nam de baptiſmo per Iudæos adminiſtrato, ſententia eſt Nicolai papæ ad conſulta Bulgarorum cap. 3. De Paganorum Gregorij ſecundi ad Bonifacium epiſcopum; quas in ſuis decretis recēſet etiam Gratianus de conſec. diſt. 4.

Quòd ſi aliqui, quod non rectè habetur] ſic MS. pro aliquid: fingit enim hoc dicentes non Donatiſtas, ſed alios aliquos: nam mox ait quod pariter hoc negent, ſeu reclament & Catholici & Donatiſtæ.

nos vtrinque reclamamus] MS. vtrunque legunt, ſed perperàm: neque enim duo hic proponuntur, quorum vtrunque negetur, ſed vnum tantum videlicet, haberi non poſſe quod non rectè habeatur; quod cum Catholicis negabant etiam Donatiſtæ. Ait ergo quod vtrinque reclamarent, hoc eſt, vtraque ex parte id negarent. ſic paulò poſt, ſi ergo volunt vt audiat ille, quod pariter reclamamus. Clarius fuiſſet vtrique. Confer cum hoc loco lib. 1. contra Donat. de baptiſ. ca. 3. 4. 5. & c. Amerb. conſentit cum excuſis.

tanquam ſpiritum extinctum deputetis] ſic conſtanter MS. pro puteris.

& tamen dictum eſt, Pater & filius intrabant in vnam puellam, vt polluerent nomen Dei ſui] Non rectè legebatur, intrabūt. Locus eſt Amos 2.

Quid eſt hoc aliud, quàm quod eorum magiſter Ticonius de illis dixit, quod volumus ſanctum eſt, &c.] Prouerbialis ſentētia in eos quadrans, qui iuſtum & rectum non iudicio rationis & Dei legibus, ſed affectibus metiuntur, vt ideò quid pium videri velint, quia ipſi faciant, idem contrà impium, vbi diuerſum facere libuerit, aut in aliis damnare placuerit. Repetit eādem Auguſt. epiſt. 48. Ad eandem alludit lib. 3. contra Creſc. cap. 32. in fine.

IN CAP. XIIII.

viuificare quenquam mortuus poſſit, &c.] verba hæc vt acuta, & tinnula poſteriores Donatiſtæ libenter vſurparunt.

quid aliud iſti quàm ſe benedicendos pro Domino opponunt?] MS. legunt, offerunt; ſed magis arridet excuſorum lectio, quam habet etiam Amerb. Reſpicit autem ad Pſalmum 145. in quo hoc nomine Dominus benedicitur.

ſi veſtiri ipſe mereatur?] pro veſtri.

ſed pro diuiſione & diſciſſione] Lipſij videtur caſtigatio; ſed neſcio an ex coniectura: prius enim erat diſceſſione.

IN CAP. XV.

nunquam diceret] Sic MS. pro nunquid.

irruerent quidem iſti frontoſi] in excuſis additum erat iuſti; ſed non legunt MS. & omnino videtur redundare.

niſi vt homines commoneantur ſimul vt aliquādo euigilēt] neſcio an pro ſimul, legendum ſit ſemel.

& ab eccleſiæ communione proiectus ſit] ſic MS. pro eſt.

nemo rebaptizat] pro rebaptizabat.

quæro ipſe Ioannes baptiſta, &c.] Vtrum Ioannes non fuerit etiam à Chriſto baptizatus, non eſt vſque adeò certum; nam, ego, inquit, Matth. 3. à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

atq; ita à ſe teſtimoniis prolatis, &c.] videtur mutilus eſſe locus; niſi parentheſis nota includatur vſque ad illud, exemplo ſuo.

IN CAP. XVII.

qui ſe ab ipſo Domino baptizari] pro baptizare.

Sed iſti ſunt verè cæci duces] ſic MS. & Pariſienſ. prius erat veri cæci.

IN CAP. XVIII.

Nolite iungi cum infidelibus] MS. nonnulla legebant, Nolite iugum ducere, quomodo & alibi legūt etiam excuſa. ſed prius illud hic Auguſt. ſcripſiſſe, liquet ex ſubiectis verbis: Non enim intelligunt, inquit, neminem coniungi cum infidelibus.

quæ pars fideli cum infideli] Sic quædam MS. & Græcd, quo modo & aliàs ſemper citat Auguſt. vt lib. 2. contra literas Petil. cap. 40. Lib. poſt Collat. cap. [.]1. Et infrà quidem habes in excuſis, Quis ponit cum infidelibus partem ſuam, ſed quod ſequitur, niſi qui eius infidelitatis ſit particeps, abundè oſtendit legendum, infideli. Nam relatiuum eius, hunc numerum poſtulat.

& inambulabo] ſic MS. cum Græcis. prius erat ambulabo.

IN CAP. XIX.

permanere demonſtrent?] pro demonſtrentur?

IN CAP. XX.

turpe eſt & dicere] deſiderabatur copula &.

IN CAP. XXI.

Qui verò implet quod ſcriptum eſt; iuſto nihil placet iniquum] Locus eſt Prouerb. 12. vbi nos legimus; Non contriſtabit iuſtū; quicquid ei acciderit. Pro quo alij vertunt; Nō accidet iuſto dolor, iniquitas. Biblia regia ſecundum 70. ſic habent; Non placebit iuſto quicquam iniuſtum.

Ita planè, ſi ſociatur] quod hic addebant excuſa quis malus; non eſt in MS. & redundat, niſi legas malis.

IN CAP. XXII.

& ad Primianum iterum reuocatis] ſic rectè MS. pro tertium: neque enim vſquam legimus defeciſſe aliquam ab eo Maximianiſtarum poſteaquam ad eum rediſſet.

nonnullus correctionis eſt modus] ita malim cum MS. Amandi & Tornacenſ. cumq; vetere Amerb. editione; quàm cum MS. Carth. & Pariſ. nonnullis. Cæterùm Amerb. annotat ad marginem, pro modus aliàs legi, gradus. quod maluiſſem ſi id in aliquo noſtrorum manuſcr. reperiſſem.

## IN LIB. III. CAP. I.

odio iniquitatum] perperam; iniquitatem.

ſic permixtis frumentis] redundat vocula, de, in excuſis.

non ſolùm auferet audaciam] non rectè, auferret.

quam repellit ſuperbia] MS. legunt, ſuperbiens animus.

Ideoque ſequitur & dicit] Phraſis eſt Auguſt. familiariſſima & nuſquam non obuia, pro addit ſeu adiungit: quas duas voces interdum connectit, vt lib. De vnico baptiſ. cap. 8. Quod ſecutus adiunxit, lib. 1. De peccat. merit. & remiſſion. cap. 10. & epiſt. 200. locutus adiunxit. Eſt vbi accuſatiuum addat, vt lib. 3. contra Petilian. cap. 21. Et ſequitur ſe, & clamat. Quidam eò parùm animaduerſo mendum ſubeſſe putauit, mutauitq; lectionem, vt eſſet, Ideoq; quod ſequitur, & dicit.

vt ſiue aliqua pœna, vel morte corporali] Duplicē innuit commentarium dicti illius Apoſtolici, in interitum carnis. 1 Cor. 5. vt vel morbus aliquis aut vexatio, vel mors quoque à diabolo inflicta intelligatur; vel interitus carnalis concupiſcentiæ. Prior commentarius Græcorum eſt, ſcribentium eam initio vim excommunicationis fuiſſe, vt eum traderet ſathanæ corporaliter affligendum variis morborum generibus, donec reſipiſceret: interdum etiam vſque ad mortem.

non tamen fraternam ab eo ſeparat charitatem] MS. ſimul & Pariſ. legūnt, non tamen ſupernam, &c. & mox ſuperna congregatione. ſed nos priorem lectionem retinuimus.

præcipit ſeparari] ita commodius cum MS. quàm præcepit; præceſſit enim, ſeparat charitatem.

ſicut & de ſeipſo] perperam de ipſo.

Ideò lugendo indicabat] MS. conſtanter legunt prædicabat.

ſine corruptione vinculi pacis] MS. omnia correptione legūt, ſed non rectè.

conterreret peccantes atq; corrigeret] ſic MS. Cui lectioni fauet quod paulò poſt ſubijcitur, ſicut peccanti adhibet damnationē; ſic correcto atque contrementi atque humilianti in pœnitentia cor ſuum; &c. In excuſis erat contereret; quod quanquam haberet etiam Amerb. alterum tamen prætulimus.

Nam non inuenitur de quo alio] Alium eſſe qui prioris ad Corinth. epiſt. cap. 5. ſathanæ fuerit ab Apoſtolo traditus; alium cui poſterioris epiſt. cap. 2. conſolationem iubet adhibendam, ſcripſerat in hæreſis ſuæ fauorem Tertull. lib. de pudicitia. Ad quam eius opinionem Auguſtinus hic reſpicere videtur: ambiguè loquens & ipſe initio cap. ſequentis.

vt non onerem omnes vos] vocem omnes ex MS. adiecimus, quam legunt & Græca: habet etiam editio Amerb.

IN CAP. II.

Emēdabit me iuſtus in miſericordia] præpoſitionem ex MS. adiecimus, quam habet & Amerb.

pace ſuæ correctionis extingueret] ſic MS. pro [.]ci. Conſentit & Amerb.

ſic enim nonnulli & maximè Latini codices hab[ent]] Iam omnes quos videre licuit, cum negatione legunt.

& hic continuò ſubiungat] perperam in excuſis, & h[i]c continuò ſubiungit.

ſed ſu[pe]r eius peccata] non rectè peccatis. Nam et ſic paulò antè, & gloriari quidem non de peccatis ſuis, ſed ſuper alterius peccata.

ſequi-

Sequitur ergo Apoſtolus & dicit ] de hac loquendi ratione iam ſuprà ad cap. 1. diximus.

Nunc autem ſcripſi vobis ] ſic & paulo antè. In excuſis erat inſcripſi.

ſi quis frater, nominatur & eſt inter vos aut fornicator, &c.] Illud nominatur, Auguſt. nõ cũ præcedentib. (vt in vulgata eſt noſtra verſione) ſed cum ſequentibus iungit, vt ad publicam famam pertineat: quomodo ipſemet interpretatur infrà eodem hoc cap. cuius hæc ſunt verba: In eo verò quod ait nominatur, hoc nimirum intelligi voluit, parum eſſe vt ſit quiſque talis, niſi etiam nominetur, id eſt famoſus appareat, vt poſſit omnibus digniſſima videri quæ in eum fuerit anathematis prolata ſententia. Et aliquanto pòſt: ſi quis frater in aliquo cæteris diſſimili crimine nominatur. Et non paulo ſup. Cum quiſque fratrum, id eſt Chriſtianorum, inquit, intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus. & paulò infra, quando ita, inquit, cuiuſq; crimen notum eſt omnibus. Imo verò apparet Auguſtinum nec legiſſe, nec ſcripſiſſe voculas illas duas, & eſt, ſed hoc modo, ſi quis frater, nominatur aut fornicator. Nam eodem hoc cap. aliquanto ante verba illa ſecundo loco citata, ſic habet: Multi enim erant, nec dici de his poterat, ſi quis frater nominatur fornicator aut idolis ſeruiens. Certè ita maniſeſtè habet lib. De fide & operibus cap. 2. ſimiliter legit & Ambroſ. epiſtola 82. Nos tamen non adiuuantibus MS. priorem lectionem vt eſt in excuſis reliquimus, commoda tantùm diſtinctione Auguſtini mentẽ ſententiamq; ſignificantes.

nam hoc epiſtolæ Apoſtolicæ capitulum ſi conſuluiſſet] MS. conſtanter legunt, capitulum cum eo fuiſſet. Amerbach. & alteram ad latus annotauit, videlicet eum fugiſſet: ſed nos quod in excuſis erat retinuimus.

ſaluberrimæ mordacitatis inſerens medicinam] MS. legunt, inferens, quod nec diſplicet. Amerb. priorem habet lectionem.

eorum facta ſe gemere] voculam ſe adiecimus ex MS. quam legit & Amerbach.

Dicant ergo iſti ] perperam, Dicunt. Cum altera conſentit & Amerbach.

quæ de moribus eorum inſimulata fuerint] MS. conſtanter legunt, in faciem ſimulantium fuerint: quomodo & Amerb. & Pariſ. fort. in faciem inſimulata fuerint, niſi deſit quippiam.

quando ille tantus epiſcopus ] in excuſis addebatur vir, ſed non habent MS.

propter ſalutem infirmorum, & tanquam lactentium frumentorum ] Amerb. latentium legit, pro lactentium, ſed non rectè.

vbi fundos inſidioſis fraudibus rapiebant] perperam inſidioſos. Altera enim germana eſt Cypriani lectio, quam eodem hoc cap. aliquanto antè, & innumeris pòſt locis habet etiam Auguſt. Eadem extat quoque in Amerb. editione.

quia ſi bonos diceret in medio malorum ] Sic MS. pro, quia niſi.

Si verò iam tunc non erat Eccleſia, quia Cyprianus &c.] Hic videmus quemadmodum ad Eccleſiæ vnitatem requirat Auguſtinus, vt perpetua connexione ſibi cohæreat, idq; per non interruptam ac perpetuam epiſcoporum ſucceſſionem.

Dicant vnde natus eſt Maiorinus aut Donatus, vt per eos naſceretur Parmenianus atque Primianus ] Hi fuerunt ex ordine in ciuitate Carthaginienſi Donatiſtarum epiſcopi, ſed nec plures.

ac ſic per ſeipſos vnde exiſterent] ſic MS. pro eo quod erat, ac ſi &c. Amerb. habet ac ſic &c.

qui vetat cum eiuſmodi nec cibum ſimul ſumere ] voculam, nec, adiecimus ex MS. quam infrà addunt etiam vulgata.

quali coniunctione Paganis] vitioſe in Pariſ. legitur panis.

Cum infidelibus, id eſt cum eis] Ita ſunt hæc noua periodo diſtinguenda.

ſed coërcitione fraterna] pro coërcione. De quo ſup. in cap. 8. lib. 1. contra epiſt. Parmen.

Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore ſanatur] ſic rectius MS. quàm excuſa, Túnc etiam & ille.

ſed per temeritatem ipſi potius] in excuſis deſiderabatur, ipſi.

Quò m[illegible] de his qui foris ſunt iudicare] ita legiſſe ſcripſiſſeq; Auguſt. lique[illegible] ſuperioribus, vbi eo modo bis locus iſte citatur; & lib. De fide & oper[illegible] cap. 12. Eadem lectio eſt & apud Ambroſ. epiſt. 82. Conſentiun[illegible] tiam MS. omnes. In excuſis erat textus ad noſtram lectionem vulg[illegible] mutatus.

Hoc [illegible] diligenter cogitet,] pro cogitat.

nec i[illegible] moderatione coercitionis] hic, coërcitionẽ, habes etiam in vulgatis, quo modo ſemper MS.

nec in conſeruatione vnitatis ] Pariſienſ. non rectè, conuerſatione.

Tunc enim fit ſine typho elationis] Vox eſt Au[illegible]ſtino familia-

A riſſima pro faſtu & ſuperbia. quam Arnobius Apher & ipſe, libẽter quoque vſurpat.

vel de numero pauperum quos paſcit eccleſia] Videtur & olim Eccleſia quæque catalogum habuiſſe pauperum quos ex oblationibus & votis fidelium paſceret.

ita vt cum eiuſmodi] voculam vt ex MS. adiecimus.

cum eiuſmodi nec cibum ſimul ſumere] ſic MS. & ſup. eodem hoc cap. additum habes ſimul, etiam in excuſis.

IN CAP. III.

aliquando tamen verecundantur] ſic rectè MS. pro quando tamen. Conſentit & Amerb.

etiamſi ad tempus ſit congregationis ] prius erat, ſi congregationis.

vt quiſquis inflata mente carnis ſuæ] Germana hæc eſt lectio, quam & Amerb. ad marginẽ annotarat: alludit enim ad verba Apoſt. cap. 6. ad Gal. Vnde & paulò poſt, Nullius alius flatus. Prius erat inflammata. quod vitium inde ſubrepſit, quòd præcedat inflammauit.

ſi frumenta eſſe reſponderint ] redundat pronomen, ſe, quod additur in excuſis: reſpicit enim turbas cõuiuarum, ebrioſorum &c. de quibus paulo antè.

vt ſeinuicem non agnoſcant] pro agnoſcat.

B IN CAP. IIII.

An à trecentis decem Bagai conſidentibus] Non Bagaij: loquitur autem de concilio 310. Donatiſtarum, in quo Maximianus cum ſuis ordinatoribus damnatus eſt. Locus cõcilij ciuitas fuit Numidiæ Vaga nomine, vel pluraliter Vagæ, Græcè Βαγαῖ, vbi diphthongo in ſuas vocales per diæreſim diuiſa extulerunt Africani Latinè Bagai. Hinc concilium hoc loco celebratum varia ſortitur vocabula, Vagenſe, Bagaienſe, Vagaitanum, Bagaitanum: nam V & B paſſim apud eos confunduntur.

aliqua fortè dignatio eſt] ſic rectius MS. quàm quod erat in excuſis, aliqua fortè meruerunt dignatione. quanquam ita legat & Amerb. & meriti vocem ſemel iterumq; vſurpet pòſt etiam Auguſtinus.

In ea quippe etiam iſtorum baptizatores] ſic MS. nec non Pariſ. quam lectionem Amerb. ad marginem reiecit, ſed quæ alteri præſtet, rebaptizatores.

quia iam non ſolùm Maximianiſtæ] Ex MS. addidimus iam.

& tam mirabili liberent] pro liberabunt.

tot gentes prouinciasque damnauerint] non damnauerunt.

Bagaienſi concilio damnauerunt ] perperam Baiaienſi, de quo paulò antè eodem hoc cap.

C nulla corporali diremptione] pro diremptione, legunt Pariſ. non rectè direptione, tametſi conſentientibus MS. & Amerb.

In ipſa Aphrica dicant Donatiſtæ Carthaginienſes, vel quicunque ſunt in ciuitate Carthaginis, quot partes per Numidiã & Mauritaniam factæ ſint] Perperam in editione Pariſ. legitur, dicunt, & facti ſunt. Semel autem admonuiſſe ſufficiat pro Carthaginenſis, MS. conſtanter vbique legere Carthaginienſis, per ſex ſyllabas, quomodo alicubi legunt etiam impreſſa, vt lib. 2. Retract. cap. 17. quomodo ſcribendum etiam Grammatici annotarunt. Quare ne quis miretur quòd eam hic orthographiam ſecuti ſimus.

eos qui ſe bonos dicũt] pro quo erat non rectè, eo quo ſe bonos dicunt: ſubijcitur enim, eo ipſo demonſtrare.

eo ipſo demonſtrare] Non dubitaui hunc locum ita reſtituere, cùm prius eſſet demonſtrante, etiamſi conſentirent cum excuſis MS.

à quibus ſe non imitando mundabat] ſic MS. quod magis placet quàm non imitando ſeruabat. Alluditur enim ad illa verba Apoſtoli, Si quis ſe ab his emundauerit.

IN CAP. V.

D ob iniquitates quæ fiunt in medio eorum] pro fiunt, erat ſunt, minus rectè.

aut carnali timore peruerſos ] ſic MS. non tumore, id enim iam præceſſit.

IN CAP. VI.

aduerſus ſeipſos proponentes] Mutat numerum; præceſſerat enim de Parmeniano, adhibens etiam teſtimonium, niſi fortè deprauatus ſit locus.

quos ipſi damnarunt rurſus receptos] ſic MS. & Amerb. prius erat, quos ſibi damnarunt.

pro falſa Donati pace tolerarunt] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, tametſi non vulgata modò, ſed & MS. cum Amerb. conſtanter legerent parte, non pace. Reſpondet enim ei quod præceſſit, quam pro pace Chriſti tolerare noluerunt. Nam Donati ſeu Donatiſtarum non falſa pars, ſed pax fuit, quam receptis cum ſuis honoribus & ſacramentis, Maximianiſtis, procurare ſunt conati.

ſed ſi licet erubeſcant, &c.] Locus eſt obſcurus & corruptus. MS. legunt, ſed licet erubeſcant: & mox pro eo quod habemus nonnullam imaginem, legunt, nullam imaginem. Sed [illegible]ec iſta ſatisfaciunt. Amerb.



Amerb. conſentit per omnia cum vulgatis. Fortaſſe ſic legendum, ſed A ſcilicet erubeſcunt, &c. Et mox, Si enim habet. ac poſtremò, apertiſſimę contradicere veritati? cum notà videlicet interrogationis.

iurantes per canos, & per compages] Donatiſtæ per nomina Donati, & pſeudomartyrum ſuorum iurare ſolebãt, vt author eſt Optatus lib. 3. hic etiam per canos & compages eorum [illegible]uraſſe ſignificantur.

vt eis pœnarum ſuarũ natalitia celebrentur magno conuentu hominum furioſorum.] Donatiſtæ ſectæ ſuæ hominibus qui ob ſchiſma vel immaniſſimas crudelitates ſuas paſſi erant, imò qui ſeipſos ambitioſe occiderãt, inſtitutis ad eorum honorem feſtis diebus, pro martyribus colebant, quorum & nomina in ſacrificiis ſuis honoris cauſa recitabãt.

quæ ſub nomine Chriſti contrà erexerunt ] ſic MS. In excuſis erat, contra Eccleſiam; ſed rectius abeſt illud Eccleſiam, vt ſenſus ſit, quæ ex aduerſo erexerunt; quod alibi ait, altare contra altare.

cui tantas Abitinenſes plagas & contumelias intulerunt] Saluius Membreſitanus epiſcopus in ſchiſmate contra Primianum pertinaciter Maximiano adhæſit; damnatus ob hoc à ſuis Donatiſtis in Bagaieſi concilio, qui in Proconſulari iudicio ab iiſdem ſuperatus, & baſilica ſua cedere iuſſus, cùm facere id nollet, captus à vicinis Abitinenſibus, tractatus ab eis eſt, vt hic ſubijcitur. Plura vide lib. 4. contra Creſc. cap. 49. & in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.

B vt de eccleſia pelleretur] Non dubitaui quin ita legendum eſſet, non pellerentur; licet reclamantibus MS. & Amerb. Agitur enim de ſolo Saluio: id clarius fiet collatione facta cum 49. cap. libri 4. contra Creſconium.

Tuſcorum tyrannorum commemoratur antiqua crudelitas; qui mortua viuis, ſed humana humanis corpora coniungebãt] De hac Tuſcorum ſeu Etruſcorum crudelitate agit Auguſtin. & lib. 4. contra Creſcon. cap. 49. Attingit & lib. 4. contra Iulian. cap. 15. ſed in alio genere argumenti, vbi ex Ciceronis Hortenſio (qui liber iam non extat) quorundam philoſophorum refert apud Ariſtot. ſententiam, ſimiles nos affectos eſſe ſupplicio; atque eos qui quondam, cùm in prædonum Etruſcorum manus incidiſſent; crudelitate excogitata necabãtur, quorum corpora viua cum mortuis, aduerſa aduerſis accommodata, quàm aptiſſimè colligabantur; ſic noſtros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis coniunctos. Quanquam nec id hodie in Ariſtot. reperitur. Meminit eiuſdem crudelitatis & Sophocles in Electra. Et inter C noſtros Clemens Alexãdrinus in Protreptico ad Gẽtes, Maligna, inquit, & ſerpens belua, oculos præſtringens redigit in ſeruitutem, & in hodiernum vſque diem homines affligit barbarorum ritu, vt mihi videtur, puniens, qui dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipſis quoq; putreſcant: Hic ergo malus tyrannus & draco, quoſcunque ab ortu ſibi potuerit vendicare; lapidibus, & lignis, & imaginibus, & aliquibus eiuſmodi ſimulachris; miſero ſuperſtitionis vinculo, viuos, vt dicitur, adducẽs, vnà cum eis ſepelit, donec vnà cum eis interierint. Loquitur de idolorum ſimulachris eorumq; cultoribus. Eam & in Mezentium ſuum, Etruſcorum regem, tranſtulit Virgil. qui lib. 8. Aeneidos ita de eo ſcribit:

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibuſq; manus, atque oribus ora.
Tormenti genus; & ſanie taboq; fluenti,
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

Quod exemplum repetit & Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. De crudelitate. Similem crudelitatem exercuit olim & Opilius Macrinus Imperator, vt ex Iulio Capitolino refert Cœlius lib. 10. cap. 5. & Fulgoſius lib. 9. cap. 2. vnde & Macellinus eſt appellatus: ſic nuper Ioannes Maria Ioannis Galeatij ducis Mediolanenſis filius, ſacerdotem quẽdam cum hominis cadauere aduerſis vultibus colligatum viuum defodi iuſſit. Au- D thor eſt ſcriptor quidam Gallus tomo 2. hiſtoriarum tragicarum, ca. 29. Sed de his hactenus.

immundum fecerint] pro fecerunt: præceſſit enim quem coinquinauerit.

quamuis paſſi ſunt, quos ab vnitate] ita rectius MS. & Pariſ.

quàm viuus incendi] perperam viuum, repetitur enim verbum mallet.

ne cùm aduerſus facta ſua oculos claudũt, & ad pœnas ſuas oculos aperiunt] ſic rectius cum MS. quàm cum excuſis, ad pœnas oculos ſuos.

*Finis Annotationum in tres libros contra Parmenianum.*

# ANNOTATIONES IN LIBROS SEPTEM B. AVGVSTINI DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS.

*Ex collatione ad MS. B. Amãdi, Cambronenſe ac Gemblacenſe, necnon veterem Amerbachij editionem.*

IN LIBRI PRIMI CAPVT I.

HVNC ordinem libris iſtis dedimus, tùm quòd eorum exordium præcedentibus cohæreat, ibidem nimirum lib. 2. cap. 14. promiſſi: tum quòd poſt illos proximè ſcripti videantur, quandoquidem & in libris Retractat. ſuperioribus nullo interiecto iungantur. Quem ordinem cùm & Amerbachius in ſua fuerit editione ſecutus, miror quid poſteriores mouerit vt eum inuertendum putarint. Cæterùm qui horum librorum de baptiſmo intelligentiam rectè adſequi volet, prius legat neceſſe eſt Cypriani epiſtolam ad Iubaianum, ad Quintum, ad Pompeium, & eã quæ eſt apud eundem lib. 1. duodecima numero ad Saturninum, Maximum & cæt. Quod enim Auguſt. infrà lib. 3. cap. 4. de epiſtola ad Iubaianum B monet, idem de reliquis etiam intelligendum venit.

quod acceperat confitetur] ſic conſtanter MS. & Amerbachius, vt ad calumniantem referatur. Prius erat confitemur.

ſacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur.] Alterum hic teſtimonium habes pro ſacramento Ordinis ſeu Ordinationis. Appellat autem, ſacramentum dandi baptiſmi, non quia ſolus ſacerdos validè & efficaciter queat baptizare, ſed quia ordinarius & legitimus ſit eius miniſter.

ſi hoc Eccleſiæ vtilitas poſtulat ] de recipiendis in ſuum gradum epiſcopis aut clericis ab hæreſi vel ſchiſmate redeuntibus ſuprà diximus in lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13.

& ideò eis manus inter laicos non imponitur] vt videlicet iterum ordinentur.

ſed ſpiritalibus eſt metiendus] MS. legunt, & non ſpiritalibus; ſed idem eſt ſenſus.

IN CAP. II.

C vt veniendo accipiant] pro accipiat. cum MS. cõſentit & Amerb.

vt id eligant emendati atque correcti ] ſic MS. prius erat, vti diligant.

Nam ſi quem fortè coëgerit extrema neceſſitas ] In extrema neceſſitate etiam ab hæretico & ſchiſmatico accipi baptiſmus poteſt.

extra vnitatem catholicam poſitum] Ita MS. & Amerb. perperam autem in vulgatis, catholicum.

non ſolùm non improbamus quod fecit] Mira erat hic & aliquot deinde cap. paginarum in MS. noſtris confuſio & perturbatio.

IN CAP. III.

ad ſalutem eſſe diligendam] fortè, deligendam.

& in ea ſola prodeſſe baptiſmum Chriſti ] Excuſa legunt, illi prodeſſe: ſed voculam, illi, non addunt MS. & rectius abeſt.

Eſſe autem in Catholica baptiſmum] Pariſ. loco Catholica, legunt Eccleſia, ſed non rectè; neque enim hoc negabant Donatiſtæ.

Sicut ergo id potius credit] M[illegible] habent credidit, quo modo paulo infrà, Elegit autem ipſe. ſed alterum magis arridet.

robuſtius credat] Id eſt, certius firmiuſq;. Auguſtini phraſis eſt. Sic infrà lib. 4. cap. 6. quanto robuſtius nunc dicimus. Cui ſimile eſt quod habet lib. poſt Collat. cap. 3. Nunc autẽ fortius multóq; liberius. Et epiſt. 48. quanto vobis fortius dicimus.

D quod ab vtriſque noſtrum dicitur] Non erat in MS. infinitiuus eſſe, quem addunt vulgata, eſtq; ea expeditior lectio.

Elegit autem ipſe] perperam, Eligat.

vbi & eſſe & accipi rectè] ita cõmodius iuxta MS. quàm cum excuſis, accipere.

ſaltem incertum habeat] Emendanda eſt Pariſ. editio quæ horum loco legit, ad ſalutem incertum habet.

IN CAP. IIII.

Intueatur etiam ſimilitudinem] ſingulari, non plurali numero, quemadmodum erat in excuſis. MS. legunt, intuentur: ſed facilis eſt lapſus ex a in n.

ſed etiam expugnatur inimicus, induens lupos [illegible]os pellibus ouium, vt dicant] ita eſt hic locus & diſtinguendus & [illegible]gendus. Prius erat in verbo Induens, noua periodus, & pro vt dicant, [illegible]t dicunt.

ſeparent & iugulatos abſumant] ſic MS. pro eo quo[illegible] erat, ſeparant, & abſumunt.

aduerſus eccleſiam Chriſti] Ex MS. adiecimus Chriſt.

IN CAP. V.

aut incertis certa præpone] non autem, præponis.

IN CAP.

IN CAP. VI.

ipſos quodammodo cardinales Donatiſtas] *MS. legebant*, catnales, *ſed non rectè. Intelligit autem eos Donatiſtas, qui Primiani ſequebantur communionem, & interdum Primianiſtæ appellantur; quos* cardinales *vocat, quia eſſet eorum numerus reſpectu cæterorum multo maximus. Vnde cùm alij Rogatiſtæ, alij Maximianiſtæ, alij Vrbaniſtæ vocarentur, Donatiſtarum nomen penes Primianiſtas remanſit, à quibus tanquam à corpore & trunco cæteri eſſent præciſi. Hinc infrà*, quæ omnes, *inquit*, minutæ particulæ, hanc vnam multo grandiorẽ, in qua Primianus eſt, &c. *Et mox*, nec in ipſa grandiore parte Donati.

quanto pauciores, tanto ſynceriores Donatiſtas] *Hæretici omnes de paucitate gloriantur.*

IN CAP. VII.

Iam verò ne videar humanis coniecturis agere] *In excuſis erat* id agere, *ſed MS. pronomen illud omittunt, & rectius abeſt.*

vt diu conciliorum in quibuſque regionibus] *Aphricanis, Orientalibus, Occidentalibus.*

donec plenario totius orbis concilio] *Plenarij huius concilij Auguſtinus frequenter admodum meminit. Sic lib. 2. cõtra Parmenian. cap. 13. Infrà lib. hoc eodem 1. contra Donatiſtas de baptiſ. cap. 18. lib. 2. cap. 1. 4. 7. 8. lib. 4. cap. 5. 6. 9. lib. 5. cap. 4. 22. lib. 6. cap. 1. 2. 7. 8. 13. 20. 27. 39. 42. lib. 2. contra Creſcon. cap. 33. Sed quia nuſquam neque nomen neque locum concilij expreſſit, varij varia diuinarũt. Sed rectè Franciſcus Balduinus, & poſt eum Pamelius, non aliud quàm Nicænum id eſſe cenſuerunt. Quorum ſententiam multis certiſq́ue rationibus confirmare queam, & diuerſam aliorum confutare; ſed quoniam id aliàs facturi ſumus, nihil præterea hic addemus.*

Vt ergo vtraque ſententia vera ſit] *Conciliat ſcripturas duas in ſpeciem pugnantes: alteram Matth. 12. Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui mecum nõ colligit, ſpargit: alteram Luc. 9. Qui cõtra vos non eſt, pro vobis eſt.*

IN CAP. VIII.

ſanant à vulnere idololatriæ] *præpoſitionem ex MS. adiecimus: ſed quæ diuerſam alioqui habent lectionem. ſic enim legunt*: à vulnere idololatriæ vel infidelitatis non curant. *Verùm iam non conſtat ſibi Antitheſis.*

non ceſſat miſericordia Dei] *Phraſis eſt Aphricana, cuius non infrequens & alibi eſt apud Auguſtinum vſus. Sic lib. 2. contra Petilian. cap. 20. doctrina veſtra non ceſſat quotidianis exemplis. Eſt tamen vbi & infinitiuum addat, vt Collat. 3. cap. 18. Conſuetudo frequentare non ceſſat.*

Itaque in ſacramenti ſanitate, quia contra nos non ſunt] *loco* quia, *erat* qui. *& mox*, quicquid cum Chriſto non colligunt; *ſic MS. quanquam malim*, quia. *Cum MS. vtrobique conſentit Amerb.*

IN CAP. IX.

ſi vnum quidem defuerit] *MS. legunt*, quiddam.

& ſciero omnia ſacramenta] *ſic MS. quam lectionem temere quidam immutarunt, pro* ſacramenta, *legentes* ſecreta. *Sed alteram germanam eſſe, atque ita ſcripſiſſe Auguſt. non modò ex ſequẽtibus eius verbis, verùm etiam ex aliis eius locis cognoſci poteſt, vbi ſimiliter locũ hũc 1 Cor. 13. citat, conſentiẽtibus etiam excuſis, vt infrà cap. 18. lib. 3. cap. 16. lib. De vnico baptiſmo cap. 7. De vnitate eccleſiæ cap. 23. ſer. De geſtis cum Emerito. De gratia & lib. arbit. cap. 17. Tractat. 76. in Ioannem. Tractat. 5. in eiuſdem canon. Epiſt. 50. ſimiliter citarat ante eum & Ambroſ. lib. de Paradiſo cap. 14.*

Quid ergo ei prodeſt ſi & linguam] *copulam ex MS. adiecimus.*

IN CAP. X.

Neque enim ſeparatio earum] *ſic rectè MS. pro* eorum: *præceſſit enim quod refert*, communionibus.

ſed quia ei charitas defuit] *ex MS. adiecimus* ei.

alius autem, ego Apollo] *In vulgatis addebatur*, ego autem Cephæ, &c. *ſed non legunt MS. ſed neque Apoſtolus quoque. quare inducendum putauimus.*

IN CAP. XI.

cùm inſufflante Domino datus eſſet diſcipulis (Spiritus ſanctus) tunc ſecutus eſt & ait, Baptizate gentes in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei; ſi cui tenueritis, tenebuntur. *Permiſcentur duo euãgeliſtarum loca, alter Ma[...]h. 28. alter Ioannis 20. nec eodem tempore, nec eadem de re dicta. Na[...] illud ad Baptiſmi pertinet ſacramentum, hoc ad Pœnitentiæ ſeu Ab[...]utionis; ſed qui error eſt non Auguſtini, verùm Donatiſtarum, ex [...]orũ hac perſona dicũtur, ſecutorũ hac in re Cypriani vt errorem, ita [...]m rectam quoque germanamq́ue ſcripturæ huius interpretationem, vt [...]idere licet in epiſtola ad Iubaianum. Non refellit quidẽ eam hic Aug[...]. ſcripturarum confuſionem & commentarium; ſed ſatis habet Donatiſtis oſtendere, ſcripturam iſtam etiam iuxta eorum intelligentiam, nihil eis ſuffragari; diſſimulans interim germanam eorum verborum expoſitionem. Id quod illi contra Donatiſtas imperitos ſcripturarum interpretes, frequentiſſimum eſt. Idem reſpondendum ad locum lib. 7. contra Donat. cap. 12. & ſup. lib. 2. contra Parmenian. cap. 11. Non ignoro tamen Cyrillum lib. 12. in Ioannem, cap. 56. locum Ioannis 20. & ad baptiſmum & pœnitẽtiam referre; ſed accommodatione quadam tantùm; & omnino doctiſſimè D. Pacianus in tractatu contra Nouatianos (qui hoc commentario eludere conabantur & euertere Pœnitentiæ ſacramentum) oſtendit locum hunc ad baptiſmum non pertinere.*

*Cæterùm in iiſdem Chriſti verbis rectiùs*, dimittentur, *legendum videtur, cum MS. quàm cum excuſis*, dimittuntur. *nam tametſi ita legant Græca, ſequentia tamen verba per futurum elata, idem hic tempus poſtulare videntur. quomodo & Pamelius epiſt. ad Iubaianum, locum hunc reſtituendum cenſuit. Similiter ſcriptum habes lib. 2. contra Parmen. cap. 11. & infrà lib. 3. cap. 18. etiam in vulgatis.*

vtrum vero Chriſti baptiſmate tinctus ſit] *nomen eſt* vero, *non aduerbium, quod additũ in excuſis accentus ſignificabat: opponitur enim falſo baptiſmo, qualem eſſe dicebant Donatiſtæ ab hæreticis collatum.*

IN CAP. XII.

& tamen cor eius in malitia vel ſacrilegio perſeuerans] *MS. legunt per ablatiuos* corde, & perſeuerante.

& veraci confeſſione purgetur] *ſic MS. pro* vera confeſſione.

vt quod ante datum eſt] *ſuſtulimus voculam*, ſed, *quæ his præponebatur, ſenſumq́ue turbabat.*

ſed non poteſt eum lux niſi perfundere tranſeuntem] *ex MS. adiecimus* eum.

Si ergo hoc dixerint] *Perperam*, Qui ergo.

valet tamen & apud eos hactenus] *Copulam addebant MS.*

Nam redire dimiſſa peccata, vbi fraterna charitas non eſt, apertiſſimè Dñs in euangelio docet de illo ſeruo, &c.] *Locus hic Euangelij occaſionem præbuit Scholaſticis doctoribus diſputãdi de reditu peccatorum ſemel remiſſorum: Hoc eſt, an peccata ſemel remiſſa propter ſubſequens peccatum rurſus ad mortem & pœnam æternam à Deo imputentur, non ſecus ac ſi remiſſa nunquam fuiſſent. Et imputari quidem docent Hugo de S. Victore in fine libri penultimi De ſacramẽtis, & Guilhelmus Pariſienſis in fine libelli De ſeptem ſacramentis: reliqui verò ſcholaſtici doctores argumentum hoc tractantes circa libri quarti Sẽtentiarum Petri Lombardi diſtinctionem 22. docent conſtanter vno ore omnes non imputari, nec irritam fieri donatam ſemel à Deo remiſſionem, quãtumcunque idem peccatum poſtea iteretur, vel noua perpetrentur: nec damnandum quemquam ob ea quæ ſunt ſemel condonata, ſed ob reliqua tantum deinceps perpetrata. Quam ſententiam habet & Proſper libro Reſponſionum ad Capitula Gallorum ca. 2. Qui recedit (inquit) à Chriſto, nunquam in id peccatum recidit quod eſt antè remiſſum, nec in originali peccato damnabitur qui fuit regeneratus; qui tamen propter poſteriora, ea morte afficietur quæ propter dimiſſa crimina ei debebatur. Ad Hugonis autem & Cancellarij Pariſienſis argumenta longum foret reſpondere, quorum ſolutionem à Scholaſticis repetere licebit. Ad argumentum verò ex parabola hac Matth. 18. cap. petitum reſpondent, hactenus redire, & imputari peccatum ſemel dimiſſum, quia redundet in ea quæ pòſt committuntur, reddens ea videlicet ob coniunctam ingratitudinem longè maiora & grauiora. Sed non eſt hoc propriè peccatum ſemel condonatum redire, quia hic non ipſum punitur, ſed poſterius tantũ admiſſum, licet prioris occaſione grauius atq́ue acerbius. vnde B. Auguſtinus aliam hic ſuggerit reſponſionem, quam miror neminem eorum attigiſſe: Peccata videlicet, debito illo decem millium talẽtorum ſignificata, non fuiſſe coram Deo verè remiſſa. Nam cùm eorum veniam debitor ille poſceret, habuiſſe aduerſus proximum ſuum occultum in corde odium, nec paratum fuiſſe acceptam ab eo iniuriam petenti condonare, qui latẽtem affectum oblata mox occaſione prodiderit. quare mirum non videri, ſi pòſt in Dei iudicio vniuerſa eius peccata ab eo exigantur. Vbi obſeruandum, remiſſionem, de qua in parabola dicitur, Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me, ſic ab Auguſtino accipi, vt facta intelligatur, quantum ex parte ipſius Dei. Is enim ſeruo illi per Eccleſiæ ſuæ miniſtros ſacramentum adhibuerat, per quod ei peccata remitterentur, ni per ipſius malitiam præſtitum fuiſſet impedimentum quo minus effectus ſequeretur. Rediſſe ergo debita & peccata eius hoc ſenſu dici poſſe ſentit Auguſtinus, quia cũ remiſſa ſibi ea ſeruus putaret, & quantũ ad Deum atq́ue Eccleſiam attinet, remitti verè potuiſſet, & ſanè remiſſa fuiſſent, in Dei tamen iudicio deprehendet ſe adhuc iis implicitum eſſe ac omnium reum, non ſecus ac ſi nullum ei remiſſionis ſacramentum adhibitum fuiſſet. Quæ reſponſio admodum probabilis eſt, vt in illa parabola agatur de negata proximo venia, non poſt, ſed ante acceptam vel petitam à Deo remiſſionem, & hoc paradigmate illuſtretur illud orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: atque epiphonema cap. 18. apud Matthæum, Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris, idem ſit cum eo quod apud eundem cap. 6. Dominicæ orationi ſubiungitur: Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis delicta veſtra. Et apud Marcum cap. 11. Cùm ſtabitis ad orãdum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem; vt & pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra: quòd ſi non dimiſeritis, nec pater veſter qui in cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra. Cæterùm loco illorum verborum*, Dominus in Euangelio docet, *perperam prius legebatur*, docet in Euãgelio, *omiſſa voce* Dominus.



& quicquid ſupra eſt, ſoluitur] *ſic MS. vt tẽpus ſignificetur, quod heſternum diem anteceſſit; vnde mox ſubijcitur*, etiam ipſa hora momentumque. *Prius erat*, quicquid ſuper eſt.

redeuntibus omnibus quæ dimiſſa ſunt peccatis] *illud* peccatis, *non legunt MS. vt nimirum & iſta referantur ad dies, horas, momenta. Nos tamen veterem lectionem reliquimus.*

IN CAP. XIII.

quanquam etiam iniquos inimicos diligere iubeamur] *illud* iniquos *non legunt noſtra MS. Habet tamẽ Amerb. & reſpondere videtur ei quod eſt in Euangelio, perſequentes, videlicet propter iuſtitiam.*

quæ ſchiſmatici vel hæretici non aliter habent] *redundat conditionalis* ſi, *quam hic addebant excuſa.*

IN CAP. XV.

Eccleſia quippe omnes per baptiſmum parit, ſiue apud ſe, id eſt ex vtero ſuo; ſiue extra ſe de ſemine viri ſui; ſiue de ſe, ſiue de ancilla] *poſteriora hæc verba*, ſiue de ſe, ſiue de ancilla, *non ſunt in MS. & ſunt fortè ex margine in contextum tranſlata. ſi quis diuinandi locus foret, crediderim ita legi poſſe*: ſiue extra ſe, id eſt, de ancilla, vtique de ſemine viri ſui; ſiue de ſe, ſiue de ancilla. *Similis locus eſt ſermone De geſtis cum Emerito.*

vt iam diuinis pro ſeculorum diſtributione ſacramentis imbuti, adhuc tamen carnaliter ſapiant] *Commodior eſt hæc MS. lectio quàm excuſorum, quæ omittunt voculam* vt; *& pro ea paulò poſt addunt conditionalem* ſi, *leguntq́ue*, ſi adhuc tamen carnaliter ſapiunt.

Eccleſia verò, quod eſt populus Dei, etiam in iſtius vitæ peregrinatione, antiqua res eſt] *initium ſumens videlicet ab ipſo Adam & Eua.*

In quo ſenſu perſeuerans Apoſtolus dicit ad vetus teſtamẽtum pertinere] *De teſtamento veteri & nouo cùm iuxta ſcripturas diſputamus, non libros accipimus, quos veteris & noui teſtamenti rectius appellamus inſtrumenta, ſed Dei promiſſiones ac minas humano generi poſt peccatum factas, & earundem res ac effecta. Promiſit autem peccatorum remiſſionem, iuſtitiam, ac vitam æternam; minatus eſt mortem æternam in gehenna. atque hoc nouum eſt teſtamentum. Promiſit prætereà bonorum temporalium afflueñtiam, minatus eſt præſentis vitæ mala & incommoda, Dei ac legis eius cognitionem. Hoc vetus eſt, ſic appellatum, quod priori tempore fuerit reuelatum, & homines in priſtina peccatorum vetuſtate relinquat. Nouum verò quod poſterius manifeſtatũ, & homines innouet, nouosq́ue faciat. Vnde noui teſtamenti filij vocantur qui per Chriſti gratiam accepta remiſſione peccatorum iuſtè iam viuunt, continuo progreſſu ad vitam æternam tendentes. Veteris, qui abſtinent quidem ab externo opere peccati, ſed cupiditate ſola bonorum terrenorũ, aut eorundem amittendorum metu, aut ſolo etiam gehennæ timore, nullo intus amore iuſtitiæ. Qui verò liberè, nullo nec metu Dei coërciti, peccatis indulgent, neque vel ab externo ſaltem peccati actu abſtinent, ad neutrũ pertinent teſtamentum. Tractat idem argumentum Auguſt. lib. 3. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 4. lib. De ſpirit. & lit. cap. 20. Tractat. 65. in Ioannem.*

ſed concupiſcentiæ tales non ceſſarunt] *pro* tales, *fortè legendum* carnales.

ipſo profectu & acceſſu] *MS. quædam legunt*, ipſo profecto acceſſu. *nos veterem lectionem retinuimus.*

ex hac vita rapiuntur] *ita rectius cum MS. quàm* rapiantur; *vt reſpondeat ei quod præcedit*, ſi autem proficiunt.

IN CAP. XVI.

per ancillarum vterum parit] *ſic MS. id mutarat quiſpiam in* ancillarem: *nam & priorem lectionem habet Amerb.*

IN CAP. XVII.

ſiue in area in ſua ſterilitate] *in excuſis deerat præpoſitio*, in, *ſecundo loco poſita.*

in ſua ſterilitate perſeuerent] *ſic MS. numero plurali, non ſingulari, vt excuſa; refertur enim non ad carnem de qua proxime antè, ſed ad eos qui intus verſari videntur.*

tanquam vento extra tollantur] *Et hic minus rectè ſingularis erat numerus. ſed cùm ad eos verbum hoc referatur, paulò antè foris eſſe dicuntur. iuxta MS. plurali opus eſt numero.*

Et ſemper ab illius columbæ] *Periodus hic noua eſt facienda.*



quia & cum aliqua vel peruerſitate, vel neceſſitate hominũ videntur expelli] *Inſignis locus pro innocentum conſolatione, qui interdum præter ſuum meritum improborum factionibus excommunicantur. Similis locus eſt apud Auguſt. de vera religione cap. 6.*

Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ ſacrificio dicitur, Aues autem nõ diuiſit] *Myſterium hoc latius explicatum habes ſerm. 54. De tempore, tomo vltimo.*

IN CAP. XVIII.

donec vniuerſali concilio] *Nicæno videlicet, de quo ſup. in cap. 7.*

quid hac in re ſequendum eſſet] *id commodius, quàm* ſentiendum, *quod legebant excuſa.*

tanto viro nimirum propterea Dominus non aperuit] *Egregius locus cur Deus magnos quoſdam viros permittat in errores quoſdam labi, vt nec ad mortem quidem vſque veritatem ei reuelet. Alias addit rationes infrà lib. 2. cap. 5. ſed quæ viuentibus conueniant.*

& per cæteram iuncturam] *manuſcr. legunt*, & per cætera, iuncturâ.

quod incultum agricola non relinquit] *pro* reliquit. *Cum MS. conſentit & Amorb.*

& paſſionis falce purgatum] *rectius abeſt verbum* eſt, *quod hic addebant excuſa, nec legunt MS.*

IN CAP. XIX.

Nimium miſeri] *ſic MS. pro*, Nimirum miſeri.

Eſt quidem quod Chriſti baptiſma vbique ſanctum eſt] *ſic conſtanter MS. pro eo quod erat*, Eſt quidẽ Chriſti baptiſma quod vbique ſanctum eſt.

## IN LIBRI SECVNDI DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS CAPVT I.

cùm ab eo libro] *pronomen* eo, *ex MS. addidimus.*

Cyprianus in epiſtola ad Quintum ita loquitur] *Extat in vulgatis exemplaribus tom. 2. Cypriani, ſed vbi non rectè legitur Quirino vel Quintino fratri. Apud Pamelium epiſt. eſt 71.*

ſibi potius oportere] *Sic cum MS. legit & Cyprianus.*

& rationi legitimæ] *perperam* ratione.

Puto quòd ſine vlla ſui contumelia] *In Froben. deſiderabatur* ſui, *quod non MS. modò, ſed & Amerb. & Gratianus quoque locũ hunc in Decretis citans, concorditer legunt.*

Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet epiſcopatui præferendum?] *Paulum diuerſa eſt MS. lectio, quæ habẽt*, principatu cuiuſlibet. *Gratianus cum excuſis conſentit.*

& à corona differtur] *ex MS. præpoſitionem adiecimus.*

ad martyriũ prouehitur] *MS. & Gratianus legunt* promouetur: *ſed reliquimus alteram lectionem quam habet etiam Amerb.*

pacis vnitate] *ſic MS. pro quo erat*, pace vnitatis. *Similem locutionem habes & infrà lib. 6. cap. 5. & initio libri De vnitate Eccleſiæ. quã quam & alteram legis lib. De vnico bapt. cap. 14.*

IN CAP. II.

Cùm in vnum Carthagine cõueniſſent] *ſic MS. & Cyprianus, non* Carthaginem.

cum presbyteris & diaconibus] *ſic conſtanter MS. & Cyprian. non* diaconis.

coëpiſcopus noſter ſcripſerit] *ſic rectè MS. pro eo quod erat*, reſcripſerit.

Neque enim quiſquam noſtrum epiſcopum ſe eſſe epiſcoporum conſtituit] *Abutuntur hoc loco hæretici aduerſus Romani pontificis primatum; ſed admodum imperitè, cùm de collegis tantum ſuis Africanis loquatur Cyprianus, quos non vult vel ſua vel cuiuſquam illic authoritate vel metu impediri, quin quod ſentit liberè dicat. Alioqui quàm de Romani pontificis præeminentia non malè ſentiant vel Cyprianus vel Auguſt. ex variis eorum locis ſatis eſt manifeſtum. Et illius quidem lib. 1. epiſt. 3. lib. 2. epiſt. 9. lib. De vnitate Eccleſiæ ſeu de ſimplicit. cler. Huius verò epiſt. 162. & 92. lib. 1. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 1. lib. 2. De baptiſ. contra Donat. cap. 1.*

quando habeat omnis epiſcopus] *ſic rectè MS. pro* habet. *conſentit & Cyprianus.*

tamque iudicari ab alio non poſſit] *pro* tanc[...]am.

quàm nec ipſe poteſt] *pro* quã, *perperam legeb[...]r* quomodo.

qui vnus & ſolus habet poteſtatem] *ita legunt i[...]rà cum excuſis & MS. lib. 3. cap. 3. quod malim, quàm quod hoc loco [...]t & in MS. & impreſſis*, qui vnus eſt ſolus habens.

IN CAP. III.

Quid ad hæc dicitis? Vos certè] *Ita rectius, quàm in vulgatis*, Quid ad hæc dicitis vos? Certè, &c.

doctiorem que prudẽtiam] Sic MS. quod magis placet, quã quod prius legebatur, doctiorumque.

ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari] in facti videlicet, non fidei negotio.

IN CAP. IIII.

vniuerſi orbis authoritati] perperam legebatur, authoritate.

& fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus] Id Venerabilis Beda libello 8. quæſt. quæſt. 5. neſcio quem ſecutus authorem aſſerere non dubitat.

Neque enim omnia quæ illo tempore] Præpoſitio in, quam addebant excuſi, neque in MS. neque in Amerb. legitur.

niſi primò diutius per orbis terrarum regiones] idem obſeruatum contra hodiernas hæreſes ante Tridentinum concilium.

donec ad verum liquidúmve perueniatur] in excuſis tantum erat, liquidum.

IN CAP. V.

Quibus autem reuelat cùm voluerit, ſiue in hac vita, ſiue poſt hanc vitam, niſi ambulantibus in via pacis, &c.] De catholicis enim & pacificis eccleſiæ filiis hoc Apoſtoli ad Philippenſ. dictum eſt intelligendum, quemadmodum ait Auguſt. lib. 2. ad Bonif. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 3. non hæreticis vel ſchiſmaticis. Porro MS. quædam pro reuelabit, legunt p ſſim reuelauit; ſed nos vulgatam retinemus lectionem, etiam Græca lectione ſuffragante.

Ideóque Apoſtolus cùm dixiſſet] ſic commodius MS. quàm excuſa quæ habent, Ideo.

IN CAP. VI.

ſuper eos eſſe crederent] Ita MS. pro ſupereſſe crederent. Alteram lectionem habes et infrà cap. 7. Quomodo ergo ſine baptiſmo non ſuper eos remanſerant ſcelera eorum? ſimiliter & lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 14.

ſi vera illi ſentiebant, ab iſtis non contaminabantur] hæc verba deerant in excuſis: legunt autem conſtanter MS. quæ quanquam à prioribus non admodum differre videntur, tamen ad alios & alios in Cypriani concilio epiſcopos referenda ſunt.

innocens eſt orbis terrarum] verbum eſt adiecimus ex MS.

ſed à Domino appenſa recognoſcantur] perperam legebatur prius, appenſare cognoſcantur. Rectam lectionem habebat etiam Amerbach.

Tẽpore illo quo Dominus priora delicta] Exaggerat ſchiſmatis grauitatem per collationem. Imitatus videtur Optatum lib. 1. & Cyprianum lib. De vnitate Eccleſiæ: qui idem argumentum tractat lib. 1. epiſt. 4. & 6. lib. 3. epiſt. 9. denique epiſt. ad Iubaianum de hæreticis baptizandis. Auguſtinus verò præterea lib. 1. contra Donat. cap. 8. Epiſtola 162. & lib. 1. contra Parmen. cap. 4.

idololatria gladio punita eſt] ſupereſt copula &, quam hic præponebant excuſa.

à talibus ſacrilegis venientes] pro eo quod erat non rectè, à talibus ſacrilegiis. MS. & Amerb.

ſed conficti traditores] Pariſ. editio legit non rectè, conuicti.

IN CAP. VII.

reſpondere. Sic volumus] Germanam hanc eſſe lectionem, ex ſequentibus eodem hoc cap. & 10. vbi eadem verba repetuntur, facilè intelligi poteſt. Prius erat, reſpondere ſi volumus.

Tu quis es qui iudices alienum ſeruum] pro iudicas; ſic enim infrà non ſemel.

dictum non intelligunt] Ita legunt MS. pro quo erat, dictum intelligitur. Alterum magis facit ad reprehenſionis acrimoniam.

Cur autem ipſe Dominus dicit, Nolite perſonaliter iudicare] Locus eſt Ioan. 7. pro quo nos legimus, Nolite iudicare ſecundum faciem. Alteram verſionem habes & aliis locis apud Auguſt. vt conc. 26. in Pſalmum 118. Imperita ergo & indocta eſt hic in Pariſ. editione marginalis annotatio, Non eſt in Euangelio.

rodunt murmura ſalebroſa, ſic volumus] Lutetiana legunt non rectè, calebroſa.

Cùm autem infirma ouis in ſolitudine aſpicitur] ſic cum MS. etiam Amerb. prius erat deprauatè, ſolicitudine.

Bonus homo eſſes, ſi non eſſes traditor] illud prius, eſſes, addebant MS.

O improbam rabiem. cùm Chriſtiano dicitur, eſto Chriſtianus, quid ali d dicitur, niſi nega te Chriſtianum] hũc locum partim ex MS. pa tim ex Balduino caſtigauimus, qui pro eo quod erat in vulgatis, ſe n gare Chriſtianum, vidit legẽdum eſſe, nega te Chriſtianũ. Ex 3. verò dicitur, repoſuimus pro docetur; quanquã altera voce & pa ſpoſt vtitur. Similem locum habes tract. 5. in Ioãnem apud eundem A guſt. Cæterùm miram hinc diſcimus Donatiſtarum fuiſſe arrogantiam, qui neminem præter ſe Chriſtianum cenſebant, nec ad cõmunionem & baptiſmum ſuum quenquam admittebant, niſi ſe faterẽtur ethnicos hactenus & infideles fuiſſe, pœnitentiam agerent, & fierent eorum catechumeni. Qua de re Optatus lib. 2. & tertio Auguſt. conc. 2. in Pſal. 31. lib. 1. contra Petil. cap. 12. lib. 2. contra Creſcon. cap. 5. De vnit. eccleſiæ cap. 11.

quid aliud docere cupiebant illi Chriſtianorum perſecutores?] ex MS. adiecimus illi.

corrigere quod prauum eſt] perperam, paruum.

Quam conſuetudinem, credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa quæ non inueniuntur in literis eorum, neque in conciliis poſteriorum, & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur] Luculentum teſtimonium pro nõ ſcriptis Apoſtolorum traditionibus, cuiuſmodi habes & aliis apud eundem locis, vt infrà lib. 4. cap. 6. lib. 5. cap. 26. Et ſupr. lib. 1. cap. 23. lib. 10. De Geneſi, ad literam, cap. 23.

ſicut multa quæ non inueniuntur] illud quæ, ex manuſcr. addidimus.

Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuũ dicit ſanctus Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi] Primus ergo repetendi hæreticorum baptiſmi Agrippinus auctor fuit, quod etiam clarius ait infrà lib. 3. cap. 2. & 12.

qui maluerant aliquid nouum moliri] ſic MS. pro maluerunt.

IN CAP. VIII.

quid ſentiret liberius exprompſiſſe] cùm ſic legant non tãtum MS ſed Amerb. quoque & Lutetiana editio, miror quis in Frobenian. libentius, legendum potius putarit, quàm liberius.

& retentæ quæ amabatur, vnitatis] vocula, quę, deſideratur in editione Pariſienſi.

per concilij ſententias deſerere tentauiſſet] Hanc lectionem MS. ad marginem habebant adſcriptam, quæ nimirum germana eſt, pro qua erat, diſſerere.

IN CAP. IX.

& librata concilij communis examinatione] Pariſienſ. pro librata, legunt liberata.

ſalutarem fidei & catholicæ eccleſiæ congruentem] in MS. noſtris aberat copula. Cyprianus autem ſic legit, & ſalutarem fidei, & catholicæ eccleſiæ congruentem.

ſatis oſtenditur & ipſius Cypriani verbis] pro &, excuſa legebant ex: nos MS. lectionem prætulimus.

concilium Agrippini commemorat] MS. conſtanter legunt, Agrippinum; ſed nos priorem lectionem reliquimus.

IN CAP. X.

Num quid hic reſtat] In Pariſienſ. non rectè, hoc reſtat.

Et qui iam pro vnitate Donati] pro qui, erat quia.

quia ſententiã flectit aduerſus iniurias] ſic MS. pro inflectit.

Hæc eſt noſtra exhortatio] In MS. non erat enim, quod hic addebant excuſa.

IN CAP. XI.

& dum reprehendi ad tempus timent] illud dum, non erat in manuſcr.

denuo baptiz rent] pro rebaptizarent.

participamini nobiſcum vnitatem, participemur vobiſcũ dolorem] participor, pro participo, nouè dictum.

IN CAP. XIII.

& eos qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi ſunt] ſic MS. quomodo habet etiam Cyprianus, pro eo quod erat, & eos qui in Eccleſiam venientes ſimpliciter admiſſi ſunt.

IN CAP. XIIII.

Ipſa denique eccleſia ſic traditum tenet, vt hominem ſine baptiſmo ad altare prorſus non poſſit admittere] ſic & lib. 1. De peccat. merit. & remiſſ. cap. 20. Ad ſacramentum ſanctæ menſæ, inquit, ritè nemo niſi baptizatus accedit. Et Iuſtinus apolog. 2. ad Antoninum: Alimentum hoc, inquit, apud nos appellatur euchariſtia; quod nulli alij participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lauacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Chriſtus tradidit viuenti. ſimiliter Cyrillus lib. 12. in Ioannem, cap. 50. Regulam, inquit, accepit Eccleſia, prohibemus enim à ſacra mẽſa catechumenos, quamuis veritatem iam cognouerint, & fidem magna voce confiteantur, quia nondum locupletati ſpiritu ſancto, qui non habitat niſi in eis qui baptiſmate conſummati ſunt. Vnde cùm baptiſmum receperint, quia ſpiritus ſanctus habitare in illis creditur, à tactu et communione ſalutaris Chriſti corporis non prohibetur. Et Beda lib. 2. cap. 5. hiſt. eccleſ. Nequaquam fieri poteſt, vt abſq; purgatione ſacroſanctæ quis oblationi ſacroſanctæ communicet. Neque verò à ſumptione tantum euchariſtiæ, verùm etiam à conſpectu prohibiti olim catechumeni fuere, vt teſtis eſt Baſilius De ſpiritu ſancto cap. 27. Auguſt. tract. 11. & 96. in Ioannem. Concil. Carthagin. 4. cap. 84. Quin ea erat in celando hoc ſacramento veterum Patrum religio, vt in publicis concionibus à quibus



à quibus nec Pagani, nec catechumeni arcebantur, non niſi parciſſimè tectiſſimeq; de eo loquerentur. Hinc frequenter occurrit apud Auguſt. ſacramentum quod norunt fideles, vt lib. 10. De ciuitat. Dei, cap. 6. In Pſal. 21. 39. & 109. Chryſoſt. homil. de proditione Iudæ. Vide & Dionyſ. Areopagit. lib. De eccleſ. hierarchia.

ex ipſa pacis compenſatione miteſcere] ſic MS. & Amerb. pro & ipſa.

IN CAP. XV.

non rectè rebaptizabantur] ſic MS. pro baptizabantur.

in vnitate manſerunt] redundat negatio quæ in excuſis additur. Nam eorum exemplo eos inuitat, vt in eccleſiam redeant.

# IN LIBRI TERTII DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS CAPVT I.

nulloque modo violandam] in excuſis deerat copula, que.

etiam malis & ſacrilegis admiſſis] MS. legunt, ſacrilegiis, ſed magis placet excuſorum lectio.

IN CAP. II.

ſi adſequi & oſtendere non potuero] Ita eſt hic noua periodus inchoanda: reſpondet enim illi quod ſequitur, in eccleſia manebo ſecurus.

quando niſi ad priſtinam conſuetudinem] In excuſis deerat, quando alterum moliri concilium non eſſ t neceſſe Cypriano, nunquid non erat eccleſia] ſic MS. pro quo prius perperam legebatur, alterum concilium neceſſe eſſet Cypriano. Nunquid non erat eccleſia.

& hæreditas Chriſti non interrupta perierat] ſenſus eſt, non perierat per interruptionem. Iam & ſuprà ex Auguſtino admonuimus, ita perpetuam eſſe debere Eccleſiæ ſucceſſionem, & cohærentem ſibi vnitatem, vt ſi ſemel interrumpatur, perire neceſſe ſit.

in eadem conſuetudine permanere, quæ tũc bonos & malos, &c.] MS. conſtanter legunt, in eadem cõſuetudine per quam bonos & malos.

in eius eccleſiæ communione] Ex MS. adiecimus eius.

ſi iam tũc eccleſiam recepti] accuſatiuus hic regitur à verbo perdiderunt, quod paulò poſt ſequitur. Id non ſatis animaduerſum videtur occaſionẽ quibuſdam præbuiſſe vt locum hunc ita legendum putarent, in eccleſia recepti: ſed falſi ſunt. Cum MS. conſentit etiã Amerb. ſic paulò infrà, perdidit eccleſiam malorum communio, id eſt euertit ac ſuſtulit.

ſicut ipſe ſenſit] ſic MS. & Amerb. pro ſentit.

non habent ſuæ præciſionis aliquam defenſionem] Ex MS. adiecimus ſuæ.

IN CAP. III.

Nunc ergo nos manentes, exemplo Cypriani] Ita MS. pro eo quod erat, manentes in exemplo. Sentit enim de non relinquenda eccleſia Cypriani exemplo.

conſideremus etiam conſilium Cypriani] fortè, concilium.

coëpiſcopus noſter ſcripſerit] non reſcripſerit. Nam Cyprianũ Iubaianus per literas conſuluerat, ad quas Cyprianus ipſe reſponderat. Cum MS. faciunt etiam Cypriani exemplaria.

ſed & inſtructum ſe eſſe gratias egit] perperam ſtructum.

aut tyrannico terrore] pro eo quod erat errore.

collegas ſuos adigit] ita & MS. & Cyprian. prius erat adegit.

tamque iudicari ab alio non poſſit] ſic MS. conſentiẽte Cyprian. perperam erat, tanquam.

quàm nec ipſe poteſt alterum iudicare] in excuſis pro quàm, legebatur quomodo; ſed alteri lectioni ſuffragantur non ſolùm MS. ſed & Cypriani lectio, & ipſa textus conſequentia.

Neque enim mentiebatur] Auguſtinus lib. 3. cõtra Creſcon. cap. 2. Donatiſtas reſpondere hic ſolitos refert, ideò Cyprianum ita loqui voluiſſe, ne fortaſſe cæteri excommunicationis metu perterriti, non auderent liberè dicere quod ſentirent, non quia cum eis, inquit, in communione manſurus, ſi diuerſa ſenſiſſent. Et addit, vbi apertè dicitis, Cyprianum eſſe mentitum. Idem attingit & infrà lib. 6. cap. 7.

CAPVT IIII.

Quid ad Iubaianũ ſcripſerit Cyprianus, iam legi fateor] Hæc legitima eſt huius loci lectio & diſtinctio. prius erat, quid ad Iubaianum ſcripſerit Cyprianus. Iam legi fateor.

qui mihi nullo modo] excuſa addebant quoque, ſed redundat, nec legunt MS.

quanta mihi etiam ipſius Cypriani literę ſuggeſſerint] ſic MS. pro ſuggeſſerunt.

dum iſta pertracto] ſic rectius MS. quã pertractabo, vt excuſa.



ſine baptiſmo admiſſi ſunt?] Ita & MS. & Cyprianus; pro admiſſi ſint.

quia illi qui admittebant] pro mittebant.

IN CAP. VI.

Itaq; veritate manifeſtata] Ita etiam Cyprianus: ſic legis & paulò poſt, ac infrà lib. 6. cap. 37. prius legebatur manifeſta.

Planè quis dubitet] ſic MS. pro quo erat, Planè reſpõdeo. Quis dubitet. Neque enim hic verba Liboſi refellit, ſed pro ſe adducit.

IN CAP. VII.

Item Zoſimus à Taraſſa] pro, Idem Zoſimus.

Noluit quidem iſte] & hic redundat in excuſis verbum Reſpõdeo, ex margine in contextum indoctè inſertum.

ſi potuit aliquid etiam Paulus] pro, ſicut potuit.

quam Paulo Apoſtolo doctore didicimus] ſic MS. & Amerb. pro quod Paulo.

IN CAP. VIII.

Si ratio, ſi veritas, optimè] addebatur & hic in excuſis, Reſpõdeo, ſed redundat, nec habent MS.

Interim aliam fuiſſe conſuetudinem] ita hic locus diſtinguẽdus.

IN CAP. IX.

Itẽ Honoratus à Tucca] Nõ rectè Pariſ. Actuca, pro à Tucca.

His omnib. ſentẽtiis] ſupereſt & hic in excuſis vox, Reſpõdeo.

ſi autem veritas id aperuerit] pro aperuit. MS. conſentit etiam Amerbach.

roboratam, & vigilantius etiam] Peruerſa erat excuſorum lectio, roboratam. Et Vigilantius etiam.

IN CAP. X.

quando hoc apud eos conſtet eſſe illicitum] ſic præter MS. etiam Cyprianus.

Dicit ſanè de hac re non vnum, ſed duo vel amplius facta eſſe concilia] De rebaptizandis iis qui ab hæreticis eſſent baptizati, celebratæ ſunt à Cypriano ternæ ſynodi. Prima epiſcoporum Aphricæ tantũ ſeu Proconſularis prouinciæ numero 32. de qua apud Cyprian. epiſt. ad Iubaianum ac cæteros Numidas epiſcopos, & lib. 1. epiſt. 12. Altera epiſcoporum Aphricæ & Numidiæ qui fuere numero 71. Eius meminit Cyprianus epiſt. ad Quintum quæ eſt tomo 2. & ad Stephanum Romanum pontificem, lib. 2. epiſt. 1. Item ad Iubaian. quæ eſt apud Cyprianum tomo 2. Tertia epiſcoporum Aphricæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, qui conuenere numero 85. quorum ſingulorum ſententiæ extant ibidem apud Cyprianum.

Nouatianenſes rebaptizare eos, qui ad ſe ex Catholica venirent] Idem refert Dionyſius Alexãdrinus apud Euſeb. lib. 7. cap 7. Ambroſ. lib. 2. De pœnitent. cap. 5. Quòd Nouatianum à Nouato Aphricano accepiſſe probabile eſt.

IN CAP. XI.

aliud cur Catholica] Sic MS. pro catholici. ſequitur enim, Catholica verò non ideo debet iterare baptiſmum.

qui apud hæreticos datus eſt] pro qui, legebatur in excuſis quia.

quod intus cùm acceperunt] Ita MS. pro acciperent.

amittere vtique foras exeundo non poſſunt] pro poſſent.

ſicut error ipſorum eſt] hæc verba non legunt noſtra MS. extant tamen etiam apud Gratianum, de conſecrat. diſt. 4. cap. Nunc autem. Tolli tamen nõ incommodè poſſent, quandoquidem præcedat, ſicut hæreſis ipſorum eſt.

IN CAP. XII.

Ideò autem non ſe nouam aut repentinam rem] ſic MS. & Cyprian. in epiſt. ſua. quin & Amerb. repetiturq; ſimiliter paulò poſt etiam in excuſis. Prius pro aut, legebatur ac.

IN CAP. XIII.

quid mihi videretur] ſic MS. pro videatur.

non vt iam dimiſſa non retineantur] MS. & Amerb. legunt, vt verè dimiſſa non retineantur. Sed alteram præfero lectionem. Nam alioqui quod ſequitur, neque vt ille baptiſmus, non habet cui reſpondeat. Sentit autem baptiſmum illum non prius peccatorum remiſſionem operatum, quàm vbi qui eum foris acceperat, Eccleſiæ reconciliatur.

vt alter tradatur] ſic MS. pro aut alter.

Chriſti bonus odor] pro Chriſto.

& in iis qui pereunt] perperam perierunt.

nihil aliter credat] ſic MS. pro nihil aliud.

Quis autem niſi carnalis & animalis homo, per phãtaſmata] ſic rectius MS. quàm excuſa: Quis autem carnalis & animalis homo, non per phantaſmata.

per fallaciam ſuorum phantaſmatũ] perperam ph ntaſmum.

Quid ita? quia illa ſanctitas] ſic MS. pro quo erat, Q id itaque illa ſanctitas. In præcedentibus ergo verbis ſubintelligendum eſt Minimè, vt tunc ſubiungatur, Quid ita.

ſuper eum integra permanebat] non erat in MS. negatio, quã hic addebant

*addebant excuſa: ſed nec interrogationis nota in periodi fine.*

Illud enim in vnoquoque] *ſic* MS. *pro* quoque.

IN CAP. XV.

& opinionum carnalium vanitatem] *perperam* vanitate. *Recta lectio extat etiam apud Amerb.*

ſed quantum capit gubernãte illum] *ita rectius cum* MS. *quàm cum excuſis* illa.

quia ipſe prouectus eorum intercluditur] *ita hic & paßim ferè* MS. *loco* profectus. *Quin & excuſa alius compluribus locus cum* MS. *conſentiunt, vt infrà lib. 4. cap. 22. & lib. 5. cap. 27. Item lib. 6. contra Iulian. cap. 29. Alterum à proficio; alterum à prouehor ductum; quo poſteriore libenter vtitur Auguſtinus, vt lib. 2. contra Donat. cap. 1. lib. De natura & gratia, cap. 70. lib. 4. ad Boniſac. cap. 11.*

Dum ſit, facta eſt mihi ſicut aqua mendax] *Illud* dum ſit, *non legitur alÿs locis apud Auguſt. vbi hæc eadem ab eo ſcriptura tractatur; vt lib. 2. cont. Petilian. cap. 102. Et lib. De vnitate eccleſ. cap. 23. Non tamen ſuſtulimus, eo quòd apud 70. ſit* γινομένη ἐγενήθη μοὶ, *facta facta eſt mihi. Recitat autem Auguſt. quod apud Cyprianum inuenerat; quomodo & illud* plaga mea ſolida eſt, *pro quo legere ipſe aliâs ſolet,* plaga mea valida eſt. *Certè Pamelius in ſua quoque editione addendum cenſuit.*

verba Hieremiæ] *ſic* MS. *pro eo quod erat* prophetiæ.

IN CAP. XVI.

Spiritus autem ſanctus quòd in ſola Catholica] *pro* quòd *excuſa legunt* quia.

nimirum intelligi maiores noſtri voluerunt] *In vulgatis erat,* nimirum hoc intelligi.

Non autem habent Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligunt vnitatem] *ſic* MS. *plurali numero.*

diuidens vnicuique propria prout vult] *ſic* MS. *quam lectionem immutarat quiſpiam ad noſtram vulgatam;* diuidens ſingulis prout vult, *cùm Græcè ſit,* διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, *diuidens priuatim ſingulis.*

quodlibet hæretici & ſchiſmatici accipiant] *id eſt, quicquid horum. In quem ſenſum adeò frequenter vtitur hac voce* quodlibet, *vt putidum ſit loca indicare.*

nec eius in omnibus] *ſic* MS. *pro* nec eſt in omnibus.

Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt] *Non hic iam loquitur de Confirmationis ſacramento, quod haud dubiè repeti non poteſt, non magis quàm baptiſmus, ſed de quadam reconciliationis cærimonia, qua hæretici & ſchiſmatici eccleſiæ reſtituebãtur. Quæ cur adhibeatur, cauſam reddit infrà lib. 5. cap. 23.*

IN CAP. XVII.

ſed per accipitrem baptizantur] *ſic* MS. *& Amerbach. pro* baptizentur.

non valebit. Nec in hæreſi aut ſchiſmate cõſtitutum ſanctorum orationes] *ſic rectius* MS. *quàm excuſa, in quibus erat,* nõ valebit, nec in hæreſi aut ſchiſmate conſtituto, &c. *Reſpondet enim quod ſequitur,* ſicut nec intus poſitum.

IN CAP. XVIII.

Ergo ſi perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictũ eſt, tanquam ipſi Eccleſiæ diceretur, pax eccleſiæ dimittit peccata.] *Non vno loco Auguſtinus promiſſiones, poteſtatem ac priuilegia Apoſtolis, in primis verò B. Petro conceſſa, data ei ait in Eccleſiæ perſona, cuius typum figuramq; gerebat. Quædam, inquit, in Pſal. 108. dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem ſenſum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonã, propter primatum quem in diſcipulis habuit; ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni cælorum. ſimilia habet tract. 50 & 224. in Ioannem, ſerm. 13. De verbis Domini, ſerm. 54. inter eos qui Louanÿ fuere excuſi. Epiſt. 165. lib. De agone Chriſt. cap. 30. lib. 2. Retractat. cap. 21. Et eum ſecutus B. Fulgentius lib. 2. De remiſſ. peccatorum, cap. 20. & lib. De fide ad Petrum diaconum, cap. 3. Quæ ſententiæ non ſic accipiendæ ſunt, quaſi nullam hic B. Petrus poteſtatem pro ſe ipſe propriè acceperit, ſed pro Eccleſia tantũ, velut nomine procuratorio; vel quòd eam Chriſtus primò & immediatè ipſi Eccleſiæ dederit, à qua deinde Petrus eiusq; ſucceſſores accipere deberent; verùm quod non pro ſe ſolo, ſed ſucceſſoribus ſuis omnibus, & cæteris eccleſiæ præfectis non intermorituram poteſtatem acceperit: eamq; non tam ſua priuatim, quàm totius Eccleſiæ cauſa, cuius ſolius vſibus ac vtilitati vniuerſum hoc eius ſubſeruiebat miniſterium. N[am] dona hæc gratiarum, totaq; poteſtas iſta eccleſiaſtica non tam haben[tibus] prodeſt, quàm aliis; nec tam illorum, quàm horum reſpectu & ca[uſa] donantur; vnde & miniſtrationes eas Apoſtolus appellat. Eccleſiam ergo ait Auguſtinus hanc poteſtatem accepiſſe, tum quia non erat cu[m] B. Petro intermoritura, ſed ad finem vſque in ſuis præfectis, ſucceſſ[or]ibus eius permanſura, tum quia tota Eccleſiæ ſolius vſibus ac vtilitati ſubſeruit. Cæterùm hoc intereſt inter hunc & reliqua illa Auguſtini loca, quòd ibi de nudo B. Petri miniſterio agat; hic de ſanctitate & iuſtitia; ibi totius Eccleſiæ typum & perſonam Petrus gerat, hic eius tantum partis, quæ iuſtorum & ſanctorum eſt. Eâ enim ſolâ precibus, lachrymis & gemitibus cooperatur Eccleſia remiſſioni peccatorum eorum quos Deo parturit. Nam de hoc remiſſionis genere Auguſtinum hic agere, paulò pòſt docturi ſumus. Sic tract. vltimo in Ioannem ait in B. Petro actiuam, in Ioanne contemplatiuam in Eccleſia vitam, figuratam eſſe; quòd vtique non niſi in bonis intelligitur.*

ſi cuius remiſeritis peccata, illi remittentur; ſi cuius tenueritis, tenebuntur illi] *ſic* MS. *& Cyprian. pro eo quod erat* remittuntur, & retinueritis. *de cuius loci lectione diximus aliquid ſupr. ad lib. 1. cap. 11.*

concordi obedientia proficientibus] *perperam erat* concedi: *cùm tamen ſynceram lectionem haberet etiam Amerb.*

per cuius gemitus peccata ſoluũtur; à cuius pace alienati tenebantur] *ſic* MS. *pro quo legebant excuſa,* per cuius eis gemitus peccata ſoluuntur, à cuius pace alienatis tenebantur. *Quam lectionem nec reÿcimus tamen.*

diuina ordinatione fundatis] *Non rectè Pariſ.* diuina oratione.

Non auarum, non turpilucrum] *ſic* MS. *quomodo & aliâs Auguſt. pro quo repoſuerat quiſpiam vulgatam noſtram lectionem,* non turpis lucri cupidum.

Remiſſam tamen peccatorum non dabant, *&c.* Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus, Si cui dimiſeritis peccata, dimittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur.] *Non agit hic Auguſt. de miniſterio remittendi peccata per ſacramenta, ſed de alio quodam peculiari modo remittendi quo per orationes, lachrymas, aliaq; pia opera cooperatur quiſpiam ad impetrandam peccatoribus veniam, qui haud dubiè ſolis in Eccleſia piis conuenit. Vnde & mater noſtra Eccleſia vocatur, quia precibus, lachrymis & gemitibus multis, velut moleſtis quibuſdam nixibus ſpiritales Deo filios parit. Vnde idem epiſtola 23. Tota, inquit, mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, hoc facit; quia tota omnes, tota ſingulos parit. Hanc Auguſt. eſſe ſententiam declarant verba ipſa coniuncta.* Remiſſam, *inquit,* peccatorum non dabant; quæ per orationes ſanctorum, id eſt per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet. *Et initio cap.* Pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio tenet peccata, non ſecundum arbitrium hominum, ſed ſecundum arbitrium Dei & orationes ſanctorum ſpiritalium, qui omnia diiudicant, ipſi autem à nemine iudicantur. Petra enim tenet, petra dimittit; columba tenet, columba dimittit; vnitas tenet, vnitas dimittit. *Et cap. 17.* An fortè per orationes ſanctorum ſpiritalium qui ſunt in Eccleſia, tanquam per columbæ creberrimum gemitũ magnum geritur ſacramentum, & occulta diſpenſatio miſericordiæ Dei, vt eorum etiam peccata ſoluantur, &c. *vſque ad finem capitis. Ex quibus verbis ſatis intelligi poteſt, quo ſenſu peccatorum remiſſionem per malos fieri aut donari neget. Eodem ergo pacto intelligenda ſunt quæ habet infrà lib. 4. cap. 4. lib. 5. cap. 20. 21. & 22. lib. 6. cap. 1. & 3. ſub finem, & ſerm. 16. De verbis Domini. Nam alioqui quod non detrahat ſacramentis per malos collatis vim ſuam, & remiſſionem ſanctificationemq;, quam ſacramentalem vocamus, ipſiſq; etiam malis remittendi, ſanctificandiq; miniſterium, liquet ex iiſdem illis locis, vbi ait adeſſe Deũ ſacramentis ſuis etiam per malos collatis, vt per ea operetur pœnitẽtium ſalutem. Lib. verò 2. contra Parmen. cap. 11. apertiſſimam habet ſentẽtiam, qua id oſtendatur; vbi cùm dixiſſet Eccleſiæ miniſtros non per ſemetipſos remittere vel retinere peccata, ſed per ſpiritum ſanctum, & ſpiritum ſanctum per eos, quo modo apud Matth. 10. dictum eſt, Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus qui in vobis eſt; ſubiungit:* Spiritus autem ſanctus, *inquit,* in Eccleſiæ præpoſito ſic ineſt, vt ſi fictus non eſt, operetur per eum ſpiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationẽ, qui per eũ ſiue conſecrantur ſiue euangelizantur; ſi autem fictus eſt, quoniam veriſſimè ſcriptum eſt, Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum; deeſt quidem ſaluti eius, vt auferat ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu; miniſterium tamen eius non deſerit, quo per eum ſalutem operatur aliorum.

Nec nos talia] *Pariſ. non rectè legunt,* alia.

IN CAP. XIX.

Quapropter magis hæreticis non cedimus, ſi quod habent] *ſic conſtanter* MS. *Prius erat* non credamus, ſed quod habent. *Cui lectioni occaſionem dediſſe videtur Amerb. apud quem erat,* non cedimus, ſed quod habent, &c. *quod cùm ſenſum nullum haberet, quiſpiam pro* cedimus, *putauit legendum* credamus. *ſimilis ferè locus eſt lib. 4. cap. 2.*

quæ Dei ſunt eis tribuere volumus] *perperam* nolumus. *Eſtq; in fine periodi nota interrogationis addenda.*

Licet quidem hoc de præuaricatrice] *Alia eſt* MS. *lectio:* Licet quidam



quidam hoc de præuaricatrice Iudæorum gente volunt intelligere. *Verũ cum excuſis rectius quadrat quod ſequitur,* ſed tamen quos alios, &c. *At contrà diuerſæ lectioni ſuffragari videtur; quod paulò antè libri huius finem, vbi eſt ad hanc ſententiam regreſſus, pro eo quod* MS. *conſtanter legunt,* ſi hæc de Iudæa gente figurabantur, *ſubſtituerit quiſpiam,* ſed hæc. *Iudicium penes lectorem eſto: nos excuſorum lectionem reliquimus.*

pſeudochriſtiani ſunt & antichriſti] MS. *Cambron. & S. Amãdi legunt,* non pſeudochriſtiani ſunt, ſed antichriſti: *nos alteram lectionem retinuimus.*

Credo quòd nondum foras exierant] *videlicet manifeſta & aperta ſeceßione; extra Eccleſiam ſeorſum colligentes. Sic enim intelligit Auguſt. Probabilior eſt autem eorum commentarius, qui Apoſtolum ad id tempus reſpexiſſe putant, quo Hymenæus & Philetus nondum erant à fide alienati, quo tamen tempore vaſa erant in contumeliam, ſicut Paulus cùm Eccleſiam perſequeretur, vas in honorem, nimirum ſecũdum diuinam prædeſtinationem; quẽm commentar. lib. 2. Retract. cap. 18. Ticonium ſecutus, magis ſibi placere ſcribit Auguſt. vt hic ſit Apoſtolici loci de magna domo, ſententia: Non eſt quod turbemur, ſi videamus huiuſmodi monſtra & dedecora ab Eccleſia eſſe profecta. Magna enim domus eſt, ſuntq; in ea omnis generis homines, in pietate ſummi, mediÿ, infimi; ex quibus tamen ſingulis aliÿ ad æternam gloriam ſunt prædeſtinati, aliÿ ad mortem & ignominiam. Itaque mirari non oportet fuiſſe in eccleſia Hymenæum & Philetum; nam quantumcunque magni aliquando & excellentes fuerint, aut putati ſint; tamen etiam tunc vaſa erant in contumeliam. Cæterùm hoc loco Auguſt. tempus illud accipit quo iam hæretici erant, & euertebant etiam multorum fidem, Cypriani authoritate permotus. Qua de re, tum quo ſenſu dici poßint in eccleſia eſſe hæretici, latius infrà ad lib. 4. cap. 12.*

Multum enim proficient ad impietatem] *ſic* MS. *pro eo quod erat* proficiunt. *Prior lectio etiam cum Græca conſentit.*

Et alia quidem ſunt in honorem] *ſic* MS.

& intercluſiones inanis ratiocinationis] *Ita* MS. *pro eo quod erat,* in variis ratiocinationibus. *Pariſienſia annotarant hanc ad marginem lectionem,* in vanis ratiocinationibus. *ſed veſtigia ſunt quædam primæ lectionis.*

Deinde ne ipſorum putentur] *ex* MS. *adiecimus,* ipſorum.

Et accepiſti veſtem meam verſicoloriam] *In Græcis et Hebræis eſt,* veſtem tuam: *genuinam hic tamen alteram eſſe lectionem ex eo liquet, quòd eam Auguſtinus ſuis paulò pòſt verbis repetat.*

& incenſum meum poſuiſti] *pro* impoſuiſti.

& ſimilagine, & melle, & oleo cibaui te] *rectius per accuſatiuum hæc reddita fuiſſent; anteceßit enim cui hoc cohæret,* Et panes meos quos dedi tibi: *ac mox iungitur,* & ſimilaginem, & mel & oleum quibus cibaui te. *Certè 70. per eum caſum extulerunt.*

Vt eorum illa eſſe deputentur] *ſic commodius* MS. *quàm,* vt illorum eſſe putentur. *quanquam huic lectioni nonnihil ſuffragatur quod ſequitur,* An quia illi errantes eorum eſſe iſta putant.

illa tamen quibus eandem fornicationem ornabat] *ſic* MS. *pro eo quod erat minus commodè,* quibus fornicationem ſuam: *iam enim præceſſerat* ſuam.

ſi hæc de Iudæa gente figurabantur] *ſic* MS. *& Amerb. Quam lectionem planè quoque videtur exigere, quod ei reſpondet paulò poſt,* quanto magis nos ſacramenta.

quia nondum eis ſucceſſerat ſacrificium, quod ipſe pòſt in Eccleſia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipſe prænunciabatur] *Manifeſtum hic habes teſtimonium ſacrificiÿ Miſſæ, quod ſucceßiſſe ait omnibus ſacrificiis veteris legis.*

non debemus ipſis tribuere] *ſic rectè* MS. *pro* ei tribuere; *loquitur enim de hæreticis & ſchiſmaticis.*

conſideranda remanſerunt] *In excuſis erat* remanent, *quod minus placet.*

# IN LIBRI QVARTI DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS CAPVT II.

& ideo non ad eam pertinent auari, raptores, fœneratores] *Frequenter his libris occurrunt hæ & ſimiles locutiones, quibus abutuntur hæretici docentes ſolos bonos & iuſtos eſſe in Eccleſia, & de Eccleſia. Sed non ea eſt Auguſtini ſententia: nã & mox etiam ex Cypriani authoritate ait eos intus in Eccleſia eſſe,* quos non tantum foris, *inquit,* ſed etiam intus eſſe multis literarum ſuarum locis Cyprianus ipſe teſtatur. *Vt ergo mẽtem Auguſt. rectè aſſequamur, annotandum eſt quod idem habet infrà lib. 7. cap. 51. vbi ait, quoſdam ita eſſe in Dei domo, vt & ipſi domus & templum ſint Dei; quoſdam verò ita eſſe, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem fructiferæ pacificæq; iuſtitiæ, ſed ſicut eſſe pale[a dic]itur in frumentis; vbi addit, nam & iſtos eſſe in domo negare non poſſumus. Et lib. 3. cap. 19. Mali, inquit, in eccleſia quidem ſunt, ſed ab illa inuiſibili charitatis compage ſeparati. Ex quibus verbis diſcimus duplicem eſſe modum exiſtendi in Eccleſia, & quendam quidem bonis iuſtiſq; proprium nec malis communem, quo videlicet ita ſint in eccleſia, vt ei nõ ſolùm per fidem & ſacramentorũ communionem, ſed & per veram Dei charitatẽ cohæreant. Plura enim ſunt eccleſiaſticæ vnitatis vincula, fides, ſpes, amor ſocietatis, ſacramẽta, vera & ſyncera charitas. Boni & iuſti omnibus nectuntur, mali Chriſtiani non item: ſed non quia vnum illud ſupremum & perfectiſſimum illis deeſt, ideo nulla parte cenſendi ſunt Eccleſiæ eſſe coniuncti. Quod tamen vinculum ſi ſpectes, rectè dici poteſt in Eccleſia malos non eſſe; vt qui non pertineant ad eius compagem quatenus charitatis vinculo nectitur; cæterorum ratione in Eccleſia eſſe veriſſimè dicuntur.*

transfigurans in ſe, vt ſanctus Daniël, peccata populi ſui.] *Danielem populi ſui peccata in ſe transfiguraſſe ita eſt accipiendũ, quod ex populi perſona loquebatur; cuius vtique & ipſe pars erat, eiſque coniungens, illius & ſua pariter peccata confitens & deplorans, vt ipſa ſcripturæ ſacræ verba quæ ſequuntur, declarant. Non ergo fauet hæc ſententia Pelagiÿ doctrinæ, qui non veraciter, ſed humiliter dictam hanc Danielis volebat orationem; quod damnatum eſt in Concil. Mileuitano, cui & Auguſtinus interfuit, canon. 7. qui & ipſe ex iis Auguſtini locis deſumptus eſt, quæ ſuprà citauimus ad lib. 2. contra Parmen. cap. 12. Similiter intelligendus ergo erit locus quem habes infrà lib. 6. cap. 31.*

quòd & vos ſimili forma ſaluos facit baptiſma] *Ita conſentiẽtibus Græcis* MS. *pro* fecit. *ſic & infrà lib. 6. cap. 28.*

IN CAP. III.

ſed vt veri Chriſtiani] *ſic* MS. *pro,* verè.

ſed hoc eis præſtaret vera conuerſio] *perperam Pariſienſ.* conuerſatio.

Interim aliquid videmus, vnde dictum arbitror] *ſic* MS. *prius erat:* Interim ad quod videmus. Vnde. *Quanquam videtur adhuc locus non carere omni prorſus ſuſpicione mendæ.*

Secundum autem eius præſcientiam] *ſic rectè* MS. *pro quo legebatur antè,* Secundum autem præſentiam qui, *&c.*

Et Deo quidem apud quem ſunt præſentia] *Perperam excuſa,* Et ideo quidem.

quod in præſenti eſt quiſq; hominum] *pro* cuiq; hominum.

mandata ſeruarent] *ſic* MS. *& Cyprianus, non* conſeruarent.

patrimonio & lucro ſtudentes] *ſimiliter* MS. *& Cyprianus, pro quo erat in excuſis,* patrimoniorum lucro.

recedite à me qui operamini iniquitatem] *Ita legis & infrà etiam in excuſis cap. 13. & 14. pro,* diſcedite. *ſed id minutius eſt.*

IN CAP. IIII.

Si per vim ſacramenti Dei] *Obſerua contra hodiernos hæreticos, quòd remiſſionem peccatorum per vim ſeu efficientiam ſacramentorum fieri aſſerat Auguſt. vt & infrà cap. 11.*

vt eorum peccato, qui tempore perſecutionis, per libellos ſe thurificaturos profeſſi erant, auaros comparare non dubitaret] *ſic* MS. *In excuſis pro* peccato, *erat* peccata. *Pro* per libellos, *erat* propter libellos. *Pro* thurificaturos, *erat* purificaturos. *Pro* auaros comparare, *legebatur,* auaris computare. *Obſerua hic autem Libellaticos qui olim dicebantur, de quibus & frequens apud Cyprianum mentio, libellos dare ſolitos, quibus ſe thuriſicaturos, ſi vrgerentur, profitebantur.*

cuius Dei templum fiat] *ex* MS. *adiecimus* Dei, *quod legit & Cyprianus.*

IN CAP. V.

Ignoſci enim poteſt ſimpliciter erranti, ſicut de ſeipſo dicit Apoſtolus] *Sunt qui putent illud Apoſtoli. 1 Tim. 1. Quia ignorans feci in incredulitate, aggrauantis eſſe peccatum, quomodo & Auguſtinus accipere videtur ſerm. 9. De verbis Apoſt. Hic tamen Cyprianum ſecutus facit eſſe extenuantis; ſimiliter lib. 50. homil. 21. in Pſal. 50. Etiã Tertullian. lib. De pudicit. Gregorius in 3. Pſal. pœnitentialem. Bernard. ſerm. 1. De conuerſione Pauli.*

non ſolùm doctus, ſed etiam docibilis] *Sic* MS. *& Cyprianus ipſe epiſt. ad Pompeium, vnde id depromptum eſt. Similiter citatur & in excuſis infrà lib. 5. cap. 26. Ergo & paulò poſt cap. hoc 5. vbi habes,* verùntamen quam docilis, *reponendum* docibilis.

ſicut dixi] *aberat,* dixi, *in excuſis.*

ad Antonianum ſcribẽs, vbi ait] *ex* MS. *adiecim[us] voculam,* vbi.

Sed ne fortè hoc faciat in hæreſi] *pro quo prius [no]n rectè,* Sed ne fortè hoc fiat, facit.

hæreticus neſciens auaro ſcienti] *in excuſis erat,* vt [h]æreticus: *ſed redundat vocula,* vt.

ad facilitatem veniæ ignorantiam pertinere peccati] *ſic* MS.

pro eo quod erat, ignorantium p   nere peccata.

testimonium poſuit ex Apoſtolo] in vulgatis deſiderabatur, teſtimonium.

IN CAP. VI.

Nec quiſquam dicat] ſic MS. & Cyprian. pro Ne.

Nec inueni   cur iſtam conſuetudinem, &c.] Locus hic totus à ſciolo quopiam deprauatus erat; nam primum, poſt cõſuetudinem, addiderat improbent; deinde pro tam robuſtam, legebat, quam tam robuſtam. Poſtremò illud, eius mutandæ authoritatem, ſic mutarat, eius mutandæ cauſa, authoritatem.

veriſimiles potius] ita conſtanter MS. quod ſimplicius eſt, & Auguſtino familiarius, quàm quod erat in excuſis, veri potius ſimiles.

Sed illa conſuetudo, quam etiam tũc homines ſurſum verſus reſpicientes non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur] Habes hic Apoſtolicarum traditionum & teſtimonium & regulam.

Et talia multa ſunt, quę longum eſt recenſere] Hanc lectionem illi præferendam putauimus quæ & in MS. & Amerb. & Lutetianis eſt, Et alia multa. ſimilem locum habes infrà alicubi.

Huc accedit, quod bene perſpectis] pro, quia bene.

IN CAP. VII.

B vt aliquid quod ad hanc rem pertineat, poſuiſſe oſtendatur. Verùm loquebatur de fratribus, ſiue inordinatè & contra Eccleſiaſticam diſciplinam, &c.] ſic MS. & Cyprian. excepto quod deeſt apud hunc vocula Verùm. Excuſa ſic legebant, aut aliquid quod ad hanc rem pertinere potuiſſet loquebatur. Loquebatur de fratribus ſiue inordinatè & contra Eccleſiæ diſciplinam ambulantibus.

Sed tamen omnia ſe patiẽter ſuſtinere] Ita & MS. & Cyprian. pro eo quod erat, ſe tamen omnia patienter.

non caſtè, & per inuidiam] In Frobenianis deerat copula, quam legunt tamen non MS. tantùm, ſed & Amerb. & Lutetiana.

IN CAP. VIII.

Legamus ergo epiſtolam Cypriani de zelo & liuore] Obſeruandum, tractatus qui vocantur apud Cyprianum in vulgatis exemplaribus, epiſtolas vbique ab Auguſtino dici, quia eas non ad populũ ipſe dixerit, ſed è ſeceſſu ſuo ad eum ſcripſerit.

C memorabiliter docet] MS. legebant, memoriter: ſed hoc minus etiam placet. Memorabiliter dixiſſe videtur, pro, quod eſt commemoratione dignum.

quàm vera, quàm fortia ſint, recognoſcimus.] illud ſint, non eſt in MS. nec legit Amerb.

cor eius penitus alienum] ſic MS. pro alienatum.

epiſcopum ſe epiſcoporum conſtituit] redundat infinitiuus eſſe, quem addebant excuſa.

Et in fine huius epiſtolæ] ſic MS. in excuſis erat capituli.

Hæc tibi breuiter] pro breuibus. ſic enim MS. & Cyprian. & infrà lib. 5. cap. 17.

Nos quantum in nobis eſt] Ex MS. adiecimus, Nos: quod legit & Cyprianus. habes & infrà lib. 5. cap. 17.

Propter hoc etiam libellum De bono patientiæ] Excuſa legebant, libellum hunc. MS. nunc. ſed apud Cyprianum neutrum extat neque hunc, neque nunc: neque additur infrà, vbi hæc repetitur ſententia lib. 5. cap. 17.

IN CAP. IX.

contrà quàm prædicabant, faciebant] In excuſis deerat, faciebant.

D fundos inſidioſis fraudibus rapere] perperam erat in excuſis, inſidioſis fratribus; cùm tamen rectam lectionem non modò MS. ſed Amerbachius quoque haberet.

pecuniam ſuam dat in vſuram] ſic MS. ſine negatione, vt ad id referatur quod ſequitur, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Conſentit & Amerb. excepto quòd vtitur verbo præteriti temporis, dedit ad vſuram. In vulgatis erat, non dedit ad vſuram.

non ſolùm ſua cupidè theſaurizarent] Ita rectè exempl. Gemblac. reliqua cum excuſis, cupiditate.

qui maleuolos & inuidos ſub eadem circa eccleſiam charitate ſuſtinuit] ſic MS. pro eo quod erat inuidos ſibi, eadem.

vnde ſunt in vnitate Chriſti, qui ſunt ex parte diaboli?] MS. legunt, non ſu  t, omiſſa interrogationis nota.

Sicut ergo   intus] copulam ex MS. adiecimus.

& hoc per  iſſus ſit propter Eccleſiæ ipſius peregrinationẽ, vt requies il  us patriæ, qua ſancti angeli perfruuntur, deſideraretur arder  ius] Inſignis locus cauſam reddens cur Deus tot malos filijs ſuis miſceri in hoc ſeculo patiatur.

igni deſtinata ſunt interiora zizania, ſic & exteriora zizania] Interiora zizania intelligit Chriſtianos malæ vitæ, ſed nec hæreticos,

A nec excommunicatos; iſtos verò exteriora. Priores ergo ſentit adhuc eſſe in Eccleſia.

ex eis ipſis qui receſſerant] prius erat, receſſerat.

De ſacramento autem cum quæritur] ſic MS. excuſa plurali numero, ſacramentis legebant. Sed de baptiſmo agitur. Vnde & paulò poſt, ſic euãgelicum Chriſti ſacramentum, &c. Verbum autem habeant, ad zizania, non ad ſacramenta pertinet.

ſed vtrum habeant aliquid cæli] non rectè prius zeli, de pluuia enim & rore loquitur.

IN CAP. X.

ſed quid hoc pertinet] ſic MS. pro, ſed qui. conſentit & Amerb.

Aut ſi zizania ea ſola dicenda ſunt] In excuſis aberat, ea.

illorum malignitate violatur] prius erat violatum.

ſicut & ipſius Cypriani literis admonemur] Ita exempl. Cambronenſ. pro ſicut ex ipſius.

in nomine Chriſti baptizare] ita legendum eſſe, non baptizari, ex ſuprà citatis Cypriani verbis.

qui cum diſcipulis non ſequebatur Chriſtum] MS. addebant Chriſtum.

IN CAP. XII.

Quanquam & iſtos de quibus ait Apoſtolus, Sermo eorum B ſicut cancer ſerpit, vellem intelligere foris fuiſſe; ſed Cyprianus ipſe me non ſinit.] Hæretici euerſo eccleſiaſticæ vnitatis primario fundamento, fide videlicet, rectè docentur extra eccleſiam eſſe. Auguſtinus tamen Cypriani ſententia & authoritate preſſus, tametſi inuitus, quoſdam eorum in eccleſia adhuc eſſe fatetur. Quod quo ſenſu ab eo concedatur, petendum eſt ex lib. ſuperiore cap. 19. vbi ſic ait: Dicit Apoſt. Paulus de quibuſdam, qui circa veritatem aberrauerant, & fidem quorundam ſubuertebant, quorum ſermo vt cancer ſerpebat; quos cùm euitandos eſſe diceret, in vna tamen domo magna eos fuiſſe ſignificat, ſed tanquam vaſa in contumeliam. Credo, inquit, quòd nõdum foras exierant. Aut ſi iam exierant, quomodo eos dicit in eadem magna domo cum vaſis honorabilibus: niſi fortè propter ipſa ſacramenta, quæ ſeparatis etiam hæreticorum conuẽticulis non mutata ſunt, ad vnam magnam domum dicit omnes, ſed diuerſis meritis pertinere, alios in honorem, alios in contumeliam. Et lib. 1. cap. 8. qua parte hæretici nonnulla eadem faciũt cum Eccleſia, non ſe in eis ſepararunt, & ex ea parte in texturæ compage detinentur, in cætera ſciſſi ſunt. Denique lib. De vnitate eccleſiæ cap. 13. C agens de occultis hæreticis; Tales, inquit, multi ſunt in ſacramentorum communione cum Eccleſia, & tamen iam non ſunt in eccleſia. Ex quibus locis intelligi poteſt quo ſenſu Auguſt. hæreticos, quos alioqui ſentit non eſſe in eccleſia, in ea tamen eſſe hic dicat: Duplici videlicet pacto; vel quia in ipſa intus eccleſia cum Catholicis verſentur, necdum viſibiliter et ſenſibiliter ſeparati, eorundem cum eis ſacramentorum & ſacrificiorum cõmunione coniuncti: vel quia conuenticulis diuiſi, Eccleſiæ tamen ſacramentis iiſdem adhuc & inuariatis vterẽtur. Illud locum habet in occultis hæreticis aut notis quidem illis, ſed qui ob ſchiſmatis periculum adhuc in eccleſia tolerantur: iſtud in manifeſtè iam ſeparatis & eiectis. Ad hos inexiſtendi modos reſpexit hoc loco Auguſtinus, dicens Hymenæum & Philetum etiam tunc cùm à fide excidiſſent, in magna adhuc eccleſiæ domo fuiſſe; ſed quia durum ſatis ac inſolens videbat eſſe dicendi hoc genus, inuitus eò deſcendit, nec niſi cedens Cypriani authoritati, quem id ſenſiſſe, ex epiſt. eius ad Antonianum, planè ſibi deprehendiſſe videbatur. Verùm ſi quis totum eum locum, ac mentem illic Cypriani penitius introſpiciat, inueniet fortaſſe non id eum ſenſiſſe, quod ex ipſius verbis accepit Auguſt. Reprehendit enim ibi Nouatianum, qui ab Eccleſia eiuſq; communione omnes omnino peccatores, quotquot poſt baptiſmum lapſi D eſſent, arcendos eſſe docebat, neque vel poſt iuſti temporis pœnitentiam, ad reconciliationem & veniam admittebat. Nimirum Eccleſiam fingebat ex ſolis iuſtis, puris & perfectis hominibus in hac vita conſtantem. Ait ergo Cyprianus id eum facere conari, quod nec Apoſtolis conceſſum fuerit, vt agrum hic Dominicum ab vniuerſis zizaniis, frumentum à paleis, magnam Dei domum à ligneis & fictilibus vaſis omnibus expurgaret. Vbi per vaſa lignea & fictilia non hæreticos Cyprianus, ſed eoſdem prorſus intellexit, quos prius zizania & paleas appellarat, hoc eſt infirmos ac peccatores; catholicos tamen, etiam pœnitentiam agere paratos. De his enim cum Nouatiano, an recipi in eccleſiam poſſent, non de hæreticis controuerſia fuit. Id ergo Auguſtinum fefellit: quia enim Apoſtolus iuxta eius interpretationem Hymenæum & Philetum inter magnæ domus lignea & fictilia vaſa repoſuerat, de iiſdem putauit & Cyprianum fuiſſe locutum, cùm tamen illi de peccatoribus non tamen hæreticis ſermo eſſet. Quanquam vt ſuprà annotauimus ad lib. 3. cap. 19. rectiſſimè Apoſtolum ſic intellexerimus, vt quando Hymenæum & Philetum in magna domo conſtituit, ad illud tempus reſpexerit, quo necdum à fidei veritate receſſerant. Adeo verò non agnouit Cyprianus in eccleſia hæreticos, vt eos cum aliis paſſim locis, tum eadem hac ipſa ad Antonian. epiſt. foris & extra eccleſiam eſſe ac docere palam aſſeueret. Quæ & vna maximaq;



ximaq; illi cauſa fuit, vt eorum baptiſma etiam trinitatis nomine conſecratum, ratum ac legitimum habere nollet. Id quod eſt à Melchiore Canon. lib. 4. locorum theologicorum prudenter & acutè animaduerſum.

aut quaſi ipſi palam ferre] ſic rectè MS. quomodo & Cyprianus, pro quo noſtra verſio habet, ventilabrum ferre. Prius erat corruptiſſimè, palàm facere, nec minus quod quidam legunt, paleam ferre. de quo & altero non diſſimili ex lib. De vnitate Eccleſiæ Cypriani loco plura dicemus circa 34. cap. lib. 2. contra Creſcon.

aurea & argentea vaſa videatur eligere, lignea verò & fictilia] hæc deſiderabantur in excuſis.

ſed per Euangelica ſacramenta de cæleſti fonte manantia] Obſerua vt peccatorum remiſſionem per ſacramenta accipi dicat, quod hodie negant hæretici.

IN CAP. XIII.

ſed etiam quæ intus eſt] pro intus ſunt. Sola enim iniquitas eſt quæ intus & foris eſſe poteſt; intus autem tantum eſt iuſtitia.

recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomẽ Domini] ſic MS. & Apoſtoli Græca, & aliâs frequenter ipſa excuſa, vt in Pſalm. 92. lib. De catechizand. rudibus cap. 11. Prius erat inuocat, quo modo vulgo legitur.

inuidia & maleuola diſſenſione] ſic MS. & ſupr. cap. 7. & 10. prius erat, inuidiæ maleuolentia & diſſenſione.

& quorum pectora obſederit ſpiritus Antichriſti] ſic MS. & Cyprian. excuſa legebant, quorum pectora obſedit.

& ſalutarem licere] In excuſis erat, ad ſalutem. Alterum habent MS. & Cyprian.

qui ſpargentes atque impugnantes] ſimiliter & hic MS. conſentit Cyprian. pro quo erat, qui ſpernentes & impugnantes.

Eccleſiam Chriſti] Lugdunenſis editio legit, oues Chriſti. Sed Pamelius nobiſcum legit, Eccleſiam.

IN CAP. XIIII.

ad pœnitentiam eum adducit] ex MS. adiecimus eum.

miſericordiam ſuam non diſpergit ab eis] ſic MS. quo modo legunt & 70. eam lectionem immutarat quiſpiam ad vulgatam noſtram, diſperdam.

ſic & malus] copulam addebant MS.

ſed ſub Chriſti nomine] Ita conſtanter MS. pro, & ſub.

Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem] ex MS. adiecimus omnes.

non ea ſtatim ſuſcipienda] ſic MS. & Cyprian. pro quo erat recipienda.

IN CAP. XV.

defenſa callu erat] hoc eſt callum obduxerat. Amerbachius habebat caluerat, inde natum coaluerat, quod erat in vulgatis.

non talem vtique baptiſmum accepit] In excuſis addebatur copula, ſed quam nec MS. legunt.

Et propterea ſi reſipiſcens] pro, reſpiciens.

quos intus contingit] non rectè legunt Pariſ. corrigit.

vero tamen ſacramento fuerit baptizatus] pro fuerit, legebatur prius foris.

cùm eccleſiæ redditur vnitati] ex MS. adiecimus voculam, cum.

IN CAP. XVI.

nec vita, nec corde mutato] ſic MS. pro, & corde.

nec nullum, nec paruum malum] perperam erat, nec vllum. MS. conſentiebat etiam Amerb.

id ſentire de Chriſto quod Photinus opinatus eſt] Nimirum, aliud nihil quàm hominem fuiſſe, ac initium ex Maria ſumpſiſſe. Vide Auguſt. hæreſ. 44. & 45. Epiphan. hæreſ. 71.

Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei reſiſtere maluerit] Hæreticus quis dicendus vel non dicendus ſit, habet Auguſt. lib. 18. De ciuit. cap. 51. Epiſtola 162. ad Glorium & Eleuſium lib. De vera religion. cap. 4.

verùm etiam tanto ſceleratus] ſic conſtanter MS. vt ſubintelligatur, magis. In excuſis eſt ſceleratius: quod qui retinere volet, verbum aliquod ſubintelligat neceſſe eſt; niſi fortè corruptus eſt locus, & deeſt quippiam.

vel eodem modo vituperandum] pro eo modo.

IN CAP. XVII.

quamuis Chriſtum confeſſus extra Eccleſiam fuerit confeſſus] In excuſis redundat, ſi conditionalis: nam huiuſmodi homini prodeſſe martyrium nõ poteſt ne ſi in Eccleſia quidem occiſus fuerit. Cũ MS. conſentit & Cyprian. quanquam is paulò aliter legat: Et tamen, inquit, neque hoc baptiſma hæreticis prodeſt, quamuis Chriſtum confeſſi & extra Eccleſiam fuerint occiſi. Memorabilis eſt autem hæc Cypriani ſententia quam & aliis repetit locis aduerſus ſchiſmaticos agens, vt lib. 1. epiſt. 1. lib. 4. epiſt. 2. & lib. De vnitate Eccleſiæ. Quam tacito eius nomine citat laudatq; Chryſoſtomus homil. 11. ad Epheſios.

A Hoc veriſſimum eſt, extra e  eſiam quippe occiſus] hæc deerant in excuſis; ſuppleuimus autem ex MS.

charitatem non habuiſſe] tollendum eſt illud quia, quod bis præfigitur in vulgatis.

ſed error illorum in quo adultera eſt anima] ex MS. adiecimus illorum.

IN CAP. XVIII.

quæ ſimul enumeret] pro enumerauerit.

hoſpitalem, indigentibus miniſtrantem] antè legebatur, hoſpitalitatem indigentibus miniſtrantem.

idolis deditum] prius erat dedicatum.

IN CAP. XIX.

His igitur omnibus vitiis circumſepto catholico non adulemur] MS. & Amerb. in accuſatiuo legunt, catholicum.

diabolo & angelis eius] in excuſis erat ordo turbatus, angelis & eius.

diuerſa poſſint diſtribui] MS. conſtanter legebant diſtingui. retinuimus tamen excuſorum lectionem, quam habet etiam Amerb.

IN CAP. XX.

Velut ebrioſitas quam nõ ſolum ſine horrore nominare, ſed B etiam cum hilaritate populi prædicare iam conſueuerunt] Vide huius rei querelam apud Auguſt. Enchir. cap. 80. & epiſtola 64. ad Aurelium Carthaginienſem epiſcopum.

Poteſt tamen non eſſe hæreticus, ſicut hæreticus poteſt non eſſe ebrioſus] Ita conſtanter MS. pro eo quod erat, ſed non cõſequitur; poteſt enim ebrioſus eſſe, & non eſſe hæreticus, ſicut poteſt hæreticus eſſe, & non eſſe ebrioſus.

Neque enim vnum aliquod vitium omnia cętera cõſequuntur] diſputant ſcholaſtici poſt philoſophos, vtrum peccata omnia ſint inter ſe connexa. Inter cæteros D. Thomas in ſumma 1. 2. q. 73. a. 1.

IN CAP. XXI.

catechumenum diuina charitate flagrantem] Charitatem generatim accipit, pro dilectione qua Deum tanquam omnis iuſtitiæ fontẽ, ſummumq; bonum diligimus; cuiuſmodi & ante iuſtificationem prærequirit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. eandem tamen ſeſſ. 14. cap. 4. à charitate diſtinguens. Vt quæ ſit amicitia cum Deo, qua eum puro corde in nobis iam habitantem, vt patrem noſtrum, ſummumq; ac beatificum bonum diligimus & amamus. Nam de hac loquens Apoſt. priore ad Timoth. epiſt. cap. 1. vult eam eſſe de corde puro, conſcientia bona, & C fide non ficta; hæc enim demum præcepti finis eſt. Ipſa eſt quam docet Apoſtolus Roman. 5. diffundi in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, in quo & clamamus, Abba pater. Ipſa eſt de qua Ioannes primæ epiſt. cap. 4. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Tantum & tam magnum prorſus donum, vt ibidem cap. 5. agens de eo Ioannes, dicat: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Iuſtorum ergo tantum eſt ac filiorum Dei, quóſque tota iam trinitas inhabitat. Non ergo ante iuſtificationem reperiri poteſt, vel in pœnitente vel catechumeno, cui ad capeſſendum regnum cælorum deſit adhuc peccatorum remiſſio vel abſolutione vel baptiſmo accipienda.

aut catechumeni ſacramentum ſacramento baptiſmi præferendum putamus] Per catechumenorum ſacramentum intelligit ritus & cærimonias quæ catechumenis ante baptiſmum adhibentur, cuiuſmodi ſunt crucis conſignatio, ſaliuæ litio, ſalis in os miſſio, pectoris inunctio, exorciſmus & exufflatio diaboli, & ſimiles, quas Auguſt. tract. 44. in Ioannem ſacramenti nomine appellat. De quibus agens & lib. 2. De peccat. meritis & remiſſione cap. 26. Non vnius modi, inquit, eſt ſanctificatio. Nam & catechumenos ſecundum quendam modum ſuum, per D ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari, & quod accipiunt quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt. Et mox, Sanctificatio catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cælorum, aut ad peccatorum remiſſionem. Id ignorans imperitus quiſpiam auſus fuit lectionem immutare, ſcribereq;, aut catechumenum ſacramento baptiſmi præferendum putamus. ſed alteram illam quæ germana eſt, retinent adhuc MS.

quod tamen quia non proficit ad ſalutem] ex manuſcr. adiecimus, quia.

ſua quoque prauitate correcta] perperam legebatur, correpta.

IN CAP. XXII.

Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem] Magna baptiſmi neceſſitas, ſed cuius vicem impleat martyrium Chriſti nomine ſuſceptum, vt ſi quis à perſecutoribus præuentus, antè ad mortem rapiatur quàm baptizari poſſit, mors ei loco baptiſmi futura ſit.   am quemadmodũ Chriſtus dixit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei; ita ſimiliter dixit, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo. Idem

habet Auguſt.epiſt.108.lib.1.De origin.animæ cap.9.& lib.2.cap.12. denique & lib.13.De ciuitat.Dei cap.7.Tertullian.quoque lib. De baptiſ. Fulgent.de fide ad Petrum cap. 3. Bernard. epiſt.77. Exemplum autem quod ad hanc rem probandam adhibet Cyprianus epiſtola ad Iubaian. vidit etiam Auguſtinus non ſatis idoneum eſſe, neque enim pro Chriſto,ſed pro meritis facinorum ſuorum occiſus fuit. Addit hic Auguſt.alterum caſum quo ſine baptiſmo ſaluus quis eſſe poſſit, quando videlicet articulus neceſſitatis & temporum anguſtiæ deſideratum baptiſmum excludunt, vbi ſynceram fidem cordiſq; conuerſionem ſupplere ait quod ex ſacramento deeſt. Neque enim falſum eſſe poteſt, Omnis qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. Nõ dereliquiſti quærentes te Domine. Conſentit Ambroſ.oratione De obitu Valentiniani imperatoris,& Bernard.epiſt.77.ad Hugonem.

cùm miniſterium baptiſmi] ſic MS. in excuſis erat myſterium.

quàm in illo latrone] ex MS.addidimus illo.

certo quoque indicio quod illis temporibus congruebat] De dono linguarum loquitur, quod ſimul cum ſpiritu ſancto accipere initio fideles ſolebant; quo ſignificabatur Eccleſiam Chriſti per totum orbem diffundendam,& linguis omnium gentium vnam veri Dei fidem prædicandam. Quod vbi impletum eſt,deſiit miraculum illud. Tractat argumentum hoc eleganter B, Auguſt.compluribus locis,ſerm.11. De verbis Domini,Tract.6.in canon.Ioannis.Tract.6.& 32. in Euang. Ioannis, ſermo.188.De tempore:ſer.9. De verbis Apoſt.In illud Pſal.54. Diuide linguas eorum:lib.2.contra Petilian.cap.32. lib.2. contra Creſcon. cap.14.

ſe peruenisſe ſentirent] id rectius quadrat,quàm quod erat in excuſis, crederent.

IN CAP. XXIII.

Sicut autem in latrone] Dei enim benignitas ſupplet quod non ex voluntate, ſed neceſſitate deeſt. Valet hic locus contra duos inter ſe pugnantes errores, alterum Anabaptiſtarum,qui negant infantes rectè baptizari, quia corde nondum credere ad iuſtitiam poſſint. Alterum Lutheri, qui vt infantum tueretur baptiſma, propriæ illis ineſſe dixit fidei motum. Idem repetit infrà cap.25.

per neceſſitatem corporaliter defuit] excuſa addebant, baptiſmus, ſed non rectè: ex ſequentibus enim verbis clarum eſt referri ad id quod præceſſit, ſanctificatio ſacramenti.

qui certè nondum poſſunt credere] In Frobenian.deerat certè, quod tamen non MS.modò, ſed Amerb.quoque & Lutetianæ legunt.

cùm in eis myſterium celebratur] In excuſis deſiderabatur in, legebat tamen etiam Amerb.

ipſis myſticis vocibus obſtrepũt] miror quis hunc locũ deprauandum putarit, et mutandũ in ipſis mæſtis vocibus obſtrepũt, cùm cõſtanter alteram habeant lectionem præter MS.Amerb.quoque & Pariſ.

IN CAP. XXIIII.

qui iam corde crediderat] pro quia iam.

qui nondum poterat corde credere] prius erat, potuerat.

vt ei deputaretur ad iuſtitiam] Pariſ.legunt, vt Dei deputaretur, ſed non rectè.

ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono ſpiritus ſancti] Videtur hic Auguſtinus agnoſcere in Cornelio iuſtificationem, ante viſibilis ſacramenti ſuſceptionem, quomodo loquitur & quæſt. 84. in Leuiticum,& quæſt.33.in Numeros. In diuerſa ſententia eſſe videtur quæſtione ſecunda ad Simplicianum, epiſt.57.ad Dardanum,imò & ſuprà eodem hoc lib.4.cap.21.& 22.& lib.1.cap.8. quanquam in poſterioribus locis reſpicere videtur ad fidem quæ inerat ei priuſquam Petrus ad eum veniret, quam certum eſt non ei ad iuſtificationem ſuffeciſſe. Quanquam & Chryſoſt.ſuffragari videtur hom.24. in Ioannem.

# IN LIBRI QVINTI DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS CAPVT I.

contagione communionis eorum] in excuſis addebatur etiam, ſed redundat, nec legunt MS.

quoniã pluſquam quadraginta anni ſunt inter Cypriani paſſionem, & diuinorum codicum exuſtionẽ] à Diocletiano imperatore indictam. ſic lib.7.cap.2. Poſt Cypriani,inquit,mortẽ quadraginta & quod excurrit annis peractis, traditio codicum facta eſt, vnde cœperunt appellari traditores.

docemus teſte Cypriano] MS.legunt, docemur.

IN CAP. II.

quid ergo fiet de his] in excuſis addebatur, inquit, ſed redundat, nec legunt MS.

ſiue ergo rebaptizent, ſiue non baptizent] In Frobenianis erat, ſiue non rebaptizent; ſed baptizent, legendum ex præcedentibus liquet, quomodo habent etiam MS. Amerb. & Lutet.

vnde cuilibet iſtorum vulneri] ſic MS. pro cuiuſlibet.

etiam in hæreticorum peruerſitate] excuſa addebant quod, ſed redundat, nec eſt in MS.

temporibus illis rebaptizauerunt] perperam legebatur, illi.

IN CAP. III.

ſed vt certum nondum ſit] Ita MS. pro non ſit.

& qui ipſo ſcelere ſchiſmatis] pro etſi ipſo.

IN CAP. V.

vt iidem hæretici cùm inde diſputant] ſic clarius MS. quàm vt prius erat, vt cum iidem hæretici inde diſputant.

ad ſe redeuntibus ſuſceperũt] Ita MS. in excuſis erat exceperũt.

IN CAP. VI.

Maximianiſtæ baptizauerunt] pro baptizauerant.

IN CAP. VII.

quo illic baptizantur] ſic MS. & Cyprianus pro, quòd illic baptizentur.

cùm ſacramentum Domini in verbis euangelicis] loco in, legebatur cùm.

IN CAP. VIII.

Corpus enim Domini, & ſanguis Domini] Valet hic locus aduerſus noſtri temporis hæreticos quoſdam, qui negãt verum Chriſti corpus & ſanguinem à malis hominibus ſumi, quando ſacramentum Euchariſtiæ manducant.

finem præcepti] in vulgatis addebatur, charitatem. ſed non legũt MS. & redundare ex eo videtur, quòd mox addatur, finis autem præcepti eſt charitas.

ad catholicæ vnitatem] ita malim cum MS. quàm cum excuſis catholicam. Illud enim Auguſtino familiarius. Quin & Amerb. conſentit editio.

IN CAP. IX.

quòd ſeruo vt proprium dare poſſet] ſic MS. pro poſſit.

& baptiſmo eius locum auferendo] In excuſis erat offerendo, quomodo legit & Amerb. Ad veram lectionem propius accedebant Pariſienſ. quæ habent afferendo; ſentit autem baptiſmũ Ioannis per Chriſtum eſſe ſublatum.

id eſt humilitatis doctor, & celſitudinis dator] Ex ſcripturæ ambiguitate, frequenter idem, pro id eſt & contrà, poſitum inuenias. Verùm hoc loco diſertè diſtinctiſq; verbis, id eſt, legebatur in MS. noſtris omnibus, quo loco in excuſis erat idẽ: quod ipſum tamen nõ damnamus.

cùm peruentum fuerit, permaneretur] pro permanetur. MS. conſentiunt Lutetiana.

tanquam infimum baptizauit] prius erat non rectè infirmum, opponit enim celſitudini.

ne hoc ipſo ſuperius illud oſtenderet] Malè Pariſ. nec hoc ipſo. In excuſis verò deſiderabatur vocula illud.

quòd eo ſolus ipſe baptizari meruiſſet] ſic MS. pro quo perperam legebatur, quòd eo ſolo. Porro eandem cauſam reddit tract.5. in Ioannem.

& vltra illud perſeuerare non ſinit] fortè, ſiuit.

indigere præcedente altero videretur] ita rectius quàm præcedente alio; loquitur enim de Ioannis baptiſmo.

IN CAP. X.

quid amplius præſtare potuit baptiſmus Chriſti] ſic manuſcr. quanquam nec incommoda erat excuſorum lectio, præſtari potuit per baptiſmum Chriſti.

Quis hoc dementiſſimus dixerit? ] Phraſis eſt Auguſtino admodum familiaris, qua ſententiæ aut rei alicuius abſurditatem ſignificat. ſic lib. De vnitate Eccleſiæ cap. 9. Quis hoc inſaniſſimus dixerit? Et poſt Collationem cap. 20. Quis dementiſſimus dixerit? Eſt vbi addat voculam vel, vt lib. De vnico baptiſmo, ca.7. Quis hoc audet vel dementiſſimus dicere? Quis iam iſto tempore vel paganus affirmare? Et de prædeſt. ſanctorum cap.16. Quis hoc vel ſtultiſſimus dixerit? Ridet autem hoc genus ſermonis marginalis annotatio quam Eraſmus aut alius quiſpiam adſcripſit: ſic enim habet, Imo dementiſſimus hoc dixerit. ſed nihil opus erat huiuſmodi additamẽtis. Nam omnino vehementius eſt illud, quàm ſi dicas, Quis hoc niſi inſaniſſimus vel dementiſſimus dixerit? vt ſignificetur eum qui dicere hoc auſus fuerit, videri etiam dementiſſimo dementiorem: quomodo dicimus ſtultior Corœbo, Moricho, Melitide. Eſt quidem ita quod lib.2. contra Petilian. cap.32. in excuſis habes, Quis hoc niſi dementiſſimus dixerit? ſed vocula niſi, non eſt in MS. Vnde & illud epiſtola 200. Quis hoc niſi inſaniſſimus ſentiat, à ſciolo quopiã mutatũ eſſe vix dubito.

Quapropter quanquam ita credam, baptizaſſe Ioannem in aqua pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata. ] Baptiſmus Ioannis à Chriſti baptiſmo diuerſus erat, nec peccata remittebat aut iuſtificabat, ad hoc tantum inſtitutus vt homines Chriſti baptiſmo præpararet. Vnde quod ait Marcus cap.1. & Luc.3. baptizaſſe Ioannem in remiſſionem peccatorũ, docet hic Auguſtinus accipiendum non in re, ſed in ſpe: exſpectandam videlicet & donandam Chriſti baptiſmo. Idem habet Tertullian. lib. De baptiſmo, & Hieron. contra Luciferianos.



ſicut dicit Apoſtolus] in excuſis addebatur idem, ſed non eſt in MS. & redundat planè; nam eius nulla prius facta mentio.

tamen ne quiſquam cõtendat] familiare eſt Auguſt. vti quiſq. pro quiſquam; quare non erat cur quis hanc lectionẽ mutãdam putaret, cùm ea ſit non MS. tãtùm; verùm etiã Amerbachij & Lutetianorũ.

ſed aliquam ampliorem ſanctificationem] Amerb. & Pariſiẽſ. legunt, ſecundum aliquam; ſed alteram lectionem conſtanter habent MS. & conſequentia textus poſtulare videtur.

Nam & ipſe Ioannes cùm dicat, Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum] Illud, in remiſſionem peccatorum, neque apud Matthæum, neque apud Marcum eſt in verbis Ioannis, ſed ex Euangeliſtæ perſona dicuntur à Marco cap.1. & Luc.cap.3. ſic enim habet Marcus, Fuit Ioannes in deſerto, baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Lucas verò ſic, Et venit in omnem regionem Iordanis prædicãs baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Auguſtinus hæc loca coniunxit.

Non ago pugnaciter] non quia vel verum vel probabile id eſſe ſentiret, ſed quia ad eius cauſam non admodum intereſſet. Sufficiebat enim ad refellendũ Donatiſtarum argumentum ab exemplo baptiſmi Ioannis petitum, diuerſum id fuiſſe à baptiſmo Chriſti, ideoq; non fuiſſe nec hoc, nec illud repetitum, quando iterum baptizati ſunt qui fuerant baptiſmo Ioannis baptizati, quia non idem, ſed alterum collatum fuit.

IN CAP. XI.

intuendum eſt] excuſa hic addebant maximè: ſed quia id proximè antecedit, videtur ſupereſſe. certè non legunt MS.

quoquo modo ſe habeat baptiſma Ioannis] pro, quo modo.

cùm eum ad vnitatem Chriſti pertinere manifeſtum ſit] relatiuum eum, non ad baptiſma, ſed ad Ioannem referendum, vt liquet ex cap. præcedente: Quid ergo, inquit, Ioannes non erat in vnitate? vnde in ſequentibus ſanctitatem eius opponit auaritiæ collegarum Cypriani, illum triticum fuiſſe ait in agro Dominico, iſtos paleam. Similis locus eſt lib.2. contra Petilian.cap.36. Quod ſi Ioannes maximè in vnitate fuit. Alioqui vel deeſt negatio, vel loco eum, legendum non. Nam ſi Ioannis baptiſma ad vnitatem Chriſti pertinuiſſet, idem cum eius baptiſmo fuiſſet. Vnde negat eò pertinuiſſe lib.2. contra Petilian.cap.32. ſi aqua Ioannis, inquit, ad eundem pertinet, cuius vnitas commendatur, non debuerunt baptizari iubẽte Paulo Apoſtolo, quos compererat baptizatos à Ioanne.

in vbertate centena] Vetus Amerbachij editio, quam & Lutetiana eſt imitata, legebat veritate, quod mutauit aliquis in fertilitatẽ, quod eſt in Frobenianis. ſed germanam lectionem vbertate, arguunt MS. cõſtanter ita legentia. Quod ſequitur centena, duo habebant MS. tertium autem vt & Amerb. & Pariſ. centenum; nos prius illud retinuimus.

baptiſmus Chriſti ſi baptizante fœneratore tradatur] In excuſis deſiderabatur conditionalis ſi, quam tamen non MS. modò, ſed vetus quoque legebat Amerbachij editio.

IN CAP. XII.

Proinde poſſum & ego] non ergo, vt eſt in Pariſienſ.

ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus] ſic MS. & Cyprian. epiſt. ad Iubaianum, cuius hic verba vſurpat Auguſt. Prius erat, illa diuina gratia. Cæterùm videtur hic & Cyprianus, & eum ſecutus Auguſt. ſentire, Ioannem baptiſtam in vtero matris fuiſſe iuſtificatum: quod tamen Auguſtinus epiſt. 57. quæ eſt ad Dardanum, adeò non agnoſcit (eadem enim eſt huius & Hieremiæ prophetæ ratio) vt id ne per miraculum quidem factum fuiſſe concedat: eam ſanctificationem putans accipi poſſe, non in opere gratiæ, ſed in diuina prædeſtinatione; vt nihil aliud ſit eos in vtero matrum fuiſſe ſanctificatos, quàm diuinam de ea re prædeſtinationem, cùm adhuc in vtero eſſent, ſigno aliquo ſenſibili fuiſſe monſtratam. Quem ſecutus etiam Bernard. epiſt. 147. ad clerum Lugdunenſem, quanquam diuerſam ſententiam omnino damnare nolit, ab altera tamen recedere non audet. Sed hæc in ſcholis diſputari, & exquiri diligentius poſſunt.

IN CAP. XIII.

ita in eius Eccleſia] in excuſis deerat eius, quod præter MS. legit etiam Amerbach.

diſpenſatores myſteriorum] perperam, miniſteriorum.

Nam ſecundum quid aliud dixerit, & ego neſciebam eum, non planè video] ſimiliter locum hunc explicat tract.5. in Ioannem.

ſi enim eũ omnino neſciret, veniẽti ad baptiſmum ſuũ non diceret] commodior eſt hæc MS. lectio, quàm excuſorum, quæ & non addunt accuſatiuum eum, & negationem collocant ante voculam venienti.

IN CAP. XV.

nullo modo fieri] redundat verbum poteſt, quod hic addebant excuſa; pendet enim ſenſus ex ſuperioribus; nec legunt MS.

IN CAP. XVI.

Primatus autem non eſt niſi in ſancta conuerſatione, & vita bona] Conſtantienſi concilio damnatus eſt hic VViclephi & Huſſij articulus numero apud illum 15. apud hunc 20. Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt prælatus, nullus eſt epiſcopus dum eſt in peccato mortali: Quò pertinent & alij plures ibidem reprobati. Non eſt autem exiſtimandum ſuffragari hoc loco eis B. Auguſt. qui eodem hoc libro paulò antè & aliâs frequenter obijcit Donatiſtis Cypriani authoritatem ex lib. De lapſis; in quo Africanæ eccleſiæ epiſcopos quoſdã deplorat auaros, fraudatores, raptores, fœneratores, quos tamen in eccleſia tolerarit, pro epiſcopis agnouerit; miniſterium eorum in docendi officio & ſacramentorum adminiſtratione ratũ habuerit. Quod ergò hic ait Auguſtinus, Primatũ in diuinis in ſancta conuerſatione tantùm & bona eſſe vita, intelligendum non de primatu miniſterij qualis eſt epiſcoporum & ſacerdotum in gubernãda eccleſia, in docendo verbo Dei, in miniſtrandis ſacramentis; ſed de primatu iuſtitiæ & meriti. Reſpicit enim ad primatum ſeu ius primogenituræ; quod Eſau lenticulæ concupiſcentia ceſſit fratri ſuo Iacob, cuius reſpectu dictum etiam fuit, quòd maior ſeruiet minori. Iacob autem hac parte figuram ac typum geſſit eccleſiæ, ac eorum præſertim qui in ea verè fideles, iuſti & ſancti eſſent. Quemadmodum enim illi iure primatus benedictio debebatur quam pòſt eſt à patre ſuo Iſaac conſecutus; ita & Dei filiis cæleſtis illa vita æterna quæ per illam præfigurata fuit: atque vt illic maior cum ſua poſteritate, minoris poſterorumq; eius ſeruus eſt conſtitutus, ita & tota quoque carnalium hominum turba piorum ſaluti ſubſeruit. Porrò quemadmodum ad hos ſolos ſanctitatis & iuſtitiæ merces pertinet, ita & ſacramenta diuinaq; inſtrumenta omnia quibus eã ſanctitatem in animis hominum operatur ac perficit, his debent potiſſimum donata intelligi: nam horum & ſalutis eorũ cauſa inſtituta ſunt omnia. Ius ergo ſacramentorum ipſorum eſt proprium, etiamſi eorum vſus & miniſteriũ penes eos quoq; eſſe poſſit, qui nec iuſti ſunt, nec iuſtitiæ mercedem ac benedictionem in futuro ſunt percepturi: neque eos tantũ qui intus in eccleſia his permixti viuunt, ſed apud hæreticos quoq; atq; ſchiſmaticos. Nam ſicut legitimum baptiſmum dare poteſt qui iuſtè non viuit, & accipere qui fictus accedit; legitimè tamen nec ille dare, nec hic accipere poteſt: ita & baptiſma extra eccleſiam quoque ab hæreticis vel ſchiſmaticis collatum aut acceptum, legitimum eſt quidem & ratum; ſed non legitimo iure datum vel acceptum. Atque hoc erat in quo fallebatur Cyprianus, non diſtinguens inter baptiſmum & ius baptiſmi, inter legitimum & legitimè dare ſeu habere. Primatus ergo eccleſiæ, de quo Auguſtinus hic loquitur, non in miniſterio doctrinæ vel ſacramentorum, quod penes epiſcopos & ſacerdotes etiam malos reſidet, ſed in iuſtitiæ & vitæ merito conſiſtit, cui regni cæleſtis benedictio debetur. Nihil ergò locus iſte VViclephi aut Huſſij doctrinæ patrocinatur.

IN CAP. XVII.

Si quis autem putatur contentioſus eſſe] pro putauerit. ſic enim MS. & Cyprian.

orationibus eius adiutus] ſancti ergò in cælis noſtri curam gerunt, & rectè preces eorum à nobis petuntur. Similis eſt locus infrà lib. 7. cap. 1.

O quàm gaudet Cyprianus! quanto ſerenius in illa luce cõtuetur pro quanta ſalute humani generis factum ſit.] Habes hic apertam Auguſtini ſententiam de animabus defunctorum, quòd ante vltimum diem iudicij Deum ſecundum eſſentiam videant. Idem habes & paulò antè hoc eodem capite; & infrà lib.7.cap.1.

IN CAP. XVIII.

Vt proxima duo capita rectè intelligantur, conferẽda cùm his eſt Cypriani ad Quintum epiſtola, quã hic tacito nomine Auguſtinus refutat. Meminit tamen infrà cap.22. & lib.6.cap.7.

quæ ſi ſola baptizaret] pro quæ ni ſola. MS. conſentit & Amerb. & Lutetiana.

ad illam viuam columbam] adiecimus hoc ex MS.

IN CAP. XIX.

fruſtra contra eos dicebatur] ſic MS. in excuſis vox dicebatur, non ſuo loco poſita erat poſt voculam veteres.

apud veteres hæreſes & ſchiſmata, prima adhuc fuiſſe initia] Cyprianus locum hunc paulò aliter legit; apud veteres, inquit, hæreſeos & ſchiſmatum prima adhuc fuerint initia.

ſed & ipſo die] copulam ex MS. addidimus.

paulò attentius aduertenti] pro quo Pariſienſ. legunt non rectè, aduertendi.

quos in maleuola inuidia fuiſſe] In Frobenianis erat, in maleuola diſſenſione, quod quanquam non reijciamus, cùm legatur & ſuprà lib.4.cap.7.10.& 13. prætulimus tamen alterum, tum quia præter MS. fidem, idem quoque legatur & ſuprà lib. 4.cap.7. & infrà lib. 6. cap.24.

cap.24.tum quia Amerb. & eum ſecuta Pariſ. editio eius loco habeat, maleuola anima, quod propius accedit ad inuidia, quã diſſenſione.

IN CAP. XX.

Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida] Hinc cap.20.erat inchoãdum. Refutare enim hic incipit Auguſtinus Cypriani epiſt.quæ eſt numero duodecima apud eum lib.1. vt & infrà meminit cap.22.& lib.6.cap.7. Quare eam legat oportet qui Auguſtini mẽtem hic aſſequi volet.

per qualeſlibet adminiſtrẽtur] pro quaſlibet. manuſcr.conſentit & Amerbach.

Illud autem quale eſt] illud autem, adiecimus ex MS.

Cur autem ad verba quæ procedunt] ſic MS. & Amerb. pro quo in vulgatis non rectè, Cùm autem.

niſi fortè quem cor hominis fallaciter cõuerſum intus non impedit] in excuſis erat, niſi fortè cor hominis quem fallaciter conuerſum: ſed rectius MS. vt relatiuum nõ ad hominem, ſed ad Deum referatur.

lignum fallaciter poſitum impedit foris, quo minus ſacramentis ſuis adeſſe dignetur] Locus eſt aſper & intricatus. MS. pro lignum, legunt conſtanter lingua, vt ad hæreticum referatur: ſed nihil iam hic habet vox poſitum cũ quo cohæreat, nec ſi genus quidem mutes; nam lingua quo ſenſu fallaciter poſita dicatur? niſi fortè compoſita legẽdum, ſed nullũ ſuffragatur exemplar. Quare excuſorum lectionem retinuimus, quam habet etiam Amerbachius. Intelligo autem per lignũ ab hæreticis erectum, quod fallaciter poſitum dicit, quia ad fallẽdum fabricatum. Cæterùm pro eo quod ſequitur, impedit foris, malim impediat foris. At verò quod loco impeditus, MS. legunt impeditur, non placet, niſi fortè quid deſit aut ſubintelligendum ſit.

IN CAP. XXI.

qui ad eccleſiam venit] Cyprianus legit, rudis venit.

vt etiam hoc ipſum deponat] ex MS. adiecimus etiam, & pro deponat, erat in excuſis deponatur. ſed alterum eſſe germanum liquet non ſolùm ex MS. conſentiente Cypriano, verùm etiam ex eo quod ſequitur, vbi poſtea depoſiturus eſt.

aliquid inane eſſe] ſic MS. & Cyprian. pro ineſſe. Conſentit & Amerbach. & Lutetiana.

qui autem odit fratrem ſuum] ex MS. adiecimus, ſuum.

quia & Saulo dixit ipſe] pro, qui & Saulo.

Quapropter ſacramẽtum gratiæ dat Deus etiam per malos] in excuſis deſideratur etiam.

IN CAP. XXII.

remiſſionem dare non poſſe] prius erat promiſſionem. Cũ MS. conſentit & Amerb.

proferenda ſunt] perperam, præferenda.

IN CAP. XXIII.

Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus] pro eo quod erat dicimus, vt liquet ex MS. & Amerb.

quibus dictum eſt] in excuſis erat de quibus, ſed redundat præpoſitio, nec legunt MS.

prædicantes vbique populis] illud populis, addebant MS.

Contra mandatum Dei eſſe, quòd venientes ab hæreticis, ſi iam illic baptiſmum Chriſti acceperunt, non baptizantur] Repetit verba epiſtolæ ad Pompeium, eaq; refellit, quo non ſatis obſeruato, ſuſtulerat quiſpiam negationem, ſed legunt conſtanter MS.

qua ſcripturarum authoritate ſanctarum oſtẽditur?] ſic MS. pro quo erat in excuſis, quia ſcripturarum ſanctarum teſtimoniis non ſolum oſtenditur. Error ex priore natus.

ſed planè oſtenditur] ita eſt hæc ſententia periodo à priore diſtinguenda.

quòd iam ſatis, atque vberrimè declaratum eſt] pertinent hæc ad ſuperiora, non ad ſequentia; quod ſignificabat deprauata prius diſtinctio. Nam quod ſequitur, alterius eſt ex epiſtola Cypriani, ſententiæ refutatio.

IN CAP. XXIIII.

Cyprianus aſſumpſerit] pro aſſumpſit.

ſi propterea filios Deo generare nõ poteſt hæreſis] ſic MS. & Cyprianus, pro filios Dei.

IN CAP. XXV.

Stephanus autem etiam abſtinendos putauerat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem conuellere conarentur.] Abſtinere, vox erat illius ſeculi pro excommunicare. Refert autem Euſebius lib. 7. cap. 4. Stephanum pontificem literas ad Firmilianum, Helenum & cæteros Phrygiæ epiſcopos dediſſe, quibus negabat ſe illis communicaturum, quandiu in ea baptiſmi opinione permaneret. Quod cognoſci etiam poteſt ex ipſa Firmiliani epiſtola ad Cyprianum ſuper hac re miſſa, quæ extat in Pamelij editione numero 75. Idem repetit quoq; Auguſtinus lib. De vnico baptiſmo contra Petilianum cap.14.

fraternè indignaretur] pro indignetur.

IN CAP. XXVI.

qui eſt ad diſcendum patientia lenis & mitis] ſic MS. & Cyprian. pro ad diſcendi patientiam.

eccleſia confirmauerit] ſic MS. pro quo perperam legebatur, eccleſiam confirmauerit.

Cùm ergo ipſis Apoſtolorum temporibus] Miror quis hanc lectionem mutandam putarit, cùm eadem non MS. ſit tantùm, ſed habẽt etiam Amerb. In vulgatis erat, Cur ergo ſi Apoſtolorum. Et mox ex ipſo fonte, negatio addita legebatur. Ac iterum pro, ſicut ſpes vna & baptiſma vnum, erat ſi ſpes vna. Denique in fine periodi addebatur nota interrogationis, mutatæ lectioni ſubſeruiens, ſed quam altera lectio reſpuit.

IN CAP. XXVII.

tali membrorum parte turpauit] ſic MS. Amerb. & Lutetian. naſutulus quiſpiam in Frobenianis mutauit, tali membrorum peſte turpauit.

Omnis enim pulchritudo filiæ regis] ſic rectè MS. pro regum. alludit enim ad verba Pſalmi 44. Suſpicor locum à quopiam mutatum ob ſequens relatiuum pluralis numeri, in quibus eſt; ſed quod reſpicit ea quæ paulò antè præcedunt, ortus concluſus & fons ſignatus, vt ex ſequentibus videre eſt.

populari etiam iudicio] pro iudice.

& ſi quid ab ea deuiant] MS. legebant ſiqui; ſed nos priorem lectionem retinuimus. Quanquam & Beda in collecta. ſuis in cap. 3. ad Philippenſes, citat etiam ſi qui.

IN CAP. XXVIII.

ſimili forma baptiſma ſaluos facit] pro fecit, Cyprianus faciet legit, ſed MS. conſtanter non hoc tantum loco, facit habent, quomodo & Græcanica noſtra.

Quapropter ſi apparent hominibus] Excuſa legebant: Quapropter ſicut apparet homines. MS. Gemblac. & Amandi, ſicut apparent hominibus. Eandem lectionem habuerat & Cambronenſis codex, ſed in quo illud ſicut, mutatum erat in ſi, quod germanum eſſe viſum eſt.

ſalui facti in arca] perperam in aqua. MS. conſentit & Amerb.

per quam omnes qui corde] ſic MS. pro quo non rectè, per aquã.

& in arca poſitos] copulam addebant MS.

## IN LIBRI SEXTI DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS CAPVT I.

contra veterem conſuetudinem] Non dubitaui hunc locum ita reſtituere, licet manuſcr. cum excuſis omnibus haberent, contra vtilem conſuetudinem.

niſi quia non diſtinguebatur ſacramẽtum ab effectu vel vſu ſacramenti] Occaſionem aperit erroris Cypriani & reliquorum Africanorum epiſcoporum.

Nam vt in palmite fructuoſo inuenitur aliquid] ſic MS. & Amerb. pro fructuosè.

commodè autem facit] perperam commodo.

IN CAP. II.

quod fieri debebat] nõ debeat. ſimiliter & paulò poſt, quod fieri non debebat, pro debeat.

eminentiſſimum martyrum] ſic MS. quod rectius quadrat cum eo quod præceſſit primum Apoſtolorum, quàm martyrem, quod habebant excuſa.

Ac per hoc nihil intereſt quanto peior id tradat, ſicut nihil intereſt quanto melior] Ita commodius MS. quo modo legitur & infrà cap. 5. vbi id repetitur.

atque ita nihil intereſt] redundat quod in excuſis additur, aliud.

Illud enim per ſeipſum] ſic MS. pro, Illud autem.

& in eis qui non æqualiter iuſti ſunt] hæc deerant in excuſis.

IN CAP. III.

ſupereminentem charitatem ſpiritum ſanctum] ſic MS. in editione Amerb. deerat charitatem: quare offenſus audaculus quiſpiam, repoſuit ſupereminentem ſpiritus ſancti gratiam.

IN CAP. IIII.

non quia tale aliquid tradit, nec quia tali tradit, ſed quia talis tradit] Res ipſa, textusq; conſequentia poſtulat, vt etiam contra conſentient. excuſis MS. lectionem, ita hic locus reſtituatur. Comparat enim inter ſe ſacramentum, pium catechumenum, & malum miniſtrũ. Prius erat non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, ſed quia tali tradit.

tradentis malitia nõ ſeparat] Amerb. legebat, malitia ſeparatur.



quod corrigere quiſpiam volens errorem errore mutauit, ſubſtituens ſuperatur. At rectius MS. non ſeparat, id eſt, non diſtinguit, vt reſpõdeat ei quod præceſſit, non quia tale, nec quia tali. Quare diuerſus eſt hic locus ab eo quem habes infrà cap. 25. Quia plerumque, inquit, precis vitium ſuperat precãtis affectus. & mox, nec habeat bonum charitatis affectum, quo poſſit illa imperitia ſuperari. Vbi ſuperare, idem eſt quòd præualere, ſupplere, emendare, euacuare.

quibus ipſe veraci corde cõiungitur] perperam legebatur ipſa.

à quibus ille cui tenentur vitæ diſſimilitudine & praui cordis auerſione disiungitur] ſic MS. quod rectius quadrat ſuperioribus, quàm quod erat in excuſis, ſe disiungit.

ſiue illum corporaliter nouerint, ſiue non nouerint] Hæretica & ridicula eſt marginalis annotatio in editione Pariſ. Eccleſia occulta; cuiuſmodi extat illic & infrà lib.7. cap. 51.

IN CAP. V.

& quanto peior id tradat] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod erat quanto peiori tradat. Nam & ſic legis ſupr. in fine cap. 2. quem locum hic repetit. Cui fauet quod ſequitur, poteſt tamen tradere ſeparatus.

ſed quàm pernicioſe habere, tam pernicioſe tradere] ſic MS. quomodo legis & ſuprà cap. 4. & ſicut pernicioſe habet, ita etiam pernicioſe tradere. Excuſa legebant tantum; ſed pernicioſe tradere, reliqua deſiderabantur.

aliqua neceſſitate mortis vrgentis] Miror quis hunc locum mutandum putarit, vt ingruentis potius quàm vrgentis legatur, quod habent non ſolùm MS. verùm etiam Amerbachius.

quid huic tam perſpicuæ veritati officit] ſic rectè MS. pro eo quod erat, quid huic perſpicuæ veritati obfuit.

Quapropter poſſet quidem] Pariſ. quidam, legunt non rectè.

non putant eſſe reſponſum] pro non putantes.

quod etiam illuc poſſet adhiberi] Quod pronomẽ eſt, non coniunctio: tollendus ergo in excuſis accentus.

atteruntur, vt acuantur] In Frobenianis ſuſtulit quiſpiam illud vt acuantur, quod legunt tamen MS. Amerb. & Lutetiana.

conquiruntur vt redarguantur] pro conqueruntur. Cum MS. conſentit & Amerb. & Pariſienſ.

IN CAP. VI.

Epiſcopum ſe epiſcoporum] redundat in excuſis eſſe, quod nec MS. legunt, nec Cyprian.

aut tyrannico terrore] perperam errore. MS. conſentit & Cypr.

collegas ſuos adigit] pro, adegit.

quando habeat] ſic & MS. & Cyprian. In excuſis erat cum habeat.

tamque iudicari ab alio non poſſit, quàm] non rectè tanquam iudicari. Ita hunc locum & ſuprà non ſemel ex MS. & Cypriano reſtituendum ſignificauimus.

IN CAP. VII.

Quapropter iam oportunum videtur] Miror vnde in Froben. editionem irrepſerit vnum oportunum, cum cæteræ cum manuſcr. conſentiant.

Quod eum non propterea dixiſſe] Redundat puto, quod additur in excuſis; ſequitur enim, ex aliis ſimilibus videre facillimũ eſt. Sic tamen Donatiſtas verba hæc Cypriani eludere conatos fuiſſe, annotauimus ſuprà ad lib. 3. contra Donatiſt. cap. 3. ex lib. 3. contra Creſcon. cap. 2.

Seruatur, inquit, à nobis patienter] pro ſeruetur: nam alterum habent MS. & Cyprianus.

modeſtia noſtra præiudicat] in vulgatis eſt veſtra. ſed MS. conſentit etiam Cyprianus.

de baptiſmi ſimplicitate vbique agnoſcendam conſuetudinem] ſic malim cum MS. quàm agnoſcenda. Nam & illud Amerbachius legit.

etiam conciliis vniuerſalibus roboratam] De Nicæno concilio pluraliter loquitur. Niſi Conſtantinopolitanum quoque intelligere placeat, quod ſymbolo adiecit, Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum.

accepta quoque ex verbis Cypriani] vitioſe prius ex vobis. Recta lectio extat etiam apud Amerb.

id quoque vobis Deus reuelabit] pro reuelauit.

IN CAP. VIII.

Hic erit vnum] ſic MS. & Cyprianus. Vulgata, Hoc erit vnum, quomodo & Amerb.

Ecce ad qualia cogitur Eccleſia conſentire] Illud conſentire, deſideratur apud Cyprianum: legunt enim conſtanter cum excuſis MS. noſtra. Legiſſe verò & Auguſtinum liquet ex ſubiuncta eius reſpõſione.

quoniam quiſquis etiam intus] In excuſis additur talis eſt, ſed videtur redundare, nec legunt MS.

non vtique hæc diceret] ex MS. adiecimus hæc.

Vnde etiam oſtenditur illos tunc] MS. legunt, Vnde oſtẽditur illos etiam tunc.

IN CAP. IX.

Primus Felix à Migirpa dixit] Tota hæc Felicis ſententia, vt & multorum deinceps epiſcoporum, non legitur in MS. nec in vetere Amerbachij editione. Veriſimile eſt autem Eraſmum addidiſſe, vt ſubiecta Auguſtini reſponſio commodius intelligi poſſet; vnde & nos relinquenda ea verba putauimus. Cæterùm Pamelius legendum cenſet, Primus à Migirpa: Auguſtinus omiſſo nomine Primi, vt liquet ex ſubiecta refutatione, legit Felix à Migirpa. Nos nihil adiuuantibus MS. veterem lectionem reliquimus.

& vna Eccleſia] hæc deſiderabantur.

IN CAP. X.

Polycarpo autem Hadrumetino] MS. Amandi, Amerb. & Lutetiana legunt Hadrumentino, ſed non rectè. Hadrumetum enim ſeu Adrumetum in Bizacio Aphricæ regione ciuitati nomen eſt, vnde dictus hic fuit.

IN CAP. XI.

Licet ſciamus] pro ſcimus; ſic enim Cyprian. & Lutetiana.

in fonte perenni baptizari] perperam baptizare.

collegarum noſtrorum, ſanctiſſimorum virorum] ſic & MS. Apud Cyprianum eſt, ſanctiſſimæ memoriæ virorum] vt ad concilium Agrippini reſpiciat.

qui ad Eccleſiam conuerſi ſunt, baptizaui: ſed & quicunque ordinati videbantur, inter laicos recepi] Apud Cyprianum eſt baptizari, & recipi, quomodo legebant & noſtra excuſa, nam in MS. hæc non leguntur, nec in vetere Amerb. editione. Auguſtinum tamen legiſſe quod ſubſtituimus, liquet ex eius reſponſione, Nouatus, inquit, à Thamugade, quid fecerit dixit.

IN CAP. XII.

dicente Domino per Salomonẽ] ex Cyprian. adiecimus dicẽte.

Deſerit enim vias vineæ ſuæ, à ſemitis verò agelli ſui errauit. Ingreditur autem per auia loca atque arida & terram deſtinatam ſiti, conſequitur autem manibus infructuoſa] ſic MS. quædam Cypriani; quomodo Auguſtinum legiſſe, ex ſubiecta eius refutatione cognoſci facile poteſt. Vulgata noſtra ſic habebant, derelinquit autem vias vineæ ſuæ, & à ſemitis agri ſui errauit. Ingreditur autem per auia loca atque arida, & terram deſtinat à meſſe, colligit autem manibus ſterilitatem: quomodo videlicet Eraſmus ex Cypriano ſuo huc tranſcripſit; nam vt ſuprà admonuimus, non leguntur in MS. noſtris, nec in Amerb. epiſcoporum iſtæ ſententiæ, ſed nudæ tantùm refutationes. Cæterùm tota hæc ſententia, tanquam ex Salomone citata, non extat hodie nec in Hebraicis, nec Græcis, nec Latinis exemplaribus. Prima verò eius pars quæ hæc verba proximè antecedit, extat Prouerb. 10. ſed obelo transfixa: vnde ſuſpicio eſt, ſequentia quoq; verba in Aphricanis olim exemplaribus ibidem lecta fuiſſe.

fornicationes, immunditiæ, inceſtus] apud Cyprianum eſt inceſtum.

quoniam quicunque hæc faciunt] perperam, quæcunque.

Nemeſianus à Tubunis] MS. & Amerb. addunt autem, quod ſuſtulerunt qui Nemeſiani verba huc tranſcripſerunt: quare & nos omiſimus.

auari atque raptores] ſic MS. pro rapaces. Ita enim Cyprianus lib. De lapſis, ad cuius hic verba Auguſt. alludit, quomodo & aliâs frequenter vſurpat, vt ſup. cap. 3. lib. 4. cap. 2. & 4. lib. 3. cap. 17. & 18. lib. De vnico baptiſ. cap. 8.

Deſerit autem vias vineæ ſuæ, & à ſemita agelli ſui errat] ſui adiecimus ex MS. & Amerb. Caſtiganda eſt autem Pariſienſis editio quæ Amerbachianam ſecuta, ſic habet: Deſerit autem vias vitæ ſuæ, & à ſemita angeli ſui errat.

iſte executus eſt] non caret locus ſuſpicione mendæ vel defectus.

& eos qui diuiſionem faciunt] ex MS. adiecimus eos.

Interroget ergo ipſum ſanctum Cyprianum] ſic MS. pro ipſe.

IN CAP. XIII.

ſicut ecce qui eum ſequitur] pro ecce MS. legũt ille: nos alterum tamen retinuimus.

IN CAP. XIIII.

Lucius à Caſtro Galbæ] MS. cum excuſis legebant Caſtragalba. Pamelius non malè Caſtro Galbæ legendum cenſet; niſi fortè vna ſit dictio compoſita Caſtragalbæ.

id quod ſalietur ex eo ad nihilum valebit] ſic & vetus Cypriani editio. Pamelius legendũ cenſet, in quo ſalietur? ex eo ad nihilum valebit. Verùm quoniam Auguſtinus in reſponſione ſua cum altera lectione cõſentit, eam retinere malui. Ex MS. noſtris nihil eſt præſidij, quòd hanc Lucij ſententiam non legant, ſed ſolam Auguſtini reſponſionem.

Baptizantes eos] ſic infrà in Auguſt. reſponſione etiam MS. & aliàs ſæpius.

*ſæpius. quare ita eum legiſſe, non* eas, *probabile eſt.*

id eſt hoſtes Chriſti] *ex Cyprian. adiecimus* Chriſti.

fiat ſicut ſcriptum eſt, domus contrariorum legis debent emundationem] *Perperam* emendationem: *vt liquet non ſolùm ex Cypriano, & ſubiecta Auguſtini reſponſione, verùm etiam ex Græcis. Locus eſt autem Prouer. 14. vbi quod nos legimus, Stultus illudet peccatum, & inter iuſtos morabitur gratia, Septuaginta reddiderunt,* ὀικίαι παρανόμων ὀφειλήσουσι καθαρισμόν, ὀικίαι δὲ δικαίων δεκταί, *id eſt, vt Regia vertunt, Domus iniquorum debebunt purificationem, domus autem iuſtorum acceptabiles. Hinc intelligimus mendoſe apud Pamelium legi* debet, *numero ſingulari, vtcunq; Græca in tempore varient: quãquam & illa præſentis temporis verbum olim fortaſſis habuerunt.*

& conſequens eſt] *pro* ſit.

Lucius à Caſtro Galbæ] *prius erat* Caſtragalba.

cùm ſe bonis & iuſtis] *redundat quod in excuſis addebatur*, per charitatis vinculum coniunxerint; *ſequitur enim paulò pòſt*, intima charitate coniungunt.

contrarij facti ſint] *pro* ſunt.

Et conſequens eſt, inquit.] *ex* MS. *adiecimus*, Et.

IN CAP. XV.

In tanto cœtu ſanctiſſimorum conſacerdotum] *Ita Cyprianus & Auguſt. in reſponſione, pro* ſacerdotum. *Eadem voce vtitur & alius quidam infrà cap. 33.*

ex ſcripturis deificis deſcendẽtium teſtimoniorum] *Illud* deſcendentium, *adiecimus ex* MS. *Amandi.*

qui in eccleſia catholica fuerint antè baptizati] *Ita Cyprianus, & infrà in reſponſione* MS. *pro* fuerant.

Hic admonemur] *His verbis præponebatur in excuſis*, Reſpõdetur, *ſed non legunt* MS. *& videtur redundare, ex margine fortaſſis in contextum tranſlatum.*

cur dixerit] *non* dixeris.

fuerint antè baptizati] *pro* fuerant, *vt paulò antè.*

quid de hac re beati Cypriani epiſtola ad Stephanum dixerit] *ſic vetus Amorb. editio, quod deprauarat quiſpiam in* diſſerit. MS. *neutrum legunt; vnde Pariſienſ. adiecerunt* habeat: *ſed altera lectio germana eſt.*

& magis miror cur eam] *pro*, cùm eam.

Prorſus enim illa epiſtola, de baptiſmo apud hæreticos vel ſchiſmaticos dato, vnde nunc agimus, nihil habet] *Duæ extãt Cypriani ad Stephanum epiſtolæ, altera de Martiano Arelatenſi epiſcopo amouendo, quæ eſt lib. 3. epiſt. 13. altera de baptizandis qui ab hæreticis & ſchiſmaticis eſſent baptizati, quæ eſt lib. 2. epiſt. 1. Priorem tantum vidit Auguſtinus: nam poſterior, cuius meminit Creſcens à Cirta, ad cuius hic verba reſpondetur, planè tractat hoc argumẽtum, cuius in ea mentionem fieri negat Auguſtinus.*

IN CAP. XVII.

Monnulus à Girba] *ſic* MS. *& vetus Amorb. editio, pro eo quod erat* Monnalus. *Pamelius legendum cenſet* Munnulus.

hæreticos non habere nec patrem, nec filium] *ſic* MS. *pro*, nec habere patrem, nec filium.

damnationis ira, & erroris offectura] *Ita Pamelius, pro quo prius erat* damnationis & iræ. *Pro* erroris, MS. *legebant* terroris. *Pro* offectura, *habet Cambron. exemplar* offenſa. *Amorb. & Pariſ.* offecatum.

IN CAP. XVIII.

Secũdinus à Cedias] *ſic Pamelius reſtituit, pro quo erat* Chezas.

amici appellati ſumus Dei, eius dignatione] *ita rectè Pamelius, etſi excuſa conſentientibus* MS. *legant*, amici appellati ſumus, de eius dignatione.

Domine, nónne in nomine tuo] *ex* MS. *adiecimus* nónne.

IN CAP. XIX.

Felix à Bagai dixit] MS. *conſtanter legunt* Vagai, *ſed non ignota eſt B. & V. in inuicem tranſmutatio. Qua de re plura ſuprà in cap. 4. lib. 3. contra epiſt. Parmen.*

Et ideò, inquit, hæreticus baptizandus & viuificandus] *apud Cyprianum eſt* iuſtificandus; *ſed magis quadrat* viuificandus: *præcedit enim*, in mortem cadunt, *& ſequitur*, ne nos viui mortuis communicemus.

Non enim credebant] MS. *legunt*, & non credebant.

IN CAP. XX.

Polianus à Mileo] *ſic Cambron. exemplar, quomodo legendũ cenſet etiam Pamelius, non* Pollianus; *ſed hoc minutius eſt.* Mileo *legunt* MS. *noſtra, & Cyprianus: ego* Mileuo *malim, nam ſic appellat Auguſt. epiſt. 168. & hinc dicitur Optatus Mileuitanus, & Mileuitanum contra Pelagianos Numidiæ conciliũ. Optatus tamen lib. 1. Cirtẽſe conciliũ deſcribẽs,* Mileum *quoq; appellat: ſimiliter & Auguſt. eãdem hiſtoriã non ſemel ex eo repetens. Franciſcus Balduinus in ſcholiis ſuis ſuper Optatum* Mileui *dictam ciuitatem putat, vt Bagai, quomodo in Frobenianis legebatur. At non rectè Lutetiana, quæ habent* à Mileu; *nec non vetus Amorb. editio, quæ legit* à Milen.

ſed puto & hoc breue eſt] *fortè*, ſed puto, quòd & hoc breue eſt.

IN CAP. XXI.

ſacramentum gratiæ cæleſtis] MS. *Gemblac. & Amandi, nec non Amorb. & Cyprianus, legunt* ſacramentum Dei gratiæ cæleſtis. *At Camb. & Pariſ. cum Frobenianis conſentiunt.*

Poteſt & mea eſſe ſententia] *redundat* Reſpondetur, *vt & ſuperiori cap. quod Auguſtini verbis præfigitur.*

quodlibet ille ſenſerit] *pro* quicquid, *vt aliàs frequenter.*

IN CAP. XXII.

à quorum tamen conſortio ne violaretur vnitas, ſe iſti ſeparare non poſſent] MS. *paulò aliter legunt*, à quorum tamen conſortio ne violaretur vnitas, ſi ſe iſti ſeparare non poſſent: *ſed magis placet excuſorum lectio.*

IN CAP. XXIII.

ſucceſſus ab Abbir Germaniciana] *ſic Camb. exempl. quod rectius eſt, quàm quod legunt alia* MS. à Babbirgermaniciana, *vel excuſa* à Birgermaniciana. *Qua de re cõſule Pamelium in Cyprianum.*

propterea cenſemus hæreticos baptizari] *ſic* MS. *quo modo & Auguſtinum legiſſe, ex ſubiecta eius refutatione clarum eſſe poteſt. Eam lectionem mutarat quiſpiam in* baptizandos eſſe.

IN CAP. XXIIII.

Quare qui extra eccleſiam ſunt] *In excuſis erat*, Quare? Quia extra eccleſiam. *quomodo legebatur & infrà in refutatione Auguſt.* MS. *priore loco legunt*, Quare quia qui: *poſteriore*, Quare quia. *quomodo Fortunati verba legebant veteres Cypriani editiones: ſed omnino germana eſt lectio quam Pamelius repoſuit*, Quare qui; *quomodo & apud Auguſt. legendum eſſe nihil dubito.*

Ad hoc addidit foris] *Quod his præponitur*, Reſpondemus, *vt aliàs ſæpius, redundat, nec legunt* MS.

vt ei iam breuiter] *in* MS. *eſt* tam breuiter: *ſed alterum viſum eſt retinere.*

totidem penè verbis ita reſponderetur] *ex* MS. *adiecimus* ita, *quod legebat & Amorb.*

Nunquid non poſſet] *pro* poſſit.

Iam verò ſi diligentius quæramus] *ex* MS. *addidimus* ſi.

Neque hoc loco dici poteſt] *ſentit ergo præcepti eſſe omnia quæ ſermone Domini in monte habito continentur.*

in eodem tamen ſermone poſuit medicinam] *quia quãdo quod non fit ignoſcitur, omnia quaſi facta deputantur, vt idem inquit lib. 1. Retract. cap. 19.*

IN CAP. XXV.

Sedatus à Tuburbo] *ita mauult Pamelius, quàm* Tuberbo, *quod legebant cum* MS. *excuſa.*

Quare omnibus pacificis quidem viribus nitendũ eſt] *Cambronenſ. exemplar pro* viribus, *legit* viris.

ſingulare & verũ eccleſiæ baptiſma] *in excuſis deerat* eccleſiæ.

detrectet accipere] *Amorbach. legebat* retractet, *inde ortum* detractet.

à regno cælorum fiet alienus] *pro* fiat.

Nunquid ſi manifeſtarentur aliqui baptizati] *ſic* MS. *niſi quod Gemblac. & Amandi legunt* baptizatis. *Prius erat*, Nunquid ſi manifeſtetur aliquos baptizatos.

iuberentur denuo baptizari] *ſic* MS. *pro* iubebuntur.

Quia plerunque precis vitium ſuperat precantis affectus: & quia certa illa Euangelica verba ſine quib. nõ poteſt baptiſmus conſecrari, tantum valent, vt per illa ſic euacuentur quæcunque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur.] *Nõ ſentit Auguſt. ratum fore baptiſma, ſi quis Arrianorum exemplo hanc aut ſimilem corruptelam euangelicis verbis inſerat: Ego te baptizo in nomine patris maioris, & filij minoris, & ſpiritus ſancti vtriuſque miniſtri. Vel: Ego te baptizo in nomine patris, per filium, in ſpiritu ſancto. Iam enim non retinentur euangelica verba, quod hic tamen præſupponit Auguſt. Nam in altero exemplo quæ adduntur, ſenſum eorum euertunt (neque enim eſt aliquis filius in trinitate minor, aut ſpiritus ſanctus miniſter, ſed æqualis.) In altero quæ detrahuntur vel mutantur, nouam quoque & diuerſam ſententiam inducunt. Non ergo de ipſa baptiſmi forma, & iis verbis loquitur Auguſtinus, ſine quibus baptiſmus non conſecratur, ſed de aliis precibus adhiberi prætereà ſolitis, quas olim varias à variis vſurpatas fuiſſe eodem hoc capite teſtatur.* Multi quippe irruunt, *inquit*, in preces, nõ ſolùm ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab hæreticis compoſitas, & per ignorantiæ ſimplicitatem nõ eas valentes diſcernere, vtuntur eis, arbitrantes quòd bonæ ſint: nec tamen quod in eis peruerſum eſt, euacuat illa quæ ibi recta ſunt, ſed ab eis potius euacuatur; ſicut in ipſo homine bonæ ſpei & probabilis fidei, ſed tamen homine, ſi quid aliter ſapit non inde euacuentur quæ rectè ſapit, donec ei Deus reuelet & quod aliter ſapit. *Vnde concil. Mileuitanum in Numidia, cui & Auguſt. interfuit, canon. 12. vetuit preces vllas in eccleſiæ miniſterio vſurpari, niſi quæ eſſent in ſynodo comprobatæ, ne fortè aliquid contra fidem, inquit, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.*



certa illa Euangelica verba, ſine quibus nõ poteſt baptiſmus conſecrari] *Negant hoc noſtri temporis hæretici, ſuperſtitioſum eſſe dicentes, & magicum quiddã, ita nos certis illis verbis adſtringere, quibus in baptiſmi forma vti eccleſia ſolet. Idem bis eodem hoc cap. ab Auguſt. repetitur.*

Nam vtique hæreticus ſi adferat precem vitioſam, &c.] *locus mutilus eſt duobus locis, niſi infrà vbi eſt*, adferat etiam, vt fieri ſolet, precem vitioſam, *pro* etiam, *legas* inquam.

vt homini antequam baptizetur, ſiue cùm baptizatur, ſiue poſtea quandoq. ad ſe veraciter conuerſo, idipſum valeat ad ſalutem] *Sentire hic videtur, peccatorum remiſſionem ante baptiſmum poſſe contingere, quod de Cornelio Centurione dicere videtur ſuprà libro 4. cap. 24.*

nec hominum quorumlibet qualibet peruerſitate violari] *ſic* MS. *in excuſis erat* & qualibet, *ſed rectius abeſt ea copula.*

IN CAP. XXVI.

Priuatianus à Sufetula] *Non rectè Pariſ.* à Suficula.

habere & indulgentiam diuinam poteſt] *Ex manuſcr. copulam adiecimus.*

ſi verò à Deo non eſt] *in excuſis deerat* à Deo.

vt ſi habeat ſacramentum Chriſti] *pro* habet.

IN CAP. XXVII.

inſidioſorum, fraudatorum, raptorum] *Addebant hæc* MS. *& rectè: nam reſpicit Auguſt. ad Cyprian. verba ex ſerm. De lapſis.*

IN CAP. XXVIII.

Quot ſint baptiſmi] *Perperam*, Quod ſint.

Eccleſiæ vindicamus] *ſic conſtanter* MS. *per ſecundam, non tertiam vocalem.*

Viderint aut præſumptores] *ſic rectè* MS. *& Amorb. pro*, Viderint autem, *vt ex ſuperiori antitheſi liquet.*

aut fautores iniquorum] *In Pariſ. & Amorb. editione legebatur non rectè* fraudatores, *vt & ſuprà quoque in verbis Fortunatiani. Cæterùm pro* iniquorum, MS. *duo Gemblac. & Camb. vnà cum Amorb. legunt* hæreticorum, *ſed non rectè: nam quæ ſuprà de hæreticis dicta erãt, applicat hic Auguſt. ad malos & iniquos in genere, ſed nõ hæreticos.*

Nos vnum baptiſma quod non niſi Eccleſiæ nouimus, vbicunque inuentum, quando poſſumus ad eccleſiã reuocamus.] *Sic rectè* MS. *pro eo quod erat*, Nos vnũ baptiſma nouimus, quod non niſi in Eccleſia nouimus, quod vbicunque inuentum, &c. *Volebat Hortenſianus in ſola Eccleſia baptiſmũ reperiri, quod in eius ſententia corrigens Auguſtinus, agnoſcit eum & extra Eccleſiam, ſed qui tamen ipſius eccleſiæ ſit, non hæreticorum, eóque ad eum quando fieri poteſt, reuocandum.*

IN CAP. XXIX.

non adulteros, ſed Dei filios] *ſic* MS. *omnia. ſic & vetus Amorb. & Pariſ. editio. Conſentit & Cyprianus. Alludit ad illud Heb. 12. adulteri & non filij. Argutulus quiſpiam id mutarat in* adulterinos, *non hic tantùm, ſed & infrà quoque in reſponſione Auguſtini.*

abſque his qui in Eccleſia fideles ſupplantaui] *Ita* MS. *pro* de Eccleſia. *Alterum legiſſe Auguſt. liquet ex ſubiecta eius refutatione, vbi ad calcem verba hæc repetit.*

ad hæreſis tenebras tranſierant] *cum* MS. *conſentit Cyprian. & Auguſt. in reſponſione legens* tranſierant, *non* tranſierunt.

Poſſet alius dicere] *Redundat vox* Reſpondetur, *quod hic in excuſis addebatur, nec legunt* MS.

non adulteros] *pro* adulterinos, *de quo ſuprà eodem hoc cap.*

IN CAP. XXXI.

Si Chriſtiani nõ ſunt, fiant] *Aliter legit Cyprianus:* Si Chriſtiani, *inquit*, non ſunt, quomodo Chriſtianos faciunt? *Sed Auguſtinum diuerſam habuiſſe lectionem, intelligitur ex eius antitheſi, conſentientibus etiam* MS. *& Amorb.*

quod ſunt omnes qui Chriſto aduerſantur] *in excuſis erat* omnes iniqui: *ſed illud* iniqui, *non legunt* MS. *& videtur redundare.*

IN CAP. XXXII.

Quid ſi alius diceret] *Radendum eſt, quod in excuſis addebatur*, Reſpondetur, *nec legunt* MS.

vt iniquos appellemus] *in excuſis erat* vt iniquos illos. *Verùm ſupereſſe* illos, *ex ſuperiore colligitur antitheſi; nec legunt* MS.

baptiſmum quo baptizant] *perperam* quod *legebatur.*

vt dimittenti dimitteretur] *pro* dimitterentur.

IN CAP. XXXIII.

non in tantum poſſe] *cùm ſic legerint & MS. & Amorb. conſentiátque Cyprianus, non erat mutanda lectio in* non tantùm, *etiamſi commodius id foret.*

diuturna tabe purganda] *ſic* MS. *pro* purgandi.

in arena ædificabat] *pro* ædificabatur, *legunt* MS.

IN CAP. XXXIIII.

credula obſeruatione] MS. *Camb. habet* ſedula, *ſed rectius quadrat* credula; *præceſſit enim*, Qui fide viuimus.

Qui baptizatur à mortuo] *redundat quod in excuſis addebatur*, & iterum tangit mortuum, *nec eſt in* MS. *Nam ſi locum integrum recitaſſet, germanæ intelligentiæ potuiſſet admoneri. De quo loco plura dicta ſunt à nobis ſup. ad cap. 10. lib. 2. contra Parmenian.*

cur ad eccleſiam veniunt? ſi verò à mortuo nihil ſalutis accipitur, &c.] *diuerſa eſt in* MS. *Gemblac. & S. Amandi lectio*, cur ad eccleſiam veniunt, ſi verè à mortuo ſalutis nihil accipitur? Ac propterea. *ſed non placet, cùm pugnet cum loquẽtis mente & ſentẽtia.*

ſanctificari debebunt] *pro* debebant.

Quid ſit à mortuo baptizari] *ſupereſt quod addebatur* Reſpondetur.

alibi iam diximus] *videlicet lib. 2. contra Parmen. cap.* 10.

quolibet corporaliter operante baptizet] *In excuſis erat* hoc operante, *ſed pronomen* hoc, *non eſt in* MS. *& videtur redundare. Exemplar Camb. pro* baptizet, *legit* baptizetur, *vt non ad Chriſtum, ſed baptizatum referatur. ſed alterum commodius eſt. Cæterùm* quolibet, *pro quocunque poſitum eſt, vt aliàs frequenter.*

ſi poſtea corrigerentur] *pro* corrigantur.

IN CAP. XXXV.

in conuerſatione vnitatis] MS. *Gemb. & Camb. legunt* conſeruatione. *Amorb. conſentit cum excuſis, quod videtur eſſe commodius.*

ecce quid conſiderent] *pro* conſiderant.

IN CAP. XXXVI.

perimpleuit dicens] *ſic* MS. *quomodo caſtigat & Pamelius. In vulgatis erat* impleuit.

& omni conteſtatione refutandum] *apud Cyprian. eſt* deteſtatione. *ſed alterum legunt* MS. *& ſic legiſſe Auguſtinum liquet ex ſubiecta reſponſione.*

& iniquus à nobis] MS. *legũt* iniquum, *ſecuti nimirum lectionem in Euchratij ſententia. ſed quiſquis locum hunc mutauit, non vidit baptiſma ibi neutro genere efferri, hic maſculino.*

vt à blaſphemia ſuæ præſumptionis] *Cyprianus legit*, vt à blaſphemiæ ſuæ præſumptione.

IN CAP. XXXVII.

Liboſus à Vaga] *Pariſienſ. non rectè* ab Agra; *nam eundem ſuprà Auguſt. lib. 3. cap. 6. Vagenſem appellat.*

Ego ſum, inquit, veritas; non dixit, ego ſum conſuetudo] *Locum hunc* MS. *ſic legunt*, Ego ſum, inquit, veritas; dixit, ego ſum veritas, non dixit, ego ſum conſuetudo. *ſed cum altera lectione cõſentit & Cyprianus.*

hæreticos non baptizabat] *pro* hæreticus.

Nihil hic conatus eſt oſtendere] Reſpondetur, *quod additum hic erat, iuxta* MS. *redundat.*

IN CAP. XXXVIII.

Lucius à Thebeſte] *ſic Pamelius.* MS. *legebant* Leuitius à Theueſte. *V. & B. in ſe mutuo facilè tranſeunt. Excuſa* Leutius à Thabaſte.

IN CAP. XL.

Item alius Felix ab Amaccura] *Ita legendum cenſet Pamelius, pro quo* MS. à Cumacura: *vulgata*, ab Accura.

quia alienus eſſe non poteſt] *ſic* MS. *pro* alienis, *opponit ei quod præceſſit* priuatus.

ideò ipſa non eſt] *non* ipſe: *refertur enim ad aquam; vnde & paulò pòſt*, eadem tamen fuit.

Tales enim baptiſmus] *perperam legebatur*, Talis, *ſequitur enim* necat.

ſuſceperunt quidem, ſed ad perniciem] *In excuſis deerat* ſed.

IN CAP. XLI.

Eccleſia enim & hæreſis] *ſic* MS. *& Cyprianus, cui & infrà opponitur*, iniquitas. *Non ergo* hæreſes, *ſed* hæreſis *legendum.*

Poſſet alius ſimiliter dicere] *In excuſis additur*, Reſpondetur, *ſed redundat, nec legunt* MS.

atque apoſtolo Paulo notiſſimi, baptiſmum habebant] MS. *legunt*, atque apoſtolus Paulus, notiſſimum baptiſmum. *ſed prior lectio magis conſentit cum eo quod habes infrà lib. 7. cap. 50.* Quoniam illi Paulum apoſtolum non latebant.

IN CAP. XLII.

Adelphius à Thasbalte] *ſic* MS. *& Cyprian. pro* Adelphus.

ſine cauſa quidam] *pro* quidem. MS. *conſentit & Cyprianus.*

Imo verò modo] *ſupereſt* Reſpondetur.

perſpecta diligentiùs veritas, etiam cõcilio poſteriore firmauit] *non rectè excuſa* veritate.

IN CAP. XLIII.

Demetrius Aleptiminus] *Ita rectè Pamelius, hoc eſt à Lepti minori, vt contrà à Lepti maiore.* Leptimagninus *infrà leges.* MS. *habebant* Aleprimius. *Vulgata corruptius,* Aleptuninus.

quia eccleſiæ catholicæ] MS. *legunt* qui. *Cum excuſis facit Cypr.*

ipſi ſunt qui non vnum, ſed multa baptiſmata faciunt] *Ita exemplar Camb. cum Cypriano. Prius erat*, ipſi ſunt qui non duo, ſed plura. *ſic & Gemblac. & S. Amandi, nec non vetus Amorbachij editio. Nec auſim eam lectionem damnare: vt ſignificet, apud hæreticos nõ duo tantùm, ſed plura pro hæreticorum varietate futura baptiſmata. Cui non malè quadrat quod ſubijcit Auguſtinus,* Si ita eſt, tot ergo numerentur baptiſmata, quot ſunt opera carnis.

IN CAP. XLIIII.

habẽt vtique regulã veritatis] *Apud Cyprianum eſt* habemus.

tunc poſſunt ad Chriſti pollicitationem venire] *in excuſis aberat* tunc, *quod non in* MS. *modò, ſed legitur etiam apud Cyprianum.*

hæreticus peior eſt? Nihil reſiſto] *pro* hæreticus peior eſt, nihil reſiſto.

B ſacramentũ etiam Chriſti, ſiquod habent] *deerat* ſi, *in excuſis.*

quæ Dominus ipſe quoque ſuſcepit] *Pro quo in Froben.* præcepit, *in Pariſ.* percepit. *ſed Amorb. cum* MS. *primam lectionẽ habent.*

& ea Zachariæ miniſtranti] *perperam legitur in excuſis* eam, *refert enim ad* ſacramenta.

Et ſanctus Cyprianus talibus aduerſus eoſdem ethnicos vtitur teſtibus] *Hinc intelligimus, libellum de Idolorum vanitate, ſeu Quòd idola dij non ſint, Cypriani germanum eſſe. Ex eo enim petita ſunt quæ hic recitat Auguſt. Citat eundem lib. De vnico baptiſmo cap.4.*

# IN LIBRI SEPTIMI DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS CAPVT I.

Adiuuet itaque nos orationibus ſuis, in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes] *Locus obſeruandus, pro ſanctorum interceſſione, aduerſus huius temporis hæreticos.*

cuius ipſe egregium & clariſſimum membrum eſt] *pro* clariſſimum MS. *conſtanter legunt* chariſſimum; *ſed nos excuſorum lectionem prætulimus.*

quos præciſos ab vnitate] *In excuſis erat* tanquam ab vnitate, *ſed redundat* tanquam, *nec legunt* MS.

in ſortem ſanctorum paſſionis claritate ſuſcepto] *pro* ſorte.

IN CAP. II.

Marcus à Mactari] MS. *legunt* Mattari.

propterea decernimus] MS. *legunt* decreuimus, *ſed ex Auguſt. antitheſi diſcimus alterum eſſe genuinum. Conſentit & Cyprianus.*

hæreticos baptizandos eſſe] *In excuſis deerat* eſſe: *legit tamen Auguſt. eodem hoc cap. ſententiam hanc repetens.*

quod tantùm iſti dilexerint vnitatem] *ſic* MS. *& Amorb. pro* dilexerunt.

videbatur eſſe dicturus] *illud* eſſe, *addunt* MS. *& legit Amorb.*

veritatis appellet præuaricatores] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, etiam reclamantibus* MS. *& Amorb. qui cum vulgatis habent* vnitatis; *reſpicit enim ſuperiora Marci verba.*

D agenda ſit cauſa communis] MS. *Camb. vt & Amorb.* cõmunionis *legunt, ſed non rectè; nam & infrà habes eodem hoc cap.* Agatur ergo cauſa communis. *quanquam Frobeniana mendosè* communionis, *ibi legant.*

Poſt paſſionem quippe eius, quadraginta & quod excurrit annis peractis, traditio codicũ facta eſt, vnde cœperũt appellari traditores] *Paſſus eſt enim Cyprianus Valeriano & Gallieno imperatoribus, Memmio Tuſco, & Baſſo conſulibus, anno Domini 259. 18. Calẽdas Octob. Chriſtianorum verò perſecutionem & ſacrorum codicũ traditionem, de qua hic loquitur Auguſtinus, indixit Diocletianus Auguſtus imperij ſui anno 19. conſulatu ipſius 8. & Maximiani 7. qui fuit annus Domini plus minus trecẽteſimus. Cuius medium temporis ſpatium quadraginta continet annos, & eo amplius. Hoc enim ſignificat illud apud Auguſt.* & quod excurrit. *qua locutione vtitur et lib. poſt Collationem cap.3. & lib.15. De ciuit. Dei, cap.20. Videtur autem eam ab Optato mutuatus, qui lib. primo ſic ait: Nam ferme ante annos ſexaginta, & quod excurrit, per totam Aphricam perſecutionis eſt deuagata tempeſtas. Et eodem lib. poſt quatuor paginas, ducentos & quod excurrit miniſtros, ſecum perituros, &c. ſic & lib.2. Inter quadraginta & quod excurrit baſilicas, locum vbi colligerent non habebant. Eandem vſurpat Oroſius lib.7. cap.2. & Victor Vticenſis lib.3. perſecut. Vandalicæ in edicto Hunnerici regis.*

Non eſt enim quod dicatur, non eis communicaſſe iſtos] *ſic* MS. *& vetus Amorb. quin & Lutetiana, niſi quòd hæc pro* non eis, *legant* nos eis. *Quare demiror quis in Frobenian. veterem lectionem mutandam putarit, & legendum,* Non eſt enim quod dicant, non ſe eis communicaſſe.

quod ipſi maximè præferunt] MS. *legunt* proferunt, *ſed nos alteram lectionem retinuimus, quam habet etiam Amorb. Sic tractat. De vtilitate ieiunij tom.9. Non præferant nobis quaſi concordiam ſuã, non ſibi tanquam de vnitate ſua placeant. Id eſt, non oſtentent, extollant, prædicent.*

Agatur ergo cauſa communis] *ſup. eodem hoc cap. admonuimus deprauatam eſſe hic in Frobenian. lectionem, quæ habet* cõmunionis.

& ibi agetur] *non rectè* agatur.

Quòd vtrique reſponderimus] *Nos videlicet & Donatiſtæ Iudæo vel Pagano, de quo ſuprà. ſic rectè Lutetiana.* MS. *legunt non rectè* vtriſque, *nec vulgata Amorb. ſecuta* vtrique.

IN CAP. III.

Sattius à Sicilibba] *Non rectè Pariſ.* Sicilippa, *cõtra* MS. *fidem.*

B ſi hæreticis in baptiſmo ſuo peccata donantur] *Apud Cyprianum eſt* ſua. *ſed pro altera lectione faciunt non modò* MS. *noſtra, verùm etiam Auguſt. in ſubiecta refutatione.*

Et hæc poterat etiam noſtra] *non eſt in* MS. *quod hic addunt excuſa* Reſpondetur, *& videtur redundare.*

& non factis renunciant] *pro* renunciarunt MS.

IN CAP. IIII.

& quia correcti] *ſic* MS. *pro* ſed quia.

ſi non baptizantur] MS. *conſentit & Amorb. prius erat* ſic vt non baptizentur.

IN CAP. VI.

velut paleis exterioribus] *Non rectè legebatur* vel paleis exterioribus. *vt nec paulò pòſt* vel paleis interioribus, *pro* velut.

IN CAP. VIII.

Aut Deus, Deus eſt] *Apud Cyprianum legitur,* Aut enim Dominus tuus, Deus eſt. *ſeptuaginta hodie legunt, Si eſt Dominus Deus, ſequimini illum; ſi autem Balaal. ſed Auguſt. prius illud legiſſe videtur.*

Aut paradiſus, paradiſus eſt] *ex* MS. *addidimus voculã* eſt, *opponitur enim hoc ei quod præceſſit,* Aut Deus, Deus eſt.

Aut petra eccleſia eſt] *& hic deſiderabatur verbum* eſt.

IN CAP. X.

C An & iniuſti nec ipſo baptiſmo mutati] *pro* nec, *legebatur* in.

IN CAP. XI.

Paulus à Bobba] *pro quo erat* Paulus ab Obba.

Quæ autem compoſitio templo Dei cum idolis?] MS. *legunt* communicatio. *ſed non vno modo citatur hic locus ab Auguſt. nam lib.2. cont. epiſt. Parmeniani legit nobiſcum,* cõſenſus. *Quare reliquimus quod legebant excuſa.*

cum magna tolerantiæ mercede] MS. *legunt* magnæ tolerantiæ mercede.

IN CAP. XII.

Pomponius à Dionyſiana] *Mendoſe Lutetiana,* Pomponius à Ioſiniana.

& ſi cui tenueritis] *in excuſis deerat* ſi.

IN CAP. XIII.

Venantius à Thimiſa] *Ita corrigit Pamelius, quod erat* à Tiniſa.

& corruptoribus prodimus] *loco* prodemus: *præcedit enim* cuſtodimus.

IN CAP. XIIII.

D Aymnius ab Auſuaga] *ſic Pamelius pro* Auſuagiga.

Nos vnum baptiſma accepimus] *ſic* MS. *& Amorb.*

IN CAP. XV.

ſed peccatori inquit Deus] *redundat in excuſis* dicit, *quod hic addebatur.*

ſi videbas furem, concurrebas ei] *In vulgatis erat,* cõcurrebas cum eo, *quomodo paulò poſt,* qui non cum furibus concurrebant. *ſed alteram lectionem habent conſtanter* MS. *& eodem hoc capite legis,* ſed non eis concurrebat Cyprianus. *De cuius loci lectione aliquid ſuprà dictum eſt à nobis ad lib.2. contra Parmen. cap.8.*

dum contra quod præcipit, viuunt] *Chriſtus videlicet; ita enim antichriſti ſunt, non contra ſua præcepta viuentes.* MS. *conſentiunt & Amorb. & Lutetiana, niſi quòd legant* præcepit.

IN CAP. XVI.

& quidam non erubeſcunt Marcionis baptiſma probare] *Loquitur de Stephano pontifice, cuius de ea re verba referũtur apud Cyprianum epiſt. ad Pompeium. Nam Stephani epiſt. non extat.*

Nimirum



A Nimirum cùm talia dicuntur, exceditur modus] *ſic tuetur Stephanum aduerſus epiſt. Cypriani ad Pompeium ſuprà lib.5. cap.25. Quòd autem in excuſis addebatur,* Reſpondetur, *non erat in* MS. *& alioqui redundat, vt & infrà frequenter.*

aliquem ſi diuerſum ſenſerit] *Ita ſe habent Cypriani verba, ad quæ hic alluditur; non* ſentiebat. *Conſentiunt &* MS.

id in quoque corrigendum eſſe quod prauum eſt] *Ablatiuus eſt* quoque *à quiſque, non coniunctio; quod quidam parum aduertẽtes corruperant ſententiam, legentes* id in ſe quoque.

ſi quid inueniret peruerſum] *mendoſe legebatur* perſuaſum. *cùm tamen non modò* MS. *ſed Amorb. quoque, ſinceram haberẽt lectionẽ.*

IN CAP. XVIII.

Hirenæus ab Vſulis] *Pro* ab Vlulis. *Nam Theodori Vſulenſis meminit Auguſt. lib.3. contra Creſcon. cap.19.*

non habentes vnam ſpem, poſſunt tamen habere vnum baptiſma] *ſic* MS. *pro quo prius erat,* qui nõ habent vnam ſpem, poſſunt habere.

IN CAP. XXIII.

Geminius à Furnis] *Pro* Geminus à Fornis. *nam ad Furnenſem plebem ſcribit & Cyprianus epiſt.9. lib.1.*

B & ideò quod ſemel decreuimus] *ſic rectè* MS. *pro* & ideò quod decernimus ſemel. *ſic & Cyprian.*

Sed huic reſpondetur] *In excuſis deerat* Sed.

& ſicut cognoſcitur] *ſic* MS. *pro* ſed ſicut.

IN CAP. XXV.

& tamen ab eis non maculabatur; aut ſi maculabatur] *ſingulari, non plurali numero. Refertur enim ad Cyprianum. Cum* MS. *conſentit & Amorbachius.*

non ergo pertinent ad poſteriores facinora priorum] *non* piorum. *Rectam lectionem habet præter* MS. *etiam Amorb. Cæterùm pro* poſteriores, MS. *legunt* poſteros, *ſicui fortè id magis arridet.*

IN CAP. XXVI.

Lucius à Membreſa] *Simplici, non gemino ſ. Nam Saluij Membreſitani meminit non ſemel Auguſt. vt lib.3. contra Parmen. cap. vltimo, lib.4. contra Creſcon. cap.48. Et Membreſitanorum, cap.49.*

IN CAP. XXVII.

Felix à Buſlacenis] *ſic &* MS. *pro* ab Vſlacenis.

credimus iam eſſe manifeſtatam] *pro* manifeſtam. *ſic manuſcr. & ſuprà non ſemel.*

IN CAP. XXVIII.

Saturninus ab Abitinis] *pro* ab Itinis. *Nam Abitinenſium mentionem facit Auguſt. lib.4. contra Creſcon. cap.49. & lib.3. contra Parmenian. cap. vltimo.*

IN CAP. XXIX.

Quintus ab Aggya] *pro* Aggiua, *legit Pamelius.*

IN CAP. XXX.

Iulianus à Marcelliana] *ſic* MS. *& Pamelius, pro* Marcellina.

ſobrio & ebrioſo, pio & homicidæ] *Ita rectius* MS. *quàm* & ſobrio & ebrioſo, & pio & homicidæ.

quibus quidem non ſeruit] *ſic* MS. *pro* quibus, *perperam legebatur,* baptiſmus.

IN CAP. XXXI.

Tenax ab Horreis Cæliæ] *ſic manuſcr. & Pamel. pro* ab Horrelſceliæ.

IN CAP. XXXII.

& vna eccleſia] *ſic* MS. *& Cyprian. pro* eſt vna eccleſia.

IN CAP. XXXIII.

Nihil quidem foris conſecuti ſunt] *ex* MS. *adiecimus* foris.

IN CAP. XXXV.

Nouitas Epiſcopatus effecit fratres, vt ſuſtinerem] *ſic* MS. *pro* efficit. *Conſentit Cyprian.*

ſi qui ex eis venerint] *Ita* MS. *& Cyprian. numero plurali.*

IN CAP. XXXVI.

Petrus ab Hippone Diarrhyto] *Sic rectè Pamelius legendum docet, pro eo quod erat* Hippone Zarito. *Duæ ſunt autem huius nominis in Numidia ciuitates, altera Vticæ vicina, Hippo regius appellata, D. Auguſtini epiſcopatu nobilitata; qui eam Hipponam Regienſem aliquando nominat. Altera remotior à littore, Diarrhytos dicta, quòd paluſtri et vliginoſo loco ſita ſit. Plinius lib.6. cap 4. Hipponem dilutum vocat. Author eſt Solinus, oppida hæc à Græcis equitibus condita fuiſſe, indeque nomen traxiſſe.*

IN CAP. XXXVII.

Secundum motum animi mei & Spiritus ſancti] *ſupereſt* autem, *quod hic addebatur in excuſis. Nec legunt* MS. *nec Cyprianus.*

vnum debet eſſe & baptiſma] *ita commodius cum* MS. *quàm* & eſſe baptiſma.

IN CAP. XLI.

foris nihil acceperunt] *ſic* MS. *pro* acceperint.

IN CAP. XLII.

Victor ab Octauo] MS. Octuiano. *ſed illud propius conuẽnit cum Optato, qui libro tertio loci Octauenſis meminit, non Octauianẽſis.*

IN CAP. XLIIII.

Secundianus à Thambeis] *Ita Pamelius, pro* Secundinus.

IN CAP. XLV.

Aurelius à Chullabi] *ſic Pamelius, pro quo excuſa* à Cillauli *quomodo &* MS. *Amandi, Camb. verò legit* Cillani.

IN CAP. XLVI.

Litteus à Gemellis] *ſic Pamelius.*

IN CAP. XLVII.

Natalis ab Oëa] *pro* à Boëa. *Tripolis enim prouinciæ tres ſunt ciuitates Oëa, Sabrata, & Leptis magna, quarum & hic mentio fit.*

corpore quidem abſentes, ſpiritu autem præſentes] *ex* MS. *adiecimus* autem.

B ſed vtique ſuam retinet ſanctitatem] MS. ſanitatem *legunt, ſed prætulimus quod habent excuſa, tametſi* ſacramenti ſanitatem *legis & ſuprà lib.1. cap.8.*

IN CAP. XLVIII.

diu nos tenere non licet] *Mendosè,* diuinos tenere.

IN CAP. XLIX.

cuius mentionem facit] *ſic* MS. *pro* fecit.

Et quòd hic dixit] *perperam* dixi.

in quali ſocietate] *pro* in qualibet, MS.

IN CAP. L.

indicant eum intellexiſſe, & dilexiſſe decorem] *Ex* MS. *adiecimus* & dilexiſſe.

IN CAP. LI.

in eadem communione ſacramentorum] *In excuſis deerat* in *præpoſitio.*

ſiue ſe facie nouerint, ſiue non nouerint] *Indocta & hæretica eſt in editione Pariſ. marginalis annotatio,* Eccleſia occulta. *cuiuſmodi & ſup. delendam diximus lib.6. cap.4.*

C Alios autem ita dici eſſe in domo] *ſupereſt verbum* conſtat, *quod hic in excuſis addebatur, nec eſt in* MS. *Eſt enim alterum diuiſionis membrum, cuius prior pars, capitis huius initio proponitur. nam gaudere ſolet Auguſt. longis periodis.*

quàm illi qui interius carnaliter] *ſic rectè manuſcr. pro* qui in terris.

IN CAP. LII.

& illi domui cohærendum] *pro* domi.

ſic enim & ipſis] *copulam ex* MS. *adiecimus.*

IN CAP. LIII.

ſi fortè curioſitate aliqua] *in excuſis addebatur* hoc, *ſed non legunt* MS.

ſi quis exiſtat, qui fideliter ſubito commotus accipiat] *ſic* MS. *pro eo quod erat,* ſi quis exiſtat, fideliter ſubito accipiẽs cõmotus.

plurimum diſtet inter credentem] *pro* diſtat.

id autem fiducia ſecuræ vocis aſſerere] *Mendosè in excuſis loco* fiducia, *legebatur* ſit cura.

vniuerſalis eccleſiæ conſenſione roboratum] *ſic rectè Amorb. pro eo quod erat* confeſſione: *quomodo ſuprà lib.2. cap.18.* totius eccleſiæ conſenſio firmaſſet.

D nequaquam dubitarem eos habere baptiſmum] *Id in Eccleſia Chriſti ſatis clarè pòſt definitum ac deciſum eſt. diximus nonnihil ea de re ſuprà ad cap.13. lib.2. contra Parmenian.*

ſine ſua ſimulatione] *mendosè* ſiue.

diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum] *Eſt & iſtud hodie in eccleſiæ doctrina ſatis euidens ac manifeſtum, non eſſe videlicet verum baptiſmum; quia deſit eius vel conferendi vel ſuſcipiendi intentio, aut eius faciendi quod eccleſia facit. Nam quod ſimulatè, ioculariter ac mimicè tantum agitur, non agitur; nec fit, ſed fingitur.*

IN CAP. LIIII.

& illi cæteri pares eorum] *manuſcr. legunt* patres, *ſed non rectè.*

*Finis annotationum in ſeptem libros De baptiſmo contra Donatiſtas.*

*Appendix tom.7.*

# ANNOTATIONES IN LIBRVM DE VNICO BAPTISMO CONTRA PETILIANVM.

*Ex collatione ad* MS. *B. Amandi, Cambronenſe, Parcenſe, & Carthuſienſe, necnon veterem Amorbachianam editionem.*

*In lib. 2. Retractat. cap. 34.*

PETILIANVS epiſcopus eorum Conſtantinienſis] *Donatiſticæ ſectæ defenſor & aſſertor hic fuit acerrimus, vnus de ſeptem delectis, qui in Collatione Carthaginienſi contra totidem catholicos epiſcopos communi nomine diſputarunt, haud ſanè poſtremus. E cauſidico factus Conſtantinæ, Numidiæ ciuitatis, epiſcopus, vt ait Auguſtinus lib. 3. contra eundem Petil. cap. 16. pro eius gentis ac regionis more ſatis facundus ac diſertus, ſed ſcripturarum non ſimiliter peritus. Vnde reprehēdit eum aliquando Auguſtinus tanquam perperam & indoctè iiſdem vtentem: vt lib. 1. contra Petilian. cap. 16. & lib. 2. cap. 18. 61. 62. lib. 3. cap. 33. Eſaiam pro Hieremia citantem coarguit. Scripſit pro ſchiſmatis ſui cauſa inter cætera, librum ſeu epiſtolam ad ſuæ diœceſis preſbyteros, diaconos, cæterosq́ fratres, quam duobus infrà libris Auguſtinus refellit, & altero cui titulus, De vnitate Eccleſiæ. Apologiam præterea aduerſus Auguſtini refutationem, cui opponitur Liber tertius contra literas Petiliani. Adhæc librum De vnico baptiſmo, cui hoc libro reſpōdetur.*

*Cæterùm qui fiat vt cùm paſſim Conſtātinienſis dicatur epiſcopus, vt præter hunc locum lib. 2. Retract. De vnitate eccleſiæ cap. 1. lib. 2. contra Petilian. cap. 99. & aliâs frequenter, tamē lib. 1. contra Creſcon. cap. 1. & lib. 3. contra Petilian. cap. 57. Cirtenſis ciuitatis epiſcopus appelletur, dicturi ſumus circa præfat. lib. 1. contra Creſcon. cap. 1.*

De vnico baptiſmo] *Vnici & ſingularis baptiſmi doctrina, certiſſima ſemper in eccleſia eſt habita. ſolus fuit Montanus hæreticus qui terna baptiſmata commentus eſt. Quare cùm Donatiſtæ ob anabaptiſmum infames eſſent, eam veluti calumniam ſtudioſe conati ſunt abs ſe amouere. Vnde Parmenianus lib. 1. apud Optatum, vnicum & ſingulare baptiſma diligenter inculcat, & comprobat. Quem ſecutus Petilianus principio ſtatim epiſtolæ, quam infrà libris duobus Auguſtinus refutat,* Bis baptiſma, *inquit,* nobis obiiciūt ij qui ſub nomine baptiſmi animas ſuas reo lauacro polluerunt. *Quam eiuſdem facti inuidiam ante eos conatus erat & Cyprianus declinare epiſt. ad Quintum, & ad Iubaianum, & in Carthaginienſi concilio Adelphius quidam à Thasbalte, apud Auguſt. lib. 6. De baptiſmo contra Donatiſt. cap. 42. Vt ergo Cyprianus & eius collegæ, ſic & Donatiſtæ negabant ſe quenquam rebaptizare, ſed baptizare tantùm. Nam quemadmodum illi baptiſmum ab hæreticis & ſchiſmaticis collatum, nolebant eſſe verum Chriſti baptiſma, ita nec iſti per Catholicos adminiſtratum; neque enim niſi per bonos & ſanctos donatum eo nomine cenſeri. Catholicos autem omnes pro traditoribus, ſacrilegis, & ſanguinariis habebant. Hoc argumentum cùm Petilianus tractandum ſuſcepiſſet, libri ſui titulum fecit* de vnico baptiſmo, *quem ſecutus Auguſt. eandem & ſui quo illius reſpondet, inſcriptionem eſſe voluit. Vt autem hunc librum ſuperioribus proximè ſubijcerem, fecit argumenti ſimilitudo; nam alioqui, vt ex libri 2. Retract. cap. 34. quod hic argumenti vice præfigimus, patet, multò poſt eos qui contra alium eiuſdem librum ſeu epiſtolam ſequuntur, conſcripti ſunt. Et cap. 1. lib. 1. contra epiſt. Petilian. ignotum ſibi fuiſſe ſtylum ſermonemq́ ipſius, haud obſcurè indicat, quem certè agnouiſſet, ſi librum illum alterum prius legiſſet. Miror tamen Auguſtinum toto hoc opere, nuſquam Maximianiſtarum, quos aliâs ſemper obijcere Donatiſtis ſolet, facere mentionem.*

IN CAP. I.

cùm aliquid legunt aliter dici] *Ita reſtituimus ex* MS. *excuſa habebant,* cùm aliquid legitur, *nec quicquam præterea.*

ſed quodlibet modò ex multis] *ſic Parcenſe exemplar; quod magis placet, quàm quod in cæteris eſt,* quolibet. *Suprà enim admonuimus familiare eſſe Auguſt.* quodlibet *ponere pro, vel vnum aliquod ex multis.*

manus etiam negligentioris] *ita* MS. *omnia, pro* negligētiores.

contrà facientibus] *ita rectius cum* MS. *Camb. & Parcenſ. quàm* contraria, *quod cætera habent, etiam excuſa.*

percipiat in ſecreto] *pro* percipit.

IN CAP. III.

prophetæ prædixerunt] *ſic* MS. *omnia.*

quod vulneratum eſt] *Ita* MS. *omnia excepto Parcenſ. cū excuſis addunt hic negationem, ſed ſenſus reſpuit.*

IN CAP. IIII.

ſimulacra Ægyptiorum] *de multiplici ſuperſtitione & idololatria Aegyptiorum videre licet inter profanos ſcriptores Herodotum libro 2. Plinium lib. 8. hiſt. cap. 26. & lib. 19. cap. 6. Iuuenalem ſatyra 15. Inter eccleſiaſticos Clementem Romanum lib. 5. Recognitionum: Athenagoram oratione pro Chriſtianis: Minutij Felicis Octauium, Prudentium in Romano.*

Nam & hoc dixit] *Parcenſ. pro* hoc, *legit* hic.

Epiſcopus Cyprianus] *lib. videlicet De vanitate idolorum. Ergo & Auguſtini temporibus liber hic Cypriani eſt habitus.*

ex illa veritate] *In excuſis deſiderabatur* ex, *quod addebant* MS. *quo modo legis & paulo ſuprà,* ex illa veritate eſt.

hinc etiam repererit] *ſic* MS. *omnia, pro* reperit.

IN CAP. V.

hoc ipſorum erat proprium deteſtabile vitium] *illud* propriū, *adiecimus ex Amādi & Parcenſ.* MS. *Cæterùm pro* deteſtabile, *Cambron. habebat,* de inſtabilitate, *ex quo Carthuſ. fecerat* de ſtabilitate: *ſed retinuimus quod erat in excuſis.*

hanc apprehendens] *Parcenſ. exemplar legit* approbans: *ſed prior lectio viſa eſt oportunior: ſignificat enim Auguſtinus, Apoſtolum, veritatem quam agnoſcebant & confitebantur Corinthij, ad correctionem ſchiſmatis eorum velut argumentum arripuiſſe.*

IN CAP. VII.

cùm veniſſet Epheſum] *ſic* MS. *omnia. prius erat minus commodè* cùm inueniſſet in Epheſo.

Si poſt Ioannem amicum ſponſi baptizatum eſt, inquiunt, quanto magis poſt hæreticum baptizandum eſt.] *Idem argumētum tractatur & refellitur lib. 5. contra Donatiſt. cap. 11. ac ſequentibus, nec non tract. 5. in Ioannem.*

quid hinc reſpondeant] *Parcenſ. exemplar legebat* quid hîc reſpondeant, *ſed alterum eſt Auguſt. frequentiſſimum, vt infrà cap. 14.* Quid hinc dicturi ſunt. *lib. 2. contra Petilian. cap. 105.* Sed hinc iā multa diximus. *lib. 3. cap. 53.* Sed quid hinc diutius differamus. *Et lib. De vnitate Eccleſiæ cap. 9.* Audiamus hinc & ipſius verbi vocem. *lib. De gratia Chriſti cont. Pelagium, cap. 30.* Vnde ad id quod propoſuit, quid etiam hinc reſpondeat videamus. *Cæterùm loco* reſpondeant, *legebatur non rectè* reſpondent.

ſacrilegi tamen] *Camb. & Carth. legunt* ſacrilega: *ſed priorem retinendam eſſe lectionem clarum eſt ex ſequentibus, vbi repetitis iiſdem verbis ſubijcit Auguſtinus,* qui ſacrilegi in nomine Ieſu Chriſti auſi ſunt operari, falſum opus proprium perdiderunt.

nec ſolùm hoc] *illud* hoc, *ex* MS. adiecimus.

contra quem diſſerimus] *pro* diſſeruimus.

velut ex aduerſarij partibus] *ſic Parcenſ. quod malim quàm* aduerſariis, *quod in reliquis erat* MS. *& excuſis.*

nec iterari oportet] *non* iterare.

quod verum eſt & meum] *ſic Parcenſ.*

in ſua iniquitate detinuerit] *ſic Amandi, & Carthuſ. Atque ita paſſim hoc & ſuperiori capite, non* tenuerit.

Dæmonia eiiceret] *ſic* MS. *pro* eieciſſet.

In hoc vtique] *id viſum rectius iuxta* MS. *quàm* itaque, *quod habebat tamen Carthuſ.*

IN CAP. VIII.

cùm ſacrilegorum eiſdem donis malè vtentium corrigitur vita] *in excuſis eſt* corrigatur. *ſed rectior eſt* MS. *lectio: ſenſus eſt enim: quando ſacramentis malè vtentium vita corrigitur, non eſſe ea repetenda, grauem alioqui eis iniuriam fieri.*

quid contra eos] *Parcenſ. legit* contra eum, *vt ad Petilianum referatur; ſed alterum legebatur & ſuprà cap. 7. proximè poſt Petiliani verba.*

IN CAP. IX.

in nomine tuo iſta fecimus] *pro* ita fecimus.

IN CAP. X.

in vtriſque tamen agnoſcendo approbanda] MS. *omnia præter Parcenſ. legunt* agnoſcenda, *quomodo paulò antè legitur* non neganda, ſed agnoſcenda. *Quod ſequitur,* in neutris negando violanda, *Cambr. ſic legit,* in vtriſque non neganda, non violāda. *Parcenſ. exemplar cum impreſſis legit: quibus ſatis accedunt Amandi, & Carthuſ. quæ habent* in neutris neganda violanda.

comparatione conuincit] *ita commodius* MS. *quàm* conuicit.

Tu credis] *ita manuſcr. omnes, & ipſe textus Apoſtoli, pro quo prius erat* dicis.

contra quem diſputamus] *non rectè* diſputauimus.

IN CAP. XI.

Verum tamen baptiſmum] *tres ſunt, non duæ tantùm dictiones.*

fuiſſe ſuſceptos] *illud* fuiſſe, *adiecimus ex conſenſu* MS.

quo baptiſmum Chriſti] MS. *conſtanter legunt* quod, *ſed alterum magis conuenit cum eo quod præceſſit,* qua orbem Chriſtianum.



quin etiam ſi quos] *redundat quod in excuſis addebatur* inuenerint, *& mox* etſi, *non* & ſi. *Ac iterum* ſi aliquo modo, *non* quos aliquo modo.

IN CAP. XII.

Nec ad clericatum admittuntur] *De hoc argumento ſuprà lib. 2. contra Parmen. cap. 13.*

IN CAP. XIII.

de ſeptuaginta præceſſoribus Cypriani] *Loquitur de concilio epiſc. Aphricæ & Numidiæ ſub Agrippino, cuius meminit & Cyprianus epiſt. ad Quintum, Iubaianum, & Ianuarium. Ad quod argumentum reſpondet Auguſt. & ſup. lib. 3. contra Donatiſtas cap. 12.*

Si verò etiam gentes Iudaizare coëgerint, vocitari germani eius affectant, Apoſtolica gratia vt continuo declarentur] *locus corruptus. Pariſienſes illud* Apoſtolica gratia, *nectunt cum ſuperioribus. Alij quidam hunc locum citantes, ſic legunt,* vocitari germani eius affectant Apoſtoli: *ſed iam ſequentia non hærent. Porro pro* declarentur MS. *excepto Parcenſ. legunt* delerentur, *ſed nihil nos adiuuat: fortè legendum* decorentur.

aut de proximo comparari] *figuratus ſermo, à loco ac tempore tranſlatus: nam quæ vicina ſunt, ea promptiora, expeditiora, magisq́ ſunt obuia. ſine tropo extulit lib. 3. contra Petilian. cap. 38.* Mileuitanum Honorium de proximo potuit intueri. *Et lib. poſt Collat. cap. 19.* Et catenam ſuam tam in proximo non attendunt. *Item Collat. 3. diei, cap. 16.* De proximo Oſtienſis epiſcopus.

quiſquis noſtrorum temporum Chriſtianus aut etiam epiſcopus, nec Chriſtum negauerit] *ſic conſtanter* MS. *conſentiente Amorbachio, excepto quòd vnà cum Pariſienſi addunt* qui *cum Frobenianis; quorum hæc erat lectio,* quiuis noſtrorum temporum Chriſtianus, etiam epiſcopus qui nec Chriſtum.

Sic etiam in martyre glorioſiſſimo Cypriano] *neſcio an locus iſte ſatis ſincerus & integer ſit.* MS *quatuor legūt ſine præpoſitura. Parcenſe per accuſatiuum effert,* in martyrem glorioſiſſimum Cyprianum.

conſecuta ſunt] *Parcenſ. legit* conſeruata ſunt.

ſi quid habebat purgandum] MS. *conſtanter legunt,* habebatur.

Nec nos quia] *ſic* MS. *omnia, pro* qui.

in eccleſiæ vnitate] MS. *magno conſenſu legunt* veritate, *etiam Amorb. niſi quòd alteram lectionem, quæ in excuſis, ad latus reiectam habet, ſed quam nos præferendam putamus; vnitas enim eccleſiaſtica & mutua charitas hæc erat, in quam eos vult perueniſſe; de alio verò eccleſiæ dogmate in quo conſentientes eſſent, nihil hîc agitur.*

rebaptizare autem catholicos] *perperam* rebaptizari.

IN CAP. XIIII.

quandoquidem cum Romanæ Eccleſiæ per ordinem commemoraret epiſcopos] *Sic* MS. *omnia: quanquam nec excuſorum reijcimus lectionem, quæ non addunt voculam* cùm, *& pro* commemoraret, *habent* commemorans.

excommunicandos eſſe cenſeret] *Plura diximus hac de re ſuprà ad lib. 5. contra Donatiſtas caput vigeſimum quintum.*

ſicut aliorum epiſcoporum & ipſius Cypriani literæ oſtendunt] *loquitur de Cypriani ad Pompeium epiſtola, & Firmiliani Cæſareæ Cappadocum epiſcopi ad ipſum Cyprianum, quæ extat apud Pamelium numero ſeptuageſimaquinta.*

quid hic dicturi ſunt] *ſic Parcenſe, pro* hinc.

in vna communione] *in excuſis addebatur* quod, *ſed contra fidem* MS.

quod iſti velut] *ſic* MS. *In excuſis minus commodè legebatur,* quo iſti.

alia crimina] MS. *etiam conſentit Amorb. prius erat* aliqua.

in catholicæ vnitatis communione] *Parcenſ. exemplar legit* cōmunionis vnitate: *quod locutionis genus extat & infrà in excuſis lib. 3. contra Petil. cap. 25. Nihil tamen mutauimus, nam nec alterum illud alienum eſt ab Auguſtino, vt ſuprà capitis huius initio,* tamen cum eo Cyprianus in vnitatis pace permanſit. *Quò etiam facit quod habet paulò infrà,* debuit ergo Cyprianus ab huiuſmodi communione diſcedere.

baptiſmum Chriſti] *illud* Chriſti *non eſt in* MS.

ab huiuſmodi communione diſcedere] MS. *quædam legunt* ab huius, *videlicet* Stephani. *Cum excuſis facit Parcenſ. & Amorb. Cui lectioni fauet quod ſequitur,* Hoc ergo quoniam non fecit, ſed cum eis in vnitate permanſit.

IN CAP. XV.

implerique iam cernitur] *ita commodius* MS. *& Amorb. quàm* impleri quoque iam cernitur. *nam illud quod ſequitur,* toto orbe terrarum, *non cum præcedentibus, ſed cum ſequentibus hæret.*

filius malus ipſe ſe iuſtum dicit, exitum autem ſuum nō abluit] *Locus eſt Prouerb. 30. ſecundum 70. quem & aliâs frequenter citat Auguſtinus: pro quo nos legimus,* Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. *Complutenſia hodie ſic legunt,* filius malus iuſtum ſe iudicat, at exitum eius non lauit. *Auguſtini verſione vtitur & Hieronymus in fine libri primi cōtra Pelag.*

de domo Dei exire properauit] MS. *noſtra omnia excepto Parc. legunt* non timuit: *ſed in fine quoque capitis habes, à familia patris exire properauit.*

etiam ante ventilationem] *ex* MS. *adiecimus* etiam.

per feminam ſerpens hominem primum etiam in paradiſi felicitate decepit.] *Hominem pro viro ponit.*

quia ſi baptiſmum] *ſic* MS. *pro* qui ſi.

quos Stephanus admittebat] MS. *Amand. & Carthuſ. legunt* ſuſcipiebat. *Sed habes ſuprà hoc eodem capite,* admitti ad eccleſiam ab Stephano ſciebat.

IN CAP. XVI.

incredibilibus calumniis inſectatus eſt] *Familiare eſt hæreticis omnibus mox vbi ab eccleſia receſſerunt, gubernatorem eius ac magiſtrum impetere. Idem ergo factitarunt & Donatiſtæ, quia nimirum coram Melchiade iudice cauſam Romæ dicentes, damnati fuêre. Vide & lib. 2. contra Petilian. cap. 51.*

ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego innocentes fuiſſe reſpondeo] *fallitur Auguſtinus in perſona Marcellini: nam hic mortis metu thurificauit idolis, ſed pôſt reſurgens martyrio conſummatus eſt.*

quàm veridicus accuſator extiterit] *ſic* MS. *omnia & Amorb. pro* extitit.

Iudicis decoloratione fuſcetur] *ſic* MS. *ex quo fecit quiſpiam* ſuffucetur.

& ipſa Romana eccleſia] *locus mutilus eſt, nec quicquam adiuuant manuſcr.*

contra quam pauciſſimis Aphris partis ſuæ] *Donatiſtæ Romanæ ſedis æmulum epiſcopum habuerunt, qui extra vrbem in vicini campi ſpelunca conuentus ſuos habebat, vnde Campenſes, Montenſes, & Rupitani ſunt illic initio appellati. Qua de re Optatus lib. 1. & nos in Commentario noſtro plura dicturi ſumus.*

interuentores aduenticios furtim longeque mittebant] *Interuentores eo ſeculo dicebantur, qui ſede vacante epiſcopatum adminiſtrabant, donec proprius aliquis electus eſſet. Meminit eorundem Auguſtinus epiſt. 163. In Concilijs Carthaginienſibus etiam interceſſores dicuntur, de quibus Concilium quintum can. 8. ſic ſtatuit:* De interceſſoribus, *inquit,* ne cathedram morientis epiſcopi diu retineant, ſed intra annum ſacerdotem prouideant. *Quod repetitur & Concilio ſeptimo can. 41.* Conſtitutum eſt, *inquit,* vt nulli interceſſori ſit licitum cathedram cui interceſſor datus eſt, quibuſlibet populorum ſtudiis & ſeditionibus retinere, ſed dare operam vt intra annum eiſdem epiſcopum prouideat: quod ſi neglexerit, anno expleto, interuētor alius tribuatur. *Adminiſtratorem hodie appellari arbitror.*

Tunc Conſtantinus nec huic eorum accuſationi] *Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 34. agnoſcit ſe hîc ordinem temporum parum rite obſeruaſſe. Eum in Commentario noſtro fuſe copioſeq́ proſequemur.*

cùm ab eius tempore vſque ad obitum, plebs vnitatis nulla conſciſſa eſt] *Clarius eſt quod ait lib. 3. contra Petilian. cap. 25.* cùm, ſicut audio, Menſurius in communionis vnitate defunctus ſit, antequam ſe ſcinderet pars Donati. *id quod haud dubiè clarum eſt ex Optati lib. 1.*

ipſæque literæ Secundi Tigiſitani] *De his literis vide infrà Collationem tertiæ diei cap. 23.*

Iam verò quod etiam de Cirtenſi eccleſia] *illud* etiam, *addunt manuſcr.*

epiſcopos ibi catholicos] *In ſingulis penè ciuitatibus Aphricæ duo erant epiſcopi, alter catholicorum, alter Donatiſtarum; horum autem cùm Cirtæ Petilianus epiſcopus eſſet, nihil mirum ſi peculiariter inſectatus eſt catholicos eiuſdem ciuitatis epiſcopos.*

maledictis inſectatus eſt quibus voluit] *inter cætera de Manichæorum hæreſi eos accuſans.*

etiam illorum nobis obſcura ab eorum opprobriis vita notiſſima eſt] *ſic* MS. *quatuor: excuſa verò vnà cum Amorbachio vocem* obſcura, *deprauarant in* cura. *pro his Parcenſis codex legit* pura. *quæ lectio quamuis ſenſum aliquem habere videatur, ſuſpecta eſt tamē mihi, & Ariſtarchum redolet. Si diuinare liceat, putarim ita legi poſſe,* etiam illorum nobis obſcura, ab iſtorum opprobriis vita remotiſſima eſt. *quod ego germanum eſſe arbitror. certè hunc ſenſum planè videntur poſtulare verba paulò ſuperiora, quæ ſic habent:* Quid aliud egit, niſi vt vituperando ſanctos, etiā noſtrorum temporum viros, nobiſque optimè cognitos, ſatis oſtenderet quid etiam de ignotis, quibus ſimiliter maledicit, ſentire debeamus?

Marcellinus, Marcellus, Syluester, Melchiades] *inuertit ordinem; nam ante Syluestrum præfuit Melchiades.*

nullo modo eorum innocentia ] pro earum; ad epiſcopos enim A hoc qui præceſſerunt, non ad eccleſias eſt referendum.

IN CAP. XVII.

Secundum Tigiſitanum] hac de re Optatus lib.1. & nos in collectaneis noſtris.

Victorem Ruſiccadienſem] perperam legebant excuſa Ruſicarienſem.

Syluanum Cirtenſem] non rectè Corienſem.

à traditionis iniquitate] Parcenſ. legit crimine.

Anima quæ peccauerit, ipſa morietur ] ſic MS. quatuor pro peccat. conſentiunt & 70.

IN CAP. XVIII.

ſicut in ipſa vnitate] pro ſicut, non rectè ſic legebatur.

vt in vno homine] in excuſis deerat vno.

qua colebant ignotum Deum] pro qua, legebatur quia, ſed illud cum ſequentibus melius quadrat, in quibus habes, qua cõfeſſi ſunt Chriſtum: & mox, qua detinetur baptiſmi ſacramentum.

Finis annotationum in librum de vnico baptiſmo contra Petilianum.

B

# ANNOTATIONES IN TRES LIBROS B. AVGVSTINI CONTRA LITERAS EIVSDEM PETILIANI.

*Ex collatione ad MS. Endouienſe ac Carthuſianum, nec non veterem Amorbachij editionem.*

DEPRAVATISSIMI erant libri iſti, & ne nunc quidem caſtigatiſſimos dare potuimus. Nam excuſſis bibliothecis hic omnibus, nullum vetuſtius MS. inuenire potuimus, tametſi in earum catalogis & indicibus nuſquam non extarent eorum nomina: id Lauernis quibuſdam debemus. Quibus autem vſi ſumus, & recentiſſima erant, vtpote non membranacea, ſed chartacea; & omnino corruptiſſima, multiſq; locis ad excuſorum parum bonam fidem caſtigata. Quanquam & ipſum Petiliani exemplar in quod Auguſtinus incidit, ſatis fuiſſe mendoſum nõ obſcurè ſignificat ipſemet lib. 3. contra Petilian. cap. 22. Quare ignoſcẽt C nobis æqui Lectores, ſi diuinare alicubi coacti ſumus, & non paucis locis eorum deſiderio parum ſatisfeciſſe videbimur. Scripti ſunt autem ab Auguſtino libri iſti, præſertim ſecundus, tempore Anaſtaſij Romani pontificis, & Ioannis Hieroſolymitani epiſcopi, vt liquet infrà libro 2. cap. 52. Cæterùm ordinis rationem ad libri ſuperioris initium reddidimus.

IN LIB. I. CAP. I.

in eccleſia Conſtantinienſi] Vt à Carthagine Carthaginienſis, ita à Conſtantina Conſtantiaienſis per ſex, non per quinque ſyllabas, ſcribendum.

Conſcientia namque dantis attenditur, quæ abluat accipientis] pro qui abluat, vt ex innumeris infrà locis conſtare poteſt.

IN CAP. II.

& hoc ille qui eſt accepturus ignorat] pro ignoret. ſic enim poſteà lib. 3. frequentiſſimè repetitur, cap. 14. 19. 22. 33. 44.

IN CAP. III.

etiam quem iuſtum & innocentem nouit] ita vtrumque exemplar, pro quæ iuſtum.

IN CAP. IIII.

Quapropter ſi errabant illi] ita legendum eſſe, non errant, liquet D ex libro 3. contra Creſconium cap. 11. & lib. 4. cap. 23. vbi hæc verba repetuntur.

Omnis enim res origine & radice conſiſtit, & ſi caput non habet aliquid, nihil eſt] Hanc radicis & capitis metaphoram mutuarunt Donatiſtæ à Cypriano epiſtola ad Iubaianum.

IN CAP. V.

in Chriſto radicem Chriſtianus infigat] ita vtrunque exemplar; quomodo repetit Auguſtinus infrà lib. 3. cap. 42. & lib. 3. contra Creſconium cap. 7.

ac non ille qui eis in credendo] perperam illi.

Aut verò apoſtolus Paulus] nõ rectè Pariſ. Ait verò Apoſtolus.

IN CAP. VI.

laborandum eſt omnibus] infrà lib. 3. cap. 43. 45. & 46. vbi eadem hæc repetuntur, legitur optandum eſt omnibus, quod malim.

Quamlibet enim bonos habuerint] ita MS. & infrà Auguſtinus lib. 3. cap. 43. in cap. 7.

IN CAP. VII.

Quòd ſi dementiſſimum] hic caput ſeptimum eſt inchoandum: & quod ſequitur, ſemper enim, vſque quid habent ponderis, parentheſi eſt includendum.

ſemper Chriſtus eſt origo regeneratorũ] deerat vocula Chriſtus, quam habes additam infrà libro 3. cap. 43. & lib. 3. contra Creſconium cap. 7. & 8.

quæ abluat accipientis] perperam qui.

Nec quicquam bene regenerat, niſi bono ſemine regeneretur] Endouienſ. legit generat, ſed magis placet regenerat; ſic enim & infrà lib. 3. cap. 52. non ſemel repetitur. fauet quod præcedit, ſemper Chriſtus eſt origo regeneratorum. Et quod ſequitur, Semen quo regeneror, verbum Dei eſt. Cæterùm pro regeneretur, loco illo lib. 3. habet Endouienſ. generetur.

vt deputetur mihi fides ad iuſtitiam ] ſic MS. pro quo erat, vt detur mihi fides.

IN CAP. IX.

Qui quoniam homines fuerunt, & ita mortui ſunt ] ita hunc locum reſtituimus ex libri ſecundi contra Creſconium cap. 25. pro quo erat, Qui quoniam homines fuerunt, ita modò ſunt.

primò execrabili ſuperbia] Endou. legit ſcientia. B

An ideò viuebat quòd fides illi comes erat] locus obſcurus, &, vt videtur, corruptus. Legendum putarim, An ideò viuebat quòd illi Deus Comes erat? vt videlicet iuxta ſuperiorem diſtinctionem, ideò vixiſſe dicatur Optatus, quoniam Gildoni Comiti Aphricæ, quem Dei loco habuerit, familiaris & notus eſſet. Conferendus eſt locus iſte cum lib. 2. cap. 23. 33. 35. 103.

à neſcio quo Primiano collega ſuo] MS. Endouienſe cum Amorbachio legunt primario, quomodo & Pariſ. niſi quòd priorem lectionem ad marginem reijcit, ſed quam ego prætulerim.

non intelligentes exitum Goliæ ſuperbiſſimi ] videtur hic locus non omnino carere menda. Cap. 11. legitur quoque exitum, ſed mendoſe pro exitium: verùm non videtur hic quadrare ea caſtigatio: malim exitu, vt ſenſus ſit, Optato mortis cauſam fuiſſe quòd de Gildonis ſatellitio & comitatu fuiſſet; quare non ideò vixiſſe dicendum, quòd ei notus eſſet, quandoquidem id mortis ei cauſam attulerit.

IN CAP. X.

ore lætiſſimo acclamauerunt] pro ore latiſſimo, vt liquet ex lib. 4. contra Creſcon. cap. 41.

nunc autem ſi fortè eis à nobis recitata fuerit, obmuteſcant] C id magis placet quàm obmuteſcunt. quomodo & legitur libro 3. contra Creſconium cap. 25.

cùm potius non eam deberent primò gaudere diſertam] ita legendum diſcimus ex libri 3. contra Creſcon. cap. 20. quamquam nec illud primò; ibi habes: in excuſis erat, cùm potius deberent primò gaudere.

Felicianum & Prætextatũ introrſus poſtea reſorberet] Optatus enim multis eos perſecutionibus ac militari incurſione fatigatos, coëgit ad Primiani cæterorumq; Donatiſtarum redire communionem. De quo plura in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.

IN CAP. XI.

tam certum exitium cogitarent ] ita potius legendum videtur, quàm exitum.

baptiſmus execretur] nouè vſurpat execror paſſiuè.

IN CAP. XIII.

baptizatos nemo rebaptizat] pro baptizat.

cur ergo non pro iſta vnitate vera & plenaria, lex illius hæreditatis agnoſcitur] ſic MS. Endou. pro quo erat pax illius hæreditatis, quomodo legebant etiam excuſa lib. 3. contra Creſcon. cap. 24. vbi eadem verba repetuntur. nobis altera lectio magis arriſit, quam ſe- D quentia quoque verba poſtulare videntur, quæ de communibus codicibus perſonat.

IN CAP. XVI.

qui vſurpato indoctè ac mendaciter teſtimonio ] perperam inducto.

mortuus eſt ille ſimiliter qui iuſto baptiſmo genitus, mixtus eſt traditori] ſic MS. pro qui iuxta baptiſmum.

quòd Ægyptiorum admodum exemplo] In excuſis deerat admodum, ſed addendum patet ex innumeris locis, quibus ſimiliter ea verba citantur.

vnde venit baptiſma] Endouienſ. cum Amorb. legunt vnde viuit, ſed non diſplicet prior lectio.

quare poſt illum baptizatur] ſic Endouienſ. vt ad Maximianum referatur: prius erat poſt illud.

IN CAP. XVIII.

ſis & tu ſeruator legis] non dubitauimus ita hunc locum caſtigare, pro quo legebatur, ſic & tu.

Quòd



Quòd ſi de perſecutionibus agis] ita hunc locum emendaui ſecutus lectionem libri 3. contra Creſc. cap. 41. vbi hæc eadem repetuntur. Prius erat, Quòd ſi de noſtris agis. A

conſiderent aliquando qui d digni ſint pati Chriſtianis poteſtatibus] pro quid Pariſ. non rectè legunt quia. Cæterùm illud pati, neutrum exemplar noſtrum legit, ſed prorſus id ſenſus poſtulat, & addenda videtur præpoſitio à: niſi fortè corruptus eſt locus.

IN CAP. XIX.

viperei ſeminis noxios partus] perperam partis.

venenati vteri aluus] ſuprà in cap. 3. lib. 2. contra Parmenianum admonuimus loco aluus, interdum alueus legi.

tardo ſe calore vaporarunt ] non rectè colore.

IN CAP. XX.

qui in vnitate toleranda] ſic Endouienſe & Amorb. pro vanitate.

IN CAP. XXI.

Ergo fructus conſideremus. Obiicitis traditionem. Hanc ipſam multo probabilius eis ipſis obiicimus ] ita legendum eſſe clarum eſt infrà ex libri 3. cap. 58. vbi hic locus ſimiliter legitur. Suffragatur quod aliquanto inferius cap. 23. ſequitur, obiicitis perſecutionem: & paulò pòſt, obiicitis quòd baptiſmum non habeamus. In excuſis prius erat, ergo fructus conſideremus quos obiicis. B

Si & vos aduerſus maiores noſtros] ſic Endouienſ. quomodo & infrà lib. 3. cap. 58. legunt MS. pro Sed & vos.

qui crimina vos fugere] pro nos; ſic enim & præfato cap. lib. 3. legitur.

quæ in ipſa particula veſtræ conciſionis] perperam noſtræ.

Sin autem vtraque falſa ſunt] ita rectius quàm Si autem. Conſentit & Auguſtini locus antedicto lib. 3. capite.

non eſt diſcutiendum quin penitus veſtra ora claudantur] Infrà lib. 3. cap. 58. MS. vt & hic legunt quam penitùs, vbi excuſa legebant quoniam. quæ vox compendioſè ſcripta ambigua eſt ad quoniam, & ad quin. vnde hanc germanam eſſe arbitror lectionem.

IN CAP. XXII.

Quid ſi vos vera] ſic legis & infrà ſæpè dicto capite libri 3. pro, Quod ſi.

quæcumque modò proferretis] perperam proferetis.

vos ea probare debuiſſe] ita eodem loco repetit Auguſtinus & lib. 4. contra Creſcon. cap. 58. In excuſis erat vos ea firmare, quod incommodius eſt propter eandem vocem paulò antè repetitam. Eodem argumento vſus eſt & ſupr. lib. 2. contra Donatiſtas cap. 6.

à frumentis Chriſti] ſic MS. & Amorb. pro in frumentis. C

IN CAP. XXIII.

Poſtremo teſtamentum à quibuſdam perſecutionis tempore flammis traditum perhibetur, nunc vndecunque prolatum recitetur.] Ex teſtamento de teſtatoris voluntate iudicari ſolet, ergo ex tabulis ſacrarum literarum quibus voluntatem ſuam nobis Deus declarauit, litem, quam cum Donatiſtis habet eccleſia, dirimendam cenſet. Similis, imo expreſſior locus eſt in Pſal. 21. vbi compellãs Donatiſtas, Fratres ſumus, inquit, quare litigamus? Nõ inteſtatus mortuus eſt pater; fecit teſtamentum & ſic mortuus eſt. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu teſtamentum proferatur in publicum; & cùm prolatum fuerit, tacent omnes vt tabulæ aperiantur & recitentur. Iudex intentus audit, aduocati ſilent, præcones ſilẽtium faciunt, vniuerſus populus ſuſpenſus eſt, vt legantur verba mortui: Ille ſine ſenſu iacet in monumento, & valent verba ipſius: ſedet Chriſtus in cælo, & contradicitur eius teſtamento, &c. Idem lib. De quinq; hæreſibus: Leges habent vt teſtatoris voluntati in omnibus pareatur; ſi quis contra teſtatoris voluntatem facere voluerit, careat hæreditate. Teſtamentum profero, verba teſtatoris recito. Vide & lib. 4. contra Creſcon. cap. 53. Vſus eſt eodem loco de teſtamenti teſtimonio etiam Optatus lib. 5. quem hic Auguſtinus, vt aliàs libenter, imitatus videtur. D

teſtamento inſtiterit exurendo ] non inſtiterat. MS. conſentit Amorbach.

aut palea noſtra fecit] non dubitauimus ita legendum eſſe, pro veſtra.

quòd redeuntibus non reſtituitur ] ſic rectè Endouienſ. pro eo quod erat non reſiſtitur.

IN CAP. XXIIII.

in fundis alienis dominationes, omitto furorẽ Circumcellionum] ſic MS. & Amorb. Auguſtinus quoque lib. 4. contra Creſcon. cap. 62. Perperam antè legebatur in fundis alienis damnationes, mitto furorem.

cadauerum cultus ſacrilegos & profanos, bacchationes] Non diſplicebat excuſorum lectio, quæ habebat cadauerum cultus ſacrilegos, & profanas bacchationes. Sed quoniam in priorem lectionem conſentit non ſolùm Endouienſ. & Amorb. verùm etiam Auguſtinus ipſe eadem hæc repetens eodem contrà loco, eam potius reponẽdam A putauimus. Cæterùm quod ad rem attinet de qua hic agitur, Donatiſtæ præpoſtera martyrij cupiditate & ambitione inflammati interficiebant ſeipſos præcipitio, vndis, vel aquis. Eos reliqui pro martyribus colebant, & dies feſtos in eorum honorem inſtituebant.

IN CAP. XXV.

nec vlla qualicunque ratione ] Pro his legebat Endouienſe MS. nec vllis erroribus qualiſcunque rationis. Nos quod prius erat, reliquimus.

hoc in eorum fronte configite ] excuſa legebant frontem. ſed per ablatiuum effert Endouienſ. ſimiliter & manuſcr. omnia lib. 4. contra Creſcon. cap. 65.

in ora coarctate] ſic Endouienſ. & Amorb. necnon Auguſt. loco iam citato. In vulgatis loco præpoſitionis in legebatur copulatiua &. Cæterùm Pariſ. editio annotauit ad marginem, legendum fortaſſe coaceruate; ſed vana eſt coniectura.

in charitate Dei, & in inuicem] ex MS. adiecimus ſecundam præpoſitionem in.

## IN LIBRI SECVNDI CONTRA LITERAS PETILIANI CAPVT PRIMVM.

B

qui ea quæ alicubi legerint] pro legerunt.

tanquam cùm ageremus, à notariis excepta ſint ] Refert Auguſtinus lib. 1. contra Gaudentium cap. 1. Petilianum ob hanc tractandi rationem, mendacium ipſi impegiſſe, quia finxiſſet diſputationem cominus inter ipſos interceſſiſſe, dum Petiliani verba proponens, ait, Petilianus dixit; contrà verò ſua reddens, Auguſtinus reſpondit. Quaſi verò; inquit, ibidem Auguſt. non dixerit quod ſcripſit.

IN CAP. III.

quæ abluat accipiẽtis] nõ qui abluat, quod & alibi annotauimus.

IN CAP. VI.

Nam ſi ita eſt, vt dicis] cum MS. conſentit Amorb. & Pariſ. pro eo quod erat dicit.

baptizati exiſtimantur] non rectè baptizato æſtimantur.

IN CAP. VII.

ait diſcipulus eius] ſic MS. & Amorb. cum Lutet. ſed non videtur adhuc locus carere menda.

mortuus mortuum non poteſt ſepelire ] pro mortuus, erat mortuos.

C iuſto baptiſmo genitus ] pro eo quod antea legebatur mendoſiſſimè, iuxta baptiſmum genitus. Alteram lect. habet Endouienſe MS. cui Carthuſ. propius accedens legit iuxta baptiſmo. Similis deprauatio erat & ſuprà lib. 1. cap. 16.

operarij doloſi] ſic MS. in excuſis erat diaboli. ſed alludit Auguſt. ad locum 2 Cor. 11. Nã eiuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli.

quòd poſt extortam aquis vltricibus animam ] MS. & Amorb. nec non Lutet. pro quod legunt quam. ſed non rectè, vt ex innumeris conſtat locis, quibus hæc eadem repetitur ſententia.

Vt interim citò dicamus] Videri queat locus hic eſſe corruptus, legendumq; Vt interim ſileamus, aut ſimile quid. Sed phraſis eſt Auguſtino admodum familiaris. ſic ſerm. 10. De verbis Domini, Cito dico, inquit; & lib. De vnitate eccleſiæ, cap. 20. Cito dixerim, inquit, pro eo quod eſt, tota facilitate, promptiſſimè, breuiter. Pro eodem alibi ait, Citò reſpondeo. Vt ſuprà lib. 1. cap. 14. & infrà lib. huius ſecundi cap. 23. lib. 3. contra Creſc. cap. 41. lib. De vnitate eccleſ. cap. 22. lib. 2. De nupt. & concup. cap. 28. lib. 9. De geneſi ad lit. cap. 4. lib. 1. contra aduerſar. legis cap. 20. Cui vt citò reſpondeam, inquit, id eſt breuiter & citra negotium. Vnde quod lib. De vnitate eccleſiæ cap. 21. dixerat, Breuiter reſpondeo; idem repetens cap. proximo, Citò reſpondeo, inquit; quod lib. D 3. contra Petilian. cap. 10. ſic effert, Defenſione breuiſſima facilimáque vterer, inquit. Videtur autem hic Auguſtinus Cyprianum imitatus, qui tractatu cõtra Nouatianum eadem locutione vtitur, Vt tibi citò, inquit, reſpondeatur Nouatiane.

Nam ſicut accipiuntur à vobis ] Amorb. & Lutetiana nobis legunt, ſed non rectè.

ſed nos vobiſcum implicare contenditis] ſic rectè manuſcr. pro nobiſcum.

IN CAP. VIII.

Laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit] Malim traditoribus, pro talibus, niſi infrà cap. 49. ſimiliter repeteretur. Idem habet Auguſt. lib. 1. contra Gaudent. cap. 37.

Chriſtum carnalem tradidit, tu ſpiritalem ] MS. legunt carnaliter, & ſpiritaliter.

Si nex hominum dici poteſt] ſic MS. pro, Si nec.

traditor & carnifex exiſtis ] ſuprà lib. 1. cap. 18. legebatur extitiſti.

tradere te noluiſſe flammis ] non dubitaui quin ita potius legendum eſſet, quàm voluiſſe : præcedit enim, vos autem mirum eſt teſtamentum ſeruaſſe.

potius fuiſſe diuinorum codicum traditores ] Redundat copula quæ tam in excuſis quàm MS. præponitur, aut deeſt aliquid.

Vt quid ergo inflaris aduerſus me ] Peruerſa eſt in excuſis ſequentis loci diſtinctio, ad hoc exemplum reſtituenda.

ipſum iudicemus traditoris hæredem ] perperam ipſius.

IN CAP. X.

Quos tradidi ſatanæ ] pro tradidit.

Ecce inuenimus Apoſtolum ] non inueniemus.

IN CAP. XI.

nunc etiam cœpiſti dicere pro nobis ] ſic MS. prius erat, nunc & iam cœpiſti dicere & pro nobis.

& ſi quid aliud criminaris, quicquid, &c. ] pro eo quod erat, etſi quid aliud criminaris, & quicquid.

IN CAP. XIIII.

Nunquid verè carnaliter ſunt filij viperarum ] ſic MS. quod rectius quàm carnales, quod erat in excuſis.

reſpondebitis, proba ] pro reſpondetis.

quòd Donatus & Marculus prophetæ fuerunt ] de his vide infrà in cap. 20.

cui tamen quia maledicere non quieſcitis, in vobis vera ] pro quo erat in excuſis, cui tamen maledicere non quieſcitis. In vobis vera.

edere non deſiſtant ſtrages de proximo agro ] Endouienſ. legit edere non deſiſtant ſtrages. De proximo ago.

Sed ligati eſtis ] ſic MS. & Amorb. pro legati.

quando ipſi non ceditis ] ſic Endouienſ. vbi elegantior eſt cũ cæditis, quod præceſſit, alluſio; quàm ſi cum excuſis legas creditis.

IN CAP. XV.

Nam de veneno & ore maledictione ] perperam legebatur oris: ſequitur enim & amaritudine pleno.

IN CAP. XVI.

obiicio ſchiſmatis crimen ] Fructus à quibus hæretici cognoſcendi, ſunt propriè diſſidia, ſeditiones, ſchiſmata, quæ nouitate ſua inter Chriſtianos pariunt. ſic & infrà cap. 73. & in Breuiculo Collationis diei 3. cap. 11.

IN CAP. XVIII.

Nam & illi angeli perditi ] ſic MS. & Amorb. pro præditi. Sequitur autem Petilianus eorum errorem qui opinati ſunt filios Dei de quibus Geneſ. 6. agitur, qui cum filiabus hominum mixti ſunt, angelos fuiſſe, non homines. In qua ſentẽtia fuere Ioſephus lib. 1. antiquit. cap. 3. Tertullian. lib. De velandis virginibus. Origenes in 54. cap. Eſaiæ apud Hieron. in comment. ſuper eundem locum. Iuſtinus in Apologia ad Senatum Romanum. Athenagoras oratione ad Antoninum. Euſeb. lib. 5. De præparat. Euangelica cap. 4. Methodius apud Epiph. hæreſi 64. Lactãt. lib. 2. cap. 14. Ambroſ. lib. De arca & Noë cap. 4. Seuerus Sulpicius hiſt. eccleſ. lib. 1. Quod refutant Chryſoſt. homil. 22. in Geneſin: Auguſtinus lib. 15. De ciuit. cap. 22. & 23. Hieron. in 66. cap. Eſaiæ. Error inde natus, quòd olim apud 70. pro filij Dei, Angeli Dei ſcriptum fuerit: tametſi in Plantini editione legatur nunc, filij Dei.

ſeſeque ſemper angelos putant ] ſic MS. & Amorb. In excuſis ſemen, legebatur pro ſemper.

quas vt caperent, perdiderunt ] legendum videtur ſuas perdiderunt.

ſi nomen eius inter duodecim Apoſtolos ] Locus corruptus eſt. Endouienſ. legit ſic, pro ſi. Et paulò pòſt, pro ordinatus eſt tertiuſdecimus, habet, vt tertiuſdecimus. ſed necdum commodus eſt ſenſus.

Ego enim ſum nouiſſimus Apoſtolorum ] ſic rectè Endouienſ. pro minimus, vt ex antecedentibus liquet. Hinc enim colligit Petilianus non eſſe quenquam amplius poſt Paulum expectandum Apoſtolum.

Vos enim cupitis vincere ] Non rectè excuſa viuere.

IN CAP. XIX.

Quod & facilè probamus ] Endouienſ. legit, Quod vt facilè probemus.

in ciuitatibus veſtris eſtis ] ſic Endouienſ. & rectiùs vt apparet, quàm vt excuſa, noſtris.

ne cùm reſponderitis ] pro reſponderetis.

IN CAP. XX.

qui in ſacerdotibus ſuis ] Deeſt aliquid, niſi fortè totus hic locus ita eſt legendus: Vobis ergo non durum eſt Chriſtum totiẽs perſequi in ſacerdotibus ſuis, Domino ipſo clamante, Ne tetigeritis Chriſtos meos. Sanctorum computate, &c.

ſi dicitis rectè vos illis feciſſe ] pro recta.

à quibuſdam veſtrûm iſta perpeſſi ſunt ] ſic Endou. loco ipſa.

ſicut doctrina veſtra non ceſſat quotidianis exemplis ] De hoc genere locutionis aliquid diximus ſuprà ad lib. 1. contra Donatiſt. cap. 8.

Illi autem de quibus maximam inuidiã facere ſoletis, Marculus & Donatus ] Et olim de his grauiter queri ſolitos Donatiſtas refert Optatus lib. 3. quorum nomina quotidie, inquit, flabello inuidiæ ventilatis. Fuere autem Donatiſtarum in Numidia epiſcopi. hunc Bagaienſem appellat Optatus, & Auguſt. tract. 11. in Ioannem: alter autem quo loco præfuerit, non meminerunt. Homines improbiſſimi & factioſiſſimi, vtpote crudeliſſimorum Circumcellionum magiſtri, vt eos hoc cap. Auguſt. appellat. Refert autem Optatus, Paulum & Macarium quendam ab Imperatore Conſtante in Africam miſſos, qui per ſingulas prouincias munera & donaria in vſum Eccleſiarum & pauperum offerrent, vt ſuſceptum imperium feliciter adminiſtraret. Eos autẽ nec Donatiſtarum epiſcopos voluiſſe præterire: Donatum verò Carthaginiẽſem legatos & munera eorum ſuperbè reieciſſe, ſuæq; ſectæ hominibus ſcripſiſſe ne quid ab eo acciperent, imò aditus ac vias omnes præcluderent ne in Numidiam venire poſſent. Donatum autem Bagaienſem Donatiſtarum epiſcopum infinitam Circumcellionum multitudinem euocaſſe ad loca omnia occupanda. Legatos verò his cognitis, neceſſe habuiſſe à Comite Africæ militem armatum poſtulare, non quo vim inferrent, ſed quo auerterent, ſi ab hoſtibus impeterentur. Quod cùm illi facere cœpiſſent, pulſis fugatiſq; metatoribus qui venturo militi hoſpitia deſignarent; retineri eum non potuiſſe quin Circumcelliones inuaderet, & magnam eorum ſtragem ederet. Eo prœlio Donatus & Marculus perierunt, aut cùm fugiſſent, martyres videri volentes de rupe quadam ſeſe præcipitarunt. Donatiſtæ Legatis inuidiam concitare volentes, ſparſerunt eos à Macario comprehenſos fuiſſe, ac tali genere mortis mulctatos. Vnde pro martyribus honoratos & celebratos ab eis fuiſſe, teſtis eſt Optatus eodem 3. lib. & Auguſt. tract. 11. in Ioannem, ſed vbi Donatum ait in puteum miſſum, aut potius deſiliiſſe. Quod cùm in Donatiſtarum fortè ſcriptis quidam rerum ignari legiſſent, aut vulgi rumore accepiſſent, nimium temere creduli, pſeudomartyris Marculi nomen veris Chriſti martyribus addiderunt, et martyrologio V. Bedæ 26. Nouembris aſſuerunt. Niſi fortè malit hoc quis alicuius Donatiſtæ aut alterius hæretici fraudibus adſcribere. Idem obſeruatum à D. Ioanne Molano S. Theologiæ profeſſore cap. 3. De Martyrologiis, ad calcem Vſuardi, qui de hoc ipſo Marculo inſignem mihi fabulam exhibuit, ex vetuſta quadam Bibliotheca prolatam, ſed tam apertè mendacem ac impudentem, vt nullo negotio deprehendi ea impoſtura poſſit.

quanto incredibilius poteſtates Romanas ] ſic & infrà lib. 3. contra Creſconium cap. 49. & tractat. 11. in Ioannem. In tota autem Romana hiſtoria ſupplicij huius rariſſima extant exempla, nec niſi vetera valde, neque vſque adeò certa. Nam M. Manlium, quem affectati regni conuictum de rupe Tarpeia ſeu mõte Capitolij, quod prius cõtra Gallos defenderat, præcipitem fuiſſe datum ſcribũt Liuius, Plutarchus, Marcus Varro, Valerius Maximus, & alij nonnulli; C. Nepos apud Gellium lib. 17. cap. 21. verberando necatum contendit. Familiares præterea Gracchorum de robore præcipitatos poſt Liuium & Feſtum refert etiã Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. ſed populari magis tumultu, quàm legum ac ſenatus ſententia. P. Seruilij tamen Tribuni plebis ſeruum, quia dominum ſuum in Capitolio latitantem prodidiſſet, de ſaxo Tarpeio Conſſ. decreto præcipitatum ſcribit Oroſius lib. 5. cap. 19.

niſi ventilabro vltimo ſeparari ] pro ſeparati.

inſectetur criminationibus ] ſic MS. & Amorbach. prius erat criminibus.

IN CAP. XXII.

At enim cõſtanter opponitis, dixit Apoſtolis Chriſtus, Qui ſemel lotus eſt, non habet cauſam niſi pedes lauandi, ſed eſt mundus totus. ] Conatur Petilianus reſpondere ad locum Ioannis 13. de non iterando baptiſmo: ſed prorſus inſulſe: rectius & errori ſuo congruentius reſpondet infrà cap. 24. Cæterùm ex hoc loco diſcimus, Africanam eccleſiam olim hunc locum de baptiſmo intellexiſſe, idq; adeò perſuaſum fuiſſe, vt nec Petilianus negare potuerit. Teſtimonio eſt Optatus eodem referens lib. 5. contra Parmen. Auguſt. lib. 2. contra Donat. cap. 14. De vnit. Eccleſiæ cap. 22. lib. 1. contra Creſcon. cap. 13. De anima & eius orig lib. 3. cap. 9. Epiſt. 163. tractatu 56. in Ioannem. Author ſerm. De ablutione pedum apud Cyprian. Victor Vticenſis lib. 3. perſ. Vandal. Pacianus quoque epiſtol. 3. ad Sympron. Gregorius Magnus lib. 9. epiſt. 39. Eodem denique reſpicere videtur & Dionyſius Areopagit. lib. De Eccleſ. hierarchia.

ſi præſentia ſua cæteros polluerat ] ſic Endou. pro pollueret.

non didicit à bono magiſtro ] MS. conſentit & Amorbach. In excuſis mendosè legebatur dicit.

IN CAP. XXIII.

Sic autem ipſe ] Perperam, Si autem. MS. ſuffragatur Amorb.

vt ſacrilegus moreris ] pro morieris. ſimiliter & verſu proximo.

dominis plangentibus ] Non plaudentibus, vt excuſa.





de illo collega veſtro ] ſic & manuſcr. & Amorbach. pro eo quod erat vero.

vt ei diceret quòd Comitem haberet Deum ] Optatus Thamugadenſis Donatiſtarum epiſcopus, de ſatellitio fuit Gildonis Africæ Comitis, qui mortuo Theodoſio tyrannidem occupauit. Eum ambigua voce pro Deo illi fuiſſe notat. Idem attigit ſuprà lib. 1. cap. 9. & infrà cap. 28. 33. 37. 103.

Sed cur non attendis ] pro attenditis, quomodo legit & Amorb. conſentientibus MS.

ſacramenta communicare ] ſic MS. & Amorb. accuſatiuo, non ablatiuo caſu.

malefacta habere communia ] Ita legunt & MS. & Amorb. non maledicta.

qualem fuiſſe putat ] pro putant. Et hic Amorbach. cum manuſcr. conſentit.

IN CAP. XXVI.

Sic ſic offert ] In excuſis erat profert. alterum habent MS. & vetus Amorbach. editio.

tantumque valet immunda fallacia ] Endouienſ. legit mundat ſed malim humana, quomodo videtur legiſſe Auguſtinus, vbi paulò pòſt ait, Cur in eis diuinam veritatem non corrumpebat humana fallacia.

IN CAP. XXVII.

In vos iſta dicitis ] perperam nos.

IN CAP. XXVIII.

facies ſplendore percuſſa ] ſic MS. quomodo & paulò pòſt repetens Auguſt. Repercuſſa erat in excuſis.

IN CAP. XXIX.

ſed vt hæc minora diſcurram ] Nouè dixit diſcurram, pro, prætеream.

IN CAP. XXX.

aut propter verum quod in ea legerat ] pro legeret.

quę in vobis violare nolumus ] mendosè legebant excuſa in nobis.

IN CAP. XXXII.

Accipite ſpiritum ſanctum ] In excuſis addebatur, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. ſed non legunt MS. & omnino redundare videtur: nam & eodem hoc cap. repetens eius verba Auguſt. hæc poſteriora non addidit.

ſicut ſcriptum eſt de reorum ] perperam eorum.

pro maledictis maledicta reponere ] Ita rectius MS. quàm reſpondere.

& ipſum in eis ] ſic MS. & Amorb. Vnde mirum quis pro ipſum, ſubſtituerit ſpiritu.

& nos neſcimus ] Loco copulæ irrepſerat quod, cùm tamen priorem lectionem præter MS. habeat & vetus Amorb. editio.

Atqui ego tibi planè ] Perperam legebatur, Atque.

Cur modò ita datur ſpiritus ſanctus ] Endouienſ. pro Cur non, ſenſu planè contrario & alieno.

Hinc fit vt eccleſia vera neminem lateat ] Hæretici eccleſiam faciunt inuiſibilem, ſed vides quàm diuerſa ſit Auguſt. ſententia. Quam eandem habes & aliis compluribus locis, vt infrà lib. 3. cap. 104. Tractatu 1. & 2. in canon. Ioannis. De vnitate eccleſiæ cap. 16. & 25. libro 2. contra Creſcon. cap. 36. In Pſalm. 44. & 47. Epiſt. 66. & 170 lib. 13. contra Fauſtum cap. 13. & 14. & lib. 16 cap. 17. Idem habet Chryſoſt. homil. 4. De verbis Eſaiæ, Vidi Dominum. Ambroſ. quoq; lib. 7. in Lucã.

vt feruorem charitatis oſtenderet ] Mendosè legunt vulgata furorem, pro feruorem; quod habet tamen vnà cum MS. etiam Amorb.

Poſtremo quid tibi viſum eſt, vt cùm probare voluiſſes ] Voculam vt, ex MS. adiecimus.

quæ Paracleto veniente ] Excuſa non rectè viuente.

velles oſtendere ] deeſt aliquid, fortaſſe pertinere, aut ſimile quid.

crepitantibus flammis ardeſcens ] pro ardens. ſic enim Petilianus initio huius cap. Quam lectionem habent & MS. & Amorb. quare mirum quis mutandum hoc putarit.

Quis hoc inſaniſſimus dixerit ] Naſutulus quiſpiam adiecerat niſi, ſed non obſeruarat phraſim eſſe Auguſtini, & intelligi coniunctionem vel. Certè MS. non addunt. De quo locutionis genere plura diximus ſuprà in lib. 5. contra Donatiſt. cap. 10.

ſiue inſufflando in facies ] ſic MS. & Amorb. pro inflando.

quibus dicis vnum baptiſma ] MS. conſentit & Amorb. pro eo quod erat dicit.

IN CAP. XXXIII.

Sed vt plenè diſcutiam ] MS. & Amorb. legunt planè; ſed ſubiuncta Auguſt. reſponſio cum excuſorum lectione conſentit.

qui filium Dei ] Non rectè quem filium.

Vos ergo huiuſmodi non debeo baptizare ] ſic MS. & Amorb. cum nota interrogationis in fine periodi. quibus fauent & proximi cap. Petiliani verba. In excuſis erat dico, non baptizare.

orbi terrarum facere non ceſſas ] Mendosè in excuſis legebatur orbis.

Porro ſi talis ſit homo, qualis fuerit ille ] ſic Endou. pro fuerat.

hoc coguntur eſſe ] Ita rectè Endouienſ. pro cognoſcuntur. ſic enim & paulò pòſt, ſi talis eſſe cogitur.

IN CAP. XXXIIII.

mihi vos baptizare ſacrilegos non licebit? &c. ] Hãc lectionem Amorb. ad marginem annotatam reiecerat, quæ tamen germana eſt, & longè rectior altera quæ habet in his vos baptizare. Niſi fortè malis, nobis vos baptizare.

IN CAP. XXXVI.

qui ſi probati eſſent ] Endouienſ. legit quia ſi. Excuſa, qui niſi probati eſſent, ſed non dubitaui locum, vt repoſui, reſtituendum eſſe, vt ſubaudiatur, traditores fuiſſe.

IN CAP. XXXVII.

& alibi diximus ] videlicet lib. 5. contra Donatiſtas, cap. 9. & ſeq.

in expoliationem carnalium concupiſcentiarum ] In excuſis non rectè pro in, legebatur vt.

in vnitate fuiſſe dicitur ] Pro eſſe dicitur. MS. cõſentit & Amorb. agit enim de Optato Gildoniano, iamdudum defuncto.

qui Dei ſacramentum ] Apud Amorb. legebatur non rectè qui dei ſacramentũ, ex quo ſecunda eſt deprauatio nata, qui dat ſacramentum, quomodo habent vulgata.

& qui indignè tractauerint ] ſic Endouienſ. pro tractauit: error ex ſuperiore deſcendens.

ſi lingua non frenatur ] Endouienſ. legit, ſi lingua infrenatur.

An & hoc non videre ] In excuſis deerat negatio.

Quis autem vos quærit ] pro nos.

iſtam miſericordiam vobis diſpenſat ] Et hîc perperam legebatur nobis.

quandiu ipſe non periit ] hæc in excuſis deſiderabantur.

IN CAP. XXXVIII.

Et ego quidem Græcæ linguæ perparum aſſecutus ſum, & propè nihil ] Græcas literas Auguſtinus puer attigit, ſed quia exoſas habebat, inuitus & coactus, vnde non admodum in iis profecit, vt de ſe ipſo teſtatur lib. 1. Confeſſ. cap. 13. & 14. Sic lib. 1. De Trinitat. cap. 1. Linguæ Græcæ, inquit, non eſt nobis tantus habitus, vt talium rerum libris legendis & intelligendis vllo modo reperiamur idonei. Non prorſus tamen ignarum fuiſſe, ex eo intelligi poteſt quòd frequenter ad Græca confugiat, Latina cum iis conferens, vt infrà cap. 46. epiſt. 59. non ſemel. Serm. 48. De verbis Domini. Ser. 15. De verbis Apoſt. Lib. 2. De doctr. Chriſt. cap. 12. In Pſal. frequẽtiſſimè. Quin libri Locutionum de ſcriptura ſacra, exemplis pleniſſimi ſunt. Imò categorias Ariſtotelis de Græco in Latinum vertit. & lib. 1. contra Iul. cap. 6. integras Chryſoſt. ſententias non infeliciter tranſtulit.

Non tamen impudenter me dico noſſe; ὅλον non eſſe vnum, ſed totum; & καθόλον, ſecundum totum, vnde catholica nomen accepit ] De nomine catholicæ ſeu catholici dicturi aliquid ſumus circa Collat. 3. cap. 3. Illud interim hîc annotandum, videri Petilianum etymologiam hanc à Paciano Barcinonenſi hauſiſſe, apud quem haud diſſimilis extat, epiſtola prima ad Sympronianum. Si catholici nominis, inquit, reddenda eſt ratio, & exprimenda de Græco interpretatione Romana, Catholicus vbique vnum nuncupatur. Et poſt aliquanta: Ergo in omnibus vna, & vna ſuper omnia, ſi rationem nominis quæris, apparet eccleſia. Sed de hoc quoq; Paciani loco plura loco præfato dicturi ſumus. Rectam etymi rationem tradit Auguſtinus infrà lib. De vnitate eccleſiæ cap. 2. Lib. 2. contra Gaudentium cap. 2. Epiſt. 170. ad Seuerinum. Attingit & epiſtola 163.

IN CAP. XXXIX.

nec amurcæ cum oleo pars, licet ſit feculenta cognatio, ſed cuncta reproba defluent ] In vniuerſis liquoribus, inquit Galenus lib. 1. De Simplicibus cap. 17. qui è fructibus exprimuntur, craſſum defertur quippiam quod ſpatio temporis ſubſidet, vocaturq; fex in vino, in oleo autem amurca. Alij tamen etiam in oleo feces agnoſcunt, & contra amurcam diſtinguunt, vt hoc appellentur olei ſordes et purgamenta quæ præcedunt, illud autem quæ ſequuntur. Vtitur ea voce Auguſt. in Pſal. 80. non ſemel. In torcularibus, inquit, animaduertimus quædam tria, preſſuram, & de preſſura quædam duo, vnum recondẽdum, alterum proiiciendum. Fit ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus, & in his oleum eliquatur occultè in gemellarium, amurca publicè per plateas currit. Et infrà: Nigra tenebris ignorantiæ amurca inſultet, & illa tanquam per plateas publicè proiecta inſultet. vbi videtur alludere ad illud poëtæ Georg. 1. nigra perfundere amurca. Sic & lib. 50. homil. 8. Potens eſt, inquit, Deus vt illos conuertat ad bonum, & qui nunc palea eſſe videntur, de zizaniis in triticum, de amurca in oleum tranſeant.

Macarium iſtum de cuius parte nos dicitis, omnino non nouimus ] De hoc Macario vide Optatum lib. 3. de quo & nos aliquid di-

*ximus ſuprà in Pſal. contra partem Donati, ad literam L. & lib. hoc cõtra Petilian cap. 20. plura in Comment. noſtro rerum Donatiſticarum. Quemadmodum autem Donatiſtas catholici vocabant, Partem ſeu de parte Donati, ita viciſsim catholicos Donatiſtæ Partem ſeu de parte Macarij. Sed eam recriminationem rectè hic refellit Auguſtinus, quo tamen ſenſu dici id poßit docet infrà cap. 46. Eodem pertinet quod catholicorum eccleſiam, Macarianam appellabant, vt teſtis eſt Auguſt. epiſt. 161. & catholicos Macarianos, vt videre eſt infrà cap. 92. & epiſt. 164.*

Quod enim Græcè μακάριος, Latinè beatus eſt ] *Idem tractat & infra cap. 46.*

IN CAP. XL.

quando cum Optato ſacramentum ſumebas] *Ex* MS. *adiecimus* quando.

IN CAP. XLII.

quæ ſunt aduerſus vos vt ea dicantur] *pro* dicuntur. *Cum* MS. *conſentit & Amorbach.*

IN CAP. XLIII.

Non ergo curo vanum calumniatorem] *ſic* MS. *& Amorbach. prius erat non rectè* vnum calumniatorem.

IN CAP. XLIIII.

ſi in nomine Iudæ traditoris ] *in excuſis deſiderabatur* Iudæ, *quod addebant* MS. *& addendum ex Petiliani verbis intelligi poteſt.*

aut in te cuiuſquam ſordibus pollui ] *Legendum videtur*, aut in ſe cuiuſquam ſordibus pollui?

IN CAP. XLV.

nihil nobis præiudicant nomina compartis] *ſic Endouienſ. Excuſa pro* compartis, *legebant* cum paucis.

IN CAP. XLVI.

non partes ſcilicet faciens] *ſic* MS. *& Amorb. pro* non pares.

ô miſeri qui ſedetis] *ſic Endouienſ. prius erat* quid ſedetis.

& iter impiorum periet] *Cùm ita legant &* MS. *& Amorbach. id maluimus, quàm* peribit.

quia fortè intelliges cuius Macarij] *ſic Endou. pro* intelligeres.

IN CAP. XLVII.

Inde vicit Goliam oleo chriſmatis loricata] *Videtur locus corruptus aut mutilus.*

in cantico nouo deuictus eſt] *ſic* MS. *& Amorb. In excuſis erat* depictus; *ſed reſpicit ſuperiora Petiliani verba*, inde vicit Goliam.

qui orbi terrarum communicat] *Legendum videtur*, non communicat.

in quos incurrere, quid eſt aliud] *Pro* quas. *reſpicit enim non ad leges Romanas, ſed ad fuſtes Circumcellionum quib. armati incedebãt.*

non quaſi eum amiſerint, rebaptizantur] *ſic Endouienſ pro* baptizantur.

IN CAP. XLVIII.

& tamen habebat ſanctitatem, non vitæ ſuæ] *Addebant excuſa*, ſed vnctionis, *ſed non legunt* MS. *& omnino redundat; nam reſpondens aduerſatiua paulò pòſt ſequitur*, ſed ſacramenti.

IN CAP. XLIX.

Ecce legaliter loquitur, qui nititur contra legem] *Id eſt, verbis ex veteri lege deſumptis. Videtur Petilianus exiſtimaſſe locum hunc petitum ex 21. cap. Exod. vbi dicitur, oculũ pro oculo, dentẽ pro dente, &c. Nam locum Matth. 16. Quam dabit commutationem homo pro anima ſua; nondum tunc viderat diabolus.*

Diabolum vos imitemini] *pro* imitamini.

IN CAP. L.

Quære potiùs, quid verum dicas] *Perperam legebatur*, Quare potius. MS. *conſentit etiam Amorb.*

IN CAP. LI.

Cathedra tibi quid fecit Eccleſię Romanę in qua Petrus ſedit] *B. Petrum Cathedram Romæ habuiſſe negat Caluinus: aiunt veteres Patres non pauci, inter quos & Auguſt. cuius apertum hic habes teſtimonium.*

Quare appellas Cathedram peſtilentię Cathedram Apoſtolicam?] *Solemne eſt hæreticis omnibus, vt Romano põtifici maledicant, mox vt ab eccleſia receſſerint. Contra Donatum autem ſchiſmatis authorem Melchiades olim in Romano concilio ſententiam tulerat, Cæciliano abſoluto. Hinc illæ lachrymæ. Donatiſtas ſtrenuè imitantur noſtri temporis hæretici. Idem & ſuprà annotatum fuit lib. De vnico baptiſmo cap. 16.*

Ait enim, Cathedram Moyſi ſedent] *ſimili phraſi vſus eſt lib. 4. contra Donat. cap. 11. & epiſt. 165. Ante eum verò Optatus qui lib. 1. Nec Cæcilianus, inquit, receßit à Cathedra Petri vel Cæciliani; ſed Maiorinus, cuius tu cathedram ſedes. Idem repetit duobus paulò pòſt locis.*

ſed quid eſt aliud, quàm neſcire quid dicere, & tamen non poſſe niſi maledicere?] MS. *& Amorb. legunt* quàm neſcire dicere. *illud* quid, *videtur Lipſius adieciſſe. Fortaſſe legendum*, ſed quid eſt hoc aliud, quàm neſcire tacere, & tamen non poſſe niſi maledicere? *Nos priorem tamen lectionem reliquimus, quòd nõ abhorreat Auguſtinus ab huiuſmodi locutionibus, pro* neſcire quid dicas.

IN CAP. LII.

omnium veſtrum malum ſchiſmatis facit] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, cùm prius legeretur* ſchiſmaticis.

IN CAP. LVIII.

cum regibus ſeculi nos veſtra tenere mentimini] *Ita legẽdum eſſe liquet ex ſubiecta Auguſt. refutatione:* Cùm ergo dicimus, *inquit*, quod noſtra teneatis. *Pro* nos, *legebatur* vos.

ſi non ſunt noſtra quæ tenetis ] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod erat* veſtra. *Nam ita legendum & ipſa textus circumſtantia, et ſubiecta inferius verba docent. Cùm ergo dicimus, inquit, quod noſtra teneatis, non oſtendimur falſum teſtimonium dicere.*

IN CAP. LXI.

Qui ſoluerit, & ſic docuerit, id eſt, docuerit verbis quod ſoluerit factis] *Auguſt. lib. De ſermone Domini in monte, locum hunc ſic interpretatur: Qui ſoluerit & ſic docuerit, id eſt, inquit, ſecundum quod ſoluit, non ſecundum quod inuenit & legit. q. d. Qui ſoluerit, & ſoluere docuerit. Sed lib. 1. Retract. cap. 19. eum commentarium haud obſcurè reijcit, dicens eum ſe locum poſterius rectius interpretatum, vt reſpiciatur ad illud Matth. 23. dicunt enim & non faciunt. Eorum locorũ vnus hic eſt. alij lib. 18. contra Fauſtum, cap 5. Tract. 122. in Ioãnem. Tract. 6. in canon. Ioan. ſic interpretatus eſt Hieronym. epiſt. 41. ad Rufinum. Gregor. hom. 12. in Euang. & lib. 19. mor. cap. 5.*

IN CAP. LXV.

quid ad eos qui laudant] *pro* laudent.

IN CAP. LXVII.

miſericordes appellemini] *ſic* MS. *& Amorb. non* appellamini.

IN CAP. LXIX.

infamãtur incogniti] *Ita rectè* MS. *& Amorb. Naſutulus quiſpiam non intelligens Auguſtinum, pro* incogniti, *repoſuerat* cogniti.

IN CAP. LXX.

Pax pax, & vbi eſt pax?] *ſic* MS. *quomodo & in verbis Petiliani. id mutarat quiſpiam ad noſtram lectionem*, & non eſt pax.

IN CAP. LXXIII.

ſuffectis ſanguine faucibus iram anhelantem] *Endouienſ. legit* reſpirant.

quæſtio ſit inter nos, vbi ſit eccleſia] *Hunc quæſtionis ſtatum inter catholicos & Donatiſtas proponit & lib. De vnitate eccleſiæ cap 2.*

diſputantibus conſequentia verba recitamus ] *Illud* diſputantibus *non legit Endouienſ. & videtur omnino ſupereſſe.*

non ſolùm non obſequimini] *Endouienſ. legit* ſequimini; *ſed nos quod prius erat, retinuimus.*

IN CAP. LXXVI.

Pauli magiſtri patientiã ſub noſtris periculis imitamur] *Endouienſ. legit* veſtris, *quæ nimirum à catholicis paterentur.*

Quos enim alios tangit] *In excuſis erat* vel alios. *ſed illud* vel, *non legunt* MS.

IN CAP. LXXVII.

etſi baptiſmum & fidem teneatis] *pro* etſi fidem. MS. *conſentit & Amorbach.*

non in vobis deteſtemur] *ſic cum* MS. *& Amorb. pro* in nobis.

IN CAP. LXXX.

nunquid ea quæ non inueneris proferres?] *Ita Endouiẽſ. prius erat* profers.

IN CAP. LXXXI.

ſcientes quia in defenſionem euangelij poſitus ſum ] *Ita rectius cum* MS. *quàm* defenſione.

hac enim & cecidit, & deiecit] *Endouienſ. legebat*, nec enim: *excuſa* hæc enim. *ſed neutra lectio recta eſt. legendum verò*, hac enim. *Nam ſenſus eſt, quòd diabolus per ſuperbiam & ipſe ceciderit, & hominem præcipitarit.*

IN CAP. LXXXIII.

Ad fidem quidem nullus eſt cogẽdus inuitus] *Non ſentit Auguſtinus aduerſus hæreticos non eſſe pœnalibus legibus vtendum, vt ad ſanam fidem reuertantur: ſed non hoc agendum, vt inuiti & reluctantes veniant; verùm vt ex inuitis & reluctantibus, voluntarij fiant & conſentientes. Vnde paulò pòſt Auguſt. Benefacere nemo poteſt niſi elegerit, niſi amauerit, &c. Vide quæ idem ſcripſit in hanc rem infrà cap. 94. & lib. 1. contra Gaudentium, cap. 25.*

Qui tamen aduerſas leges conſtituerunt] *fortè* aduerſus vos. *quomodo paulò antè habes.*

cùm viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt martyres ] *ſic epiſt. 68. Viuunt, inquit, vt latrones, moriũtur vt Circumcelliones, honorantur vt martyres. Et lib. 2. contra Donatiſt. cap. 10. Iſti, inquit, ſimul habere volunt & ſacrilegorum vitam, & innocentium famam, & in*



*ſceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis iuſtis martyrum gloriam.*

columbum ſe nominet] *pro* nominat.

quæ nulla amicitia iudicum ] *Videtur non carere locus mendæ ſuſpicione.*

Non ſolùm in ciuitate Romana] *Hipponem Romanam vocat ciuitatem, quòd iuris vel poteſtatis eſſet Romanorum.*

Quid nuper, quod ipſe adhuc lugeo, nõne Criſpinus veſter Calamenſis] *De hoc facto expoſtulat cum ipſo Criſpino Auguſt. epiſtola 173. Attingit & infrà cap. 99.*

cùm emiſſet poſſeſſionem & hoc emphyteuticam ] *Emphyteuſis contractus eſt medius inter emptionem & locationem, quo res ſoli ſub annua penſione in tempus definitum vel indefinitum traduntur excolendæ; ita vt qui eas accipit, non earum ſit dominus, ſed vſu tantum habeat ſuas. Propriè autem & ab initio ſterilia tantùm & inculta hoc contractus genere tradebantur, vt accipiens ea meliora fertilioraq́ faceret. Poſſeßio ergo ſic accepta, emphyteutica dicitur: emphyteutes qui fundum ea lege à domino accipit, vt eum meliorem reddat, conſeratq́. De quo plura in Cod. de iure emphyteutico, tit. 6. l. 2.*

IN CAP. LXXXIIII.

Cur autem vos non liberum arbitrium vnicuique ſequi permittitis, cùm ipſe Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus ] *Similis eſt hodie vox hæreticorum noſtri temporis, ſed quibus idem ſit reſpondendum, quod hic Donatiſtis reſpõdit Auguſtinus. Quod item Creſconio lib. 3. aduerſus eum cap. 51. Fruſtra dicis, inquit, relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis & in ſtupris, & in quibuſque aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? Quæ tamen omnia iuſtis legibus comprimi vtiliſſimum ac ſaluberrimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam. His addenda ſunt quæ ad ſimilem querelam reſpondet Gaudentio lib. 1. cap. 19.*

legum coërcitionibus admonentur] *ſic* MS. *& aliâs vbique.*

vos autem ſicut cæteri ] *Perperam legebatur* cæci, *pro* cæteri. *quod tamen cum* MS. *legit & Amorb. quomodo citauit & Iuo decreti ſui parte 10. cap. 75.*

ita calumnioſi] *pro* calamitoſi. *Alteram lectionem habebat & Amorb. conſentientibus* MS.

in ſola dilectione Donati] *Non caret locus ſuſpicione: malim* in ſola parte Donati.

& prædicari in nomine eius] *pro* prædicare.

IN CAP. LXXXVI.

in vita carnifice voluerit permanere] *ſic* MS. *cui reſpondet quod paulò pòſt ſequitur apud Auguſt.* vita carnifice crucientur. *Prius erat non rectè* carnificem.

vnde multas ad vos commonendos] *Perperam* multos, *ſequitur enim* leges.

ita concidet vultus veſter] *pro* concidit.

quam in veſtram linguam rebaptizandus incurrat] *ſic Endouienſ. pro quo in excuſis erat* aquam. *Alterum illud viſum eſt rectius, vt de doctrina & ſeductione agatur: nam tingi violenter tractum renitente voluntate nullum eſt peccatum.*

IN CAP. LXXXVIII.

diſciplinæ autem huius initiũ Petro eſt conſtitutum] *ex* MS. *adiecimus* eſt.

ſi dixeritis] *pro* dixeris. MS. *conſentit Amorb.*

etſi non legibus] *ſic* MS. *& Amorb. pro eo quod erat*, & nõ legib.

Sed cur eis non dicam (quo animo dicã, & quo illi accipiant nouerit Deus) inſani ] *Ita rectè hunc locum legit & diſtinguit Endouienſ. pro* dicã, *quod parentheſi continetur, erat minus cõmodè* dico.

& vobis reſiſtunt quicunque in catholica ] *pro* nobis. *ſic* MS. *& Amorbach.*

etiam corporaliter pugnant] *Non* pugnauit, *quomodo excuſa.*

Sed ſi ipſis dicitur vt quieſcant] *ſic Endou. pro* quòd quieſcãt.

vt hæretico furore depoſito] *Ita rectius Endouienſ. quàm* errore hæretico, *quod erat in excuſis.*

Dicit enim hoc corpus Chriſti quod per totam terram ab aliis hic, ab aliis alibi, & ab omnibus aliis atque aliis, vbicunque ſunt, hæreticis oppugnatur.] *Eccleſia Chriſti per totum ſe orbem extendit, ideò catholica dicta. Nuſquam autem nec hæreſis deeſt, quæ eccleſiam oppugnet, verùm non vna eademq́, ſed alia & alia: nulla enim eadem hæreſis totum occupat, aut vbique diffunditur, eoq́ nulla catholica eſt. Cæterùm cùm inter ſeſe diſſentiant, interdum etiam ex diametro, in oppugnanda eccleſia tamen mirè inter ſe conſentiunt. Idem habet Auguſt. & infrà lib. 3. contra Creſcon. cap. 67. & lib. 4. cap. 61. Lib. De ciuitate Dei 20. cap. 11. De vnitate eccleſiæ cap. 3.*

IN CAP. LXXXIX.

quæ cuique pro communione facienda ] *Locus corruptus & mutilus.*

nam nemo fideliſſimus viueret] *Endouienſ. legit* fidiſſimus.

IN CAP. XCI.

quòd ſputa in facie paſſus eſt] *pro* à facie.

Non iſtam vobis famam] *ſic* MS. *& Endou. pro* Non iſta.

IN CAP. XCII.

quam nemo principum] *pro* quem nemo.

Traianum, Getam, Decium, Valerianum] *In excuſis legebatur* Traianum, Varium, Decium, *ſed* MS. *pro* Vario, Getam, *conſtanter legunt, non hoc tantum loco, ſed & infrà quoque eodem hoc cap. in Auguſt. refutatione. Sed neutrum placet. Nam in primis Varius (fuit is Antoninus Heliogabalus Caracallæ ex ſcorto filius; Varij nomen à condiſcipulis ſortitus, quòd vario & incerto ſemine conceptus putaretur: vti narrat Lampridius) non eſt in vlla hiſtoria Chriſtianorum perſecutione infamis: multo minus Geta, vt qui nunquam imperarit, ſed frater eius Antoninus Baßianus Caracalla. Hic enim principatus ſui initio, quò ſine æmulo tutiùs regnaret, Getam fratrem poſt varias ei paratas inſidias, apertè tandem aggreſſus, ad matris ſinum confugientem deq́ eius collo pẽdentem, nondum impletis 23. ætatis eius annis, interficiendum curauit. Author Dion Caßius in hiſtoria. Niſi quis Aurelium Verum, & ipſum Antoninum Baßianum Getas quoque appellatos velit, quod prodidit Epiphanius lib. De menſuris & ponderibus. Sed nec hi ſunt Chriſtianos admodum perſecuti. Verùm non eſt neceſſe admodum nos hic ſollicitos eſſe de vera lectione, nam & Petilianus vt aliâs in citandis ſcripturarum authoribus & locis, ita & in hiſtoria falli potuit. Certè in proximis verbis Diocletianum à Maximiano ſeparat, tanquam longo interuallo diſiunctos, cùm tamen ſimul & imperarint, & perſecutionem in Chriſtianos indixerint. Nos* Getam *retinuimus* MS. *fidem ſecuti.*

qui dum thura prædicarent] *Endouienſ. legit* prædicerent, *fortè* indicerent.

ſed & Carthaginis Menſurius, & Cæcilianus] *Calumnia eſt, nec probare iuſſi, vnquam potuerunt. de qua re aliâs latiùs.*

Periit Macarius, periit Vrſatius ] *Macarium cur inter cæteros exoſum habuerint Donatiſtæ, ſuprà non ſemel diximus, præſertim ad huius lib. cap. 20. Quo verò mortis genere obierit, nihil cognitum habemus. Quod ad Vrſatium attinet, refert etiam Optatus lib. 3. magnam ei Donatiſtarum conflatam inuidiã, cauſam addit, quòd ſub eo multi fuerint affecti iniuria. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium cap. 29. & 30. refert Syluanum Cirtenſem Donatiſtarum epiſcopum, publico iudicio traditionis crimine conuictum & condemnatum, cùm hæreſim ſuam relinquere nollet, perſecutionem ab Vrſatio, & Zenophilo cõſulari perpeſſum, actumq́ in exilium fuiſſe. Videri queat Donatus etiam ipſe Carthaginenſis Donatiſtarum epiſcopus ab eodem pulſus eſſe, & ab ea ciuitate eiectus, eo nomine tanquam martyr ſolitus à ſuis celebrari. Nam & in Martyrologium neſcio quo errore irrepſit: ſic enim ibi legis Calẽdis Martus,* Eodem die ſancti Donati martyris qui ſub iudice Vrſatio, & Marcellino tribuno paſſus eſt. *Sed pſeudomartyrem fuiſſe Donatum eum, & catholicos præfectos Vrſatium & Marcellinum, alio cõmodius loco dicemus, vbi hanc fabulam refutabimus. Cæterùm quo barbarico prœlio Vrſatius perierit, vbi (quod exaggerandi cauſa Petilianus ait) ab auibus canibusq́ diſcerptus ſit, incertum habeo; nam & bellum Firmianum, & Gildonianum eius eſt ætate poſterius, vt qui Syluanum Proconſul. audierit anno imperij Conſtantini Magni 15. vt liquet ex lib. 3. contra Creſcon. cap. 29. His Marcellinum additurus erat, qui Heracliana factione perijt, ſed id poſterius accidit. Mirum verò cur Taurinũ, Syluestrum, Leontium, & Paulum Macarij collegam prætererit, de quibus apud Optatum lib. 3. Infrà tamen lib. 3. cap. 25. etiam Taurini meminit Petilianus, & cuiuſdam Romani.*

Ita vos quoque iuſtos & pauperes] *Sic Endouienſ. quod magis quadrat, quàm* quoſque, *quod habebant excuſa.*

nec me vtique prætermittis] *ſic* MS. *& Amorb. pro* præmittis.

Certè iſtum locum ſic exorſus es] *Ita* MS. *conſentiente Amorb. In excuſis erat*, Ecce iſtum locum.

Et noſtri quidem ſiqua eis amicitia eſt] *Perperam*, ſiqua eius.

Tenetur petitio quam veſtri maiores dederunt, conſtitutio quam impetrauerunt, geſta vbi allegauerũt] *Diu me locus iſte torſit priuſquam veram lectionem eruere potui. In excuſis erat*, quam veſtri maiores dederunt Conſtantio. *quomodo correctum etiam erat* MS. *Endouienſ. Quod tamen germanum non eſſe facilè ex eo colligebam, quòd in tota Donatiſtarum hiſtoria certum habebam, nullum eſſe Conſtantio imperatori locum, nec ab eo Donatiſtarum nomine quicquam petitum vel impetratum. Tandem veteris lectionis Endouianæ, quæ tota deleta erat ac inducta, ſcrutatus veſtigia, deprehendo ſcriptũ prius fuiſſe*, conſtitutio, *quod in* Conſtantio, *deprauatum erat. quæ nimirum genuina eſt lectio, quamq́ textus conſequentia prorſus poſtulare nemo non viderit.*

apud eum ſolam locum habere iuſtitiam ] *ſuprà alicubi annotauimus* ſolam *legendum, non* ſolum, *quomodo hic legebant excuſa.*

auſus

auſus es & dicere] ſic & MS. & Amorb. pro auſus eſt.

vel vnde vos, ſicut Chriſtus docet, exiſtis] Cùm ita legat conſentienter MS. etiam Amorb. miror quis naſutulus, exiſtitis, ſcribendum putarit; nimirum non intellexit hunc locum. verbum eſt enim ab exeo, non ab, exiſto, deductum.

Quid ſi non in tam longo imperio Conſtantinus] Regnauit enim annis fere triginta duobus, vt author eſt Euſebius lib. De vita eius 4. cap. 53.

quando iſta garriendi finem faceretis] Et MS. & Amorbach. legunt, quādo iſta garrire taceretis, ſed nos reliquimus priorē lectionē.

ita vt nos Macarianos, non Vrſatianos appelletis] De hoc conuicio aliquid diximus in Pſal. cōtra partem Donati, ad literam L. & ſuprà ad libri 2. cap. 20. & 39.

Optatus namque de ſatellitio Gildonis accuſatus, tali genere mortis extinctus eſt.] Id annotandum, nam id alibi nuſquam relatum arbitror.

Non enim auferenda idola de terra, quod tanto antè prædictum eſt] ſic Eſaias cap. 2. Et eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur. Et Zachar. cap. 13. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum; diſperdam nomina idolorū de terra, & non memorabuntur vltrà.

B quem tu quoque inſeruiſti ſcriptis tuis] pro ſcripturis. ſic enim & MS. & Endouienſ.

in ipſo vno Daniele reges accuſare, quia in lacum leonum miſſus eſt: & reges non laudare] Ita rectius plurali numero, quàm ſingulari, regem.

eiſdem leonibus miſit] ſic Endouienſ. pro eiuſdem.

Deo gratias, quia ea ipſe poſuiſti] Vetus eſt fidelium vox, & vſu eccleſiaſtico iam olim tritiſſima, priſcis autem Chriſtianis adeò grata & iucunda, vt filiis etiam ſuis id nomen imponerent. Nam & Auguſt. lib. De catechizand. rudibus ſcribit ad quēdam Deogratias Carthaginienſem diaconum. Alterius aut eiuſdem fortaſſis meminit epiſt. 69. Ad cognominem presbyterum extat eiuſdem epiſtola 49. Vtitur eadem libentiſſimè & Auguſt. vt hoc loco, & ſuprà cap. 54. Lib. 3. contra Creſcon. cap. 34. Epiſt. 48. lib. De geſtis cum Emerito. Suauiſſimè verò de ea loquitur epiſt. 77. ad Aurelium Carthag. epiſcopum. Nam quid melius, inquit, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quā Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grādius, C nec agi fructuoſius poteſt. Petita eſt autem hæc loquendi formula à Paulo apoſtolo, qui 1 Cor. 15. Deo autem gratias, inquit, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et 2 Cor. 2. Deo autem gratias, inquit, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu. Græci per nominatiuum efferūt τῷ ϑεῷ χάρις, id eſt, Deo autē gratia, vt ſubaudiatur eſt vel ſit: quomodo Comicus, Diis gratia. In altero ſubintelligendū eſt, ago. Cæterùm teſtis eſt Auguſtinus in Pſal. 132. Donatiſtas olim ridere ſolitos hāc Chriſtianorū vocem, & pro ea vti potius voluiſſe Deo laudes, quaſi vel Latinius vel commodius id foret; cùm tamen eorum maiores in Cirtenſi concilio ſub Secundo Tigiſitano altera etiam formula vſi fuiſſe legantur, vt videre eſt apud Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. cap. 27. Verba autem eius in Pſal. 132. hæc ſunt: Hi, inquit, etiam inſultare nobis audent, quia fratres cùm vident homines, Deo gratias dicūt. Quid eſt, inquiunt, Deo gratias? Itáne ſurdus es, vt neſcias quid ſit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide ſi nō debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum? Non enim non eſt locus gratulationis, quādo ſe inuicem vident qui habitant in Chriſto. Et tamē vos Deo gratias noſtrum ridetis, Deo laudes veſtrum plorant homines. De quo nomine paulò antè ſic ait, Vtinam milites Chriſti eſſent, & non milites diaboli, à quibus plus timetur Deo laudes, quàm fremitus leonis. Loquitur de Circumcellionibus (qui ſe Agoniſticos appellabant) D crudeliſſimis latronibus, ſemper tamen Deo laudes in ore habentibus.

IN CAP. XCVI.

Eligite tandem de duobus alterum quod dicatis] pro quid. ſic & mox, eligatur alterum de duobus quod reſpondeatur.

IN CAP. XCVII.

ſi vos non ſperaſtis in homine] pro ſperatis. MS. conſentiebat etiam Amorbach.

IN CAP. XCVIII.

Vos vos miſeri appello] ſic rectius Endou. quàm miſeros.

ſic ſic ad arcem malitiæ] MS. cum Endouienſ. artem legunt, ſed alterum rectius quadrat.

in nullas hæreſes transferimini] pro transferemini. ſic enim manuſcr. & Amorbach.

IN CAP. XCIX.

non diuitias amamus] Endouienſ. habet, nō diuitiis metuimus. ſed priori lectioni fauet quod apud Auguſt. paulò pòſt ſequitur, Nō ſolùm non formidat ille diuitias, ſed & amat.

qui modò iuxta Hipponem noſtram cōparauit fundum, vbi A mergeret homines in profundum] Elegans alluſio. De hac re ſuprà cap. 83. & epiſt. 173.

Vnde miror quòd iſta vox tua vt ad nos perueniret] In excuſis dèerat vt.

ſi non emendauerit, reſpondemus] Neſcio an mendæ aliquid lateat.

IN CAP. CI.

Tales enim non habent aures in corde, ſed cor in auribus] Adagium eſt pulchra commutatione exornatum, quod in eos quadrat, qui diſerta malunt audire quàm verà & ſalutaria.

Nónne audis dicentem ſcripturam, Nemo mundus à peccato in conſpectu tuo, nec infans, cuius eſt diei vnius vita ſuper terram?] Annotatur paſſim hic locus velut ex 25. cap. Iob, ſed ſcribendum eſt cap. 14. ſecundum 70. De quo plura poſterius libris contra Pelagianos.

IN CAP. CIII.

quæ eſt eccleſia Dei viui] Perperam legebatur qui eſt.

Neque enim de his peccatis hoc petimus, quæ nobis in baptiſmo iam dimiſſa ſunt] Id volunt hodierni hæretici, docentes concupiſcentiam poſt baptiſmum relictam, etiam non conſentientibus eſſe peccatum. Vide ſuprà quod annotauimus in cap. 10. lib. 2. contra Parmenian. Idem habet & infrà lib. 3. contra Creſcon. cap. 23. & aliis prætérea locis.

B Eant nunc, & oſculētur tibi caput, qui abs te baptizati ſunt] Moris fuiſſe videtur, vt recens baptizati, epiſcopi baptizantis caput oſcularentur.

non amicum, non clientem, ſed ſatellitem clamant] ſic Endouienſ. pro eo quod erat non ſatellitem.

ſub aliis verbis ipſa ſententia eſt alibi ſcripturarum] Legendum fortè alibi ſcripta: niſi malis locutionem eſſe illi ſimilem, quali vtitur infrà Petilianus lib. De vnitate Eccleſiæ, cap. 15. nuſquam ſcripturarum. vt ſenſus ſit, in alio ſcripturarum loco. Simile quiddam habes epiſt. 48. Si enim hoc loco ſcripturarum.

IN CAP. CIIII.

quod verbum Punicæ linguæ conſonum eſt, ſicut alia Hebræa permulta, & penè omnia] Idem de Meſſia annotatur tract. 15. in Ioannem, vbi ait meſſe Pœnis idem eſſe quod vnge. Sermone 35. De verbis Domini, dicit Mammon, vt Hebræa, ita & Punica lingua ſignificare diuitias. In Pſalmum 132. refert Edom vtriſque ſanguinem C denotare. Aliam quandam phraſim linguæ vtrique communem annotauit lib. 1. Locutionum, in Geneſ. annot. 23.

Quid eſt ergo in illo ſacerdotio caput, quid barba, quid ora veſtimenti?] Locum hunc Pſal. 132. ſimiliter tractat tomo 8. in Pſalmi eiuſdem expoſitione.

& adhærent ori eius] Ita MS. & Endou. pro oræ eius. Fefellit caſtigatorem iſtum quod ſequitur, Ora veſtimenti hæc datur intelligi. ſed hoc aliò pertinet.

ſacramentum chriſmatis vultis interpretari] Pro vult.

IN CAP. CV.

ſi peccauerit populus, orabit pro eo ſacerdos: ſi autem peccauerit ſacerdos, quis orabit pro eo?] Similiter citant hunc locum Donatiſtæ in concilio aduerſus Primianum, cuius ſentētiam & ſubſcriptiones recitat Auguſt. concione ſecunda in Pſalm. 36. Quam lectionem & Auguſt. amplectitur, intelligendam docens ſententiam eam de ſacerdote Chriſto, qui nullum habuit omnino peccatum. Non ſic tamen legunt 70. apud quos eſt, ſi peccans peccauerit vir in virum, orabūt pro ipſo ad Dominum: ſi autem Domino peccauerit vir, quis orabit pro eo? Vbi noſtra lectio habet, ſi peccauerit vir in virū, propitius erit ei Dominus: in Dominum autem ſi peccauerit, quis orabit pro eo?

D

IN CAP. CVI.

quia cum eo iam Domini venditore] Perperam Domino.

IN CAP. CVII.

illi triticum ſunt, dum expectant] In excuſis deerat verbū ſunt.

## IN LIBRI TERTII CONTRA LITERAS PETILIANI CAPVT PRIMVM.

Quos æſtus paſſus es] Perperam eſt. MS. conſentit Amorb.

non ago vt efficiar homini conuiciando, ſuperior] ſic MS. & Amorb. pro homine.

& quæſtionem potius quæ inter nos verteretur] ſic Endouiēſ. pro vertitur.

horum reprehenſio præcauenda] ſic Endouienſ. pro eo quod erat, quorum reprehenſio.

niſi tibi proponeres] Ita rectius cum manuſcr. quàm niſi tu proponeres.

vt occu-



vt occupatus mea defenſione] ſic rectè Endouienſ. errore librariorum pro mea; ſubrepſerat in ea.

IN CAP. II.

ſicut nos Chriſti] Endouienſ. legit; ſi tamen nos Chriſti.

quo ſecuri, eius eccleſiam non propter mala hominum deſeratis] Endou. & Amorb. legunt ſecuti, ſed non rectè.

& quæ per mundum] Copulam ex MS. adiecimus.

IN CAP. III.

ſuum vel ſuorum iudiciū] ſic Endouienſ. pro eo quod erat ſuum vel eorum.

ne ſe à bonis diuiderent] In excuſis tranſpoſita erant verba duo quæ ſenſum turbabant, habebant enim, ne à ſe bonis.

IN CAP. IIII.

Cùm hoc vtique ſubiecit, videte ne quis malum pro malo alicui reddat] Hæc deerant in excuſis.

in aliquibus ſuis membris] Ex MS. adiecimus ſuis.

IN CAP. VI.

præterquam quod in ſcripturis legalibus & euangelicis accepiſtis] Id eſt, contra quàm. Legales autem ſcripturas eas intelligit quæ ſunt veteris inſtrumenti, euangelicas quæ nouo inſtrumento continentur.

pro cuius nomine hoc audio] Perperam hæc audio, præceſſit enim quod audio.

IN CAP. VII.

Neque enim me ille ſuo verbo] ſic Endouienſ. & Amorbach. pro illo ſuo.

defendentes domum eius] Ita Endou. pro donum eius.

aliud ſperare debemus] In excuſis erat non rectè ſeparare.

IN CAP. VIII.

eadem ſecuritate gaudete] Pro gaudere. MS. cōſentit & Amorb.

Cùm enim hoc datur quod Dei eſt, ſanctum dat etiam non ſancta conſciētia.] Ita hic locus eſt diſtinguēdus, nō vt habēt vulgata.

Si autem ipſi qui verba ſancta dabant] Ita rectè MS. pro vera ſancta: præceſſit enim, Niſi enim ſancta verba eſſent.

IN CAP. IX.

intra retia Dominica natant] prò inter retia.

IN CAP. X.

ſed de Eccleſiæ ſanctæ vnitate] Et MS. & Amorb. legit veritate, quod & alibi habet; vt ſuprà lib. 2. cap. 98. & infrà cap. 24. Nos tamen priorem lectionem retinuimus, cui fauet etiam infrà cap. 50. & lib. De vnico baptiſmo cap. 13. Quin & ſequentis lib. contra Petilianum titulus, De vnitate Eccleſiæ.

ſed charitatis Chriſtianæ viſcera non haberem] Ita rectè Endouienſ. pro, ſi charitatis.

IN CAP. XI.

Hanc igitur ſibi inuenit vincibilem cauſam] Id eſt, in qua facilè vincat & ſuperet.

IN CAP. XII.

à quibus nobis confingitur] Ita Endou. & Amorb. In excuſis erat configitur, ſed non rectè; intelligitur enim quod præceſſit, mala fama.

IN CAP. XIII.

in adiutorio Domini mei] Præpoſitionem ex MS. adiecimus.

IN CAP. XV.

Nam vt noueritis] In excuſis deerat, vt.

nihil eius ſubleuat defectionē] Putarim legendum defenſionē.

At ipſa enim verba] ſic rectius cum MS. quàm, Ad ipſa.

& iterum quæro] Ita Endouienſ. pro quo erat in excuſis, & vtrum reſpōderit quæro. Nos alterum prætulimus, fauetq́ue ei quod infrà ſequitur cap. 18. hoc ipſum repeto.

Ad hoc reſponderi flagitate] Ita hic locus reſtituendus videbatur; pro eo quod erat reſpondere flagitate. Endouienſ. legebat, reſpondere flagitati. Sed non tam iubentur lectores Donatiſtæ, vel Catholici reſpondere, quàm attendere quid Petilianus reſpondeat, aut reſponſionem eius flagitare.

conuicioſe alienari permittite.] Id eſt, euagari & ad aliena dilabi per conuicia. Niſi fortè legendum ſit altercari, pro alienari; quomodo habes infrà cap. 27. illud potius reſpondeat, quod ne reſpondere cogatur, copioſiſſimè altercatur. Quanquam MS. & Amorb. legunt ibi alienatur. Cui ſatis conſentit quod habet cap. 20. non eat in aliud.

IN CAP. XVI.

me tanquam dialecticum criminetur] Petiliani criminationem putauit etiam Creſconius renouandam. vide infrà libro contra eum primo, cap. 13. & ſequentibus.

ſibi propter aduocationem in qua potentiam quondā ſuam iactat, paracleti nomen imponat] Petilianus ex fori aduocato factus epiſcopus, non diſertus modò, ſed & præſcriptionum omnium, declinatoriarum exceptionum, tergiuerſationum ſeu fruſtrationum cæte-



A rumq́ue forēſis technologiæ ſtrophārū peritiſſimus fuit; quemadmodum ex collatione Carthaginēſi facilè intelligi poteſt, in qua ad rauim vſq́ue clamando fatigatus, tandem etiam exire coactus eſt. Cæterùm paracletus, & conſolatorem & aduocatum ſignificat; hinc locus petitus, quo eum ſpiritus ſancti cognominem, ſeu, vt ipſe ait, cognominalem appellat.

marito non ſolùm conſcio, verùm etiam fauente] Illud fauēte, non eſt in MS. nec legit Amorb. ſed ex prima Frobenij editione, quæ ad marginem annotarat, videri vocem eam aut ſimilem deeſſe, quiſpiam in textum inſeruit. Conſulenda ſunt caſtigatiora MS. nam neſcio quò modò non omnino mihi nec ea lectio ſatisfacit.

futurus ordinator epiſcopatus mei] Ex cap. 8. Poſſidij De vita Auguſtini & collationis diei 3. cap. 7. ordinatorem Auguſtini fuiſſe diſtimus Megalium Calamenſem epiſcopum, Numidiæ tunc temporis primatem: is neſcio quam ob cauſam Auguſtino infenſus, epiſcopum eum ordinare noluit, ob amatorium mulieri cuidam, vt aiebat, datum, quod & aliis epiſcopis per literas ſignificauit. Id an ex ſeipſo finxerit, an à calumniatore quopiam acceperit neſcio. Certè in epiſcoporum concilio hac de cauſa coacto Megalius veniam petiit quòd innocentem de tàm turpi crimine infamaſſet. Eandem fabulam putauit etiā Creſconius repetendam, cui reſpondet Auguſtinus lib. contra eum 3. cap. 80.

IN CAP. XVII.

B Pergat etiam ſermone multiloquio] Pro etiā, legebatur enim.

non illicitè appellari catechumenos; tāquam eius baptiſmus quandoque debeatur] Neſcio quomodo inter caſtigandum locus hic oculos noſtros ſubterfugerit, cùm apertiſſimam contineat deprauationē, eamq́ue nec vnicam: cui MS. iam præſidio deſtitutus ægrè poſſum mederi. Amorb. legit; tanquam eis baptiſmus quandoque deleatur, quomodo habent & Lutetiana; quod ſanè rectius eſt quàm quod legunt Frobeniana; quanquam nec omnino adhuc mihi ſatisfacit. Si diuinare liceat, ego locum ita reſtituēdum putarim, non illic (vel non illic ita) appellari catechumenos, tanquam eis baptiſmus quandoque debeatur. Vt ſignificetur, apud Manichæos, catechumenos dici, non qui ad baptiſma ſuſcipiendum inſtituantur, ſed qui in gradu ſint inferiori, velut diſcipuli & auditores. Nam in duos gradus Manichæorū profeſſio diſtinguebatur, auditores & electos. Qua de re apud Auguſt. lib. ad Quoduultdeum hæreſi 45. & epiſtola 74.

Verba tertij libri Confeſſionum mearum] Endouienſ. legit quarti. ſed cùm non citentur verba ipſa, vtra verior ſit lectio, iudicari non poteſt.

IN CAP. XVIII.

C At ego inter ſtrepitum vel poſt ſtrepitum eius grandem] Ita commodius MS. quàm excuſa, in quibus erat: At ego inter ſtrepitum eius grandem, vel poſt ſtrepitum.

& vt reſpondeat is expoſco] ita malim duabus dictionibus, quàm vna reſpondeatis. Neq́ue enim à lectoribus etiam Donatiſtis, ſed à Petiliano reſponſionem flagitat, & vtrum reſponderit obſeruare eos iubet. Similis eſt locus infrà, cap. 21. Tenete ſanè intētiſſimè atque fortiſſimè quid habeat is reſpondere. Quanquam pro altera lectione facit quod cap. 31. ait, reſpondete.

vnde eſt abluendus] ſic rectè MS. & Amorb. pro vnde & abluendus: nam & ita non ſemel iam antea legitur.

IN CAP. XIX.

vtrum nihil ad illa reſponderit] Perperam reſponderis.

quicquid mali latuerit in conſcientia dātis] ſic MS. & Amorb. pro quicquid malè. Nam & ſimiliter legitur lib. 1. contra Petilian. cap. 1. vnde hic locus tranſcriptus eſt.

IN CAP. XX.

& maculoſus occultus eſt] Redundat in excuſis copula quæ ad-D debatur, & maculoſus & occultus eſt.

Si autem illo perfido & maculoſo occulto] Tranſpoſita erat in impreſſis copula, in quibus legebatur, maculoſo & occulto.

Nihil ad hoc reſponſum eſt omnino] ſic MS. pro reſpondendum. Agit enim de ſcripto Petiliani, in quo nihil eum ad ſuperiorē quæſtionem, reſpondiſſe ait.

IN CAP. XXI.

maledicta inania non emendando] Endouienſ. legit non emendo, fort. amandando.

quid habeat is reſpondere] Endouienſ. legebat, quid debeat reſpondere. ſed vereor ne ſcriba Latinæ linguæ non ſatis peritus, pro habeat, repoſuerit debeat. Quare quod in excuſis erat reliquimus, præſertim cùm & vetus Amorb. ſic legat editio, niſi quòd ex vna dictione duas fecimus, vt ſuprà cap. 18.

vt vel diſceſſum] Endouienſ. & Amorb. legūt diſceſſu. Veram lectionem eſſe arbitror, vt vel vnde diſceſſum, quam & ſequentia poſtulant.

vel quò redeundum ſit omnino neſciatis] ſic manuſcr. pro quà redeundum.



dicit me

dicit mē Academici damnabile ingenium habere Carneadis; conatur etiam inſinuare quid Academici ſentiant de falſitate vel fallacia ſenſus humani.] De nouis Academicis loquitur, quorum hoc fuit inſtitutum, vt non ipſi dicerent quid ſentirent, ſentiendúmue foret; ſed omnium aduerſarentur ſententiis, eaſq́ rationibus quibus poſſent oppugnarent ac euerterent. Videbant enim philoſophiam totam in contrarias pugnanteſq́ abiſſe ſententias: quare veritatis inueniendæ deſperatione, tradebant ſapientis eſſe munus, ne fortaſſe falleretur, nihil definire, ſtatuere, & affirmare, ſed ſuſtinere vbique ſuſpendereq́ iudicium: quia videlicet nihil certi eſſet, quod aut ſenſibus, aut animo perciperetur. Imò verò vt docebat Archeſilas nouæ Academiæ primus author, falſa eſſe omnia quæ ſenſibus perciperentur; cuius rei hæc & ſimilia proferebat exempla, teretem vel rotundam videri turrim quæ anguloſa ſit; fractum in aqua remum apparere, integrum tamen. Quod Anaxagoræ ſucceſſori poſtea eius ita placuit, vt dicere auſus fuerit, niuem ipſam non albam ſed nigram eſſe: quin verò nec defuere qui eam dicerent eandem cùm igne potentiam & facultatem obtinere, vt eſt author Galenus in Simplicibus lib. 2. cap. 1. & lib. 9. cap. 1. Quibus nihil eſſe potuit abſurdius. De his Cicero lib. De Academicis quæſtionibus, De natura deorum, in Lucullo, & alibi frequenter. Gellius item lib. 17. cap. 15. Lactantius lib. 3. diuinarum inſtitut. cap. 4. & 22. Lib. 5. cap. 3. Auguſt. lib. 2. contra Academicos cap. 5. & lib. 3. cap. 11. Porro ſectam hanc plurimum illuſtrauit confirmauitq́ Carneades Scepticæ ſcholæ quartus ab Archeſila princeps; de quo ſic Lactantius lib. 5. cap. 14. Carneades, inquit, Academicæ ſectæ philoſophus, cuius in diſſerendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, ipſum ex prædicatione Ciceronis intelliget (nimirum lib. 3. De Repub. item lib. 2. & 3. De Oratore) aut Lucilij, apud quē diſſerens Neptunus de re difficilima, oſtendit non poſſe id explicari, nec ſi Carneadem ipſum Orcus remittat. Subiungit deinde narrationē quandam huc pertinentem. Is cùm legatus, inquit, ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, diſputauit de iuſtitia copioſè, audiente Galba & Catone Cēſorio maximis tunc oratoribus. Sed idem diſputationem ſuam poſtridie contraria diſputatione ſubuertit, & iuſtitiam quam pridie laudauerat, ſuſtulit; non quidem philoſophi grauitate, cuius firma & ſtabilis debet eſſe ſententia, ſed quaſi oratorio exercitij genere, in vtranque partem diſſerendi. Quod ille facere ſolebat, vt alios quidlibet aſſerentes poſſet refutare. Qua de re ſi quis plura deſiderat, conſulere licebit Gellium lib. 7. cap. 14. Macrobium lib. 1. cap. 5. Plutarchum in Catone Cenſorio; Quintil. lib. 12. cap. 1. Refert autem ibidem Plutarchus, nec nō & Plin. lib. 7. naturalis hiſtoriæ cap. 30. Catonem Cenſorium ægrè admodum legatos iſtos in vrbe paſſum eſſe, auditoq́ Carneade pro iuſtitia contráque differente, in ſenatu cenſuiſſe, mox eſſe dimittendos. Iudicabat enim vir prudens, nihil eſſe in Repub. pernicioſius, quàm de iuſto & iniuſto, deq́ vero & falſo, certam nullam conſtantemq́ haberi ſententiam. Petilianus ergo cùm ſe videret Auguſtini argumentis reſpondere non poſſe, nec eius dicta refellere, in eius ſe perſonam conuertit, arreptaq́ occaſione ex vna alteráue voce, traducit eum tanquam Academicum, ſimilem eſſe dicit Anaxagoræ qui niuem nigram aſſeruit, habere damnabile Carneadis ingenium, nullam certam fixamq́ tenere ſententiam; ſed hæſitare vbique, incertum ferri, ac lubricum labi. In hæc tragica erumpens verba, quia cùm ipſe dixiſſet, In baptiſmate adminiſtrando conſcientiam dantis attendendam, quæ abluat accipientis; contra intulerit Auguſtinus, Quid ſi lateat dantis conſcientia, & fortaſſe maculoſa ſit? Ad quod reſpondens Petilianus, Quid eſt, inquit, quid ſi? quid eſt, fortaſſis?

Et hoc totum propterea] De hoc locutionis genere plura inferius ad lib. 2. contra Creſcon. cap. 18.

nigrum argentum] & MS. & Amorb. legunt, nigrum atque argentum; vnde ſuſpicor locum hunc mutilum eſſe ac deprauatum.

turrem rotundam vel teretem videri, cùm anguloſa ſit] MS. & Amorb. conſentienter legunt, turrem rotundam vel trementem videri, cùm longa ſit, ſed non placet ea lectio, nam longum non opponitur nec tereti, nec trementi.

turris rotunda pro anguloſa] Iterum & hic pro anguloſa, legebant MS. & Amorbach. longa.

remus in aqua fractus pro integro: rem quippe dixi quę putari poſſit] In excuſis erat, remus in aqua fractus: perinde quaſi ego rem dixerim quæ putari poſſit. Occaſionem erroris dedit Amorb. qui ſic legit, remus in aqua fractus. Proinde ergo rē quippe dixi. ex quo natum quod eſt in vulgatis. Sed nimirū recta eſt MS. quam ſecuti ſumus, lectio, vt in poſterioribus verbis ſit ironia.

Et ſequitur ſe, & clamat] Q.d. deinde ſubijcit, & clamat. de qua Auguſt. phraſi ſuprà diximus ad cap. 1. lib. 3. contra Parmen.

de qua ille tuus ait] ſic Endouienſ. pro eo quod erat, de qua ille tunc ait.

Quid ſi nunc redeo ad illos qui aiunt] Id non legunt MS.

Hoccine quod dixi] In excuſis addebatur eſt, ſed redundat, ſequitur enim poſtea verbum, tale eſt, ac ſi dixerim, Quid ſi nunc cælum ruat?

Quid hic facit Philus & Furius] Voculam hic, ex MS. adiecimus, quod in proximis verbis legunt etiam excuſa. Cicero lib. 3. De Repub. inducit L. Furium Philonem pro iniuſtitia differentem, cui lib. 4. facit Lælium ex aduerſo reſpondentem, proq́ iuſtitia dicentem. Imitatus hac in parte Platonem, qui & ipſe lib. 2. De Repub. inducit Glauconem iniuſtitiæ patronum, contra quem Socrates iuſtitiæ cauſam agat. Nō extant autem iſti Ciceronis libri, ſed leguntur paſſim apud authores quædam eorum fragmenta. Furij huius apud Ciceronem nonnulla verba ad hanc rem pertinentia recitat confutatq́ Lactantius lib. 5. Inſtitut. cap. 12. ac ſequentibus, vſq; ad 17. Quo poſtremo petita dicit ea eſſe à Carneade, qui & ipſe libros de Repub. ſcripſiſſe videtur. Cæterùm Philus, vnus & ipſe ex iis eſt quos ſupradictis de Repub. libris loquentes Cicero fecit, vt liquet ex lib. 4. ad Atticum, epiſt. 15. Is quia fortè illic Furij partes adiuuat velut iniuſtitiæ patronus, eidem à Petiliano adiungitur.

Quid hic facit atheus Diagoras] Endouienſ. legit Protagoras, etiam proximo capite: ſed vtrumuis legeris, non admodum refert: Nam vt ait Cicero initio lib. De natura deorum, & poſt eum Lactant. lib. 1. cap. 2. Protagoras Deos in dubium reuocauit, Diagoras excluſit.

IN CAP. XXII.

Quid argumentis ſtultitiæ auertis erroribus vitam?] Non caret locus ſuſpicione mendæ: legendum fortè viam, pro vitam.

ſine mea maledica temeritate] Sic MS. & Amorb. pro maledicta. Quanquam ne nunc quidem omnino ſatisfactum videtur.

IN CAP. XXIII.

quorum iacturam facilè patior] ſic rectè Endouienſ. pro, quoniam iacturam.

IN CAP. XXIIII.

de eccleſia, vel baptiſmi veritate] Fortè, de eccleſiæ vel baptiſmi vnitate, vt ſuprà cap. 10. & lib. De vnico baptiſ. cap. 15.

quia dicerem, nō ego ſciens] ſic Endou. pro quando dicerem.

ad vnum verbum, ignoraui, quod me proponit dixiſſe] Ita rectè MS. pro eo quod perperam legebatur, ad vnum verbum. Ignorauit quod me proponit dixiſſe.

IN CAP. XXV.

ſed ſi ignorares] Redundare quod in excuſis additur eum, intelligi poteſt ex cap. 26. vbi ſemel iterumq́ hæc ſententia repetitur. Alioqui legendum eam, refertur enim ad baptizantis conſcientiam, vt clarum eſt ex ſuperiori capite.

Taurinum, Romanum] Taurinus & Romanus Africæ Comites fuerunt, hoc eſt armorum illic ac militiæ præfecti. Prioris meminit frequenter Optatus lib. 3. Ad poſteriorem extat reſcriptum quoddam Valentiniani, Valētis & Gratiani AAA. Codic. Theod. lib. 8. tit. 7. l. 13. Datum 3. Kalend. Iulias Modeſto & Arintheo Conſſ.

& ſemel & iterum, ab ipſo rege illis ad eum appellantibus etiam tertio fuit abſolutus] Poſt iterum, addendum in vulgatis hypoſtigma; pertinet enim hoc ad ſuperiora. Nam Cæcilianum bis ab epiſcopali concilio abſolutum fuiſſe ſignificat, tertio verò ab Imperatore ad quem ab Arelatenſis concilij ſententia Donatus appellarat. Cæterùm pro illis, excuſa non rectè legunt illic.

ei Conſuli Kalendis Ianuariis laudem] Panegyricæ huius orationis meminit Auguſt. & lib. 6. Confeſſ. cap. 6. vbi eam Mediolani habitam dicit, ſed in laudem Imperatoris, Arcadij fortaſſe, qui ante biennium Auguſtus à patre appellatus, eodem cum Bautone anno, hic Occidentis, ille Orientis conſul deſignatus erat; vt vna eademq́ oratione, vtrumque ſimul conſulem commendarit. Niſi quis Maximum tyrannum malit intelligi, qui interfecto paulò antè Gratiano, pulſoq́ iuniore Valentiniano, Mediolani tunc temporis ſedem habebat, vt eius laudes, quas præterire tunc ſanè vix poterat, vnà cum Bautonis coniungeret. Nam & de Arcadij in Oriente conſulatu, non poterat Kalendis Ianuariis nuncius in Italiam perueniſſe.

Manichæos autem Meſſianus Proconſul audierit poſt conſulatum Bautonis] Meſſianus hic Africæ proconſul fuit Arcadio & Bautone Conſſ. vt facilè intelligi poteſt ex reſcripto quodam Theodoſij ac Valentiniani iiſdem ad eum conſulibus 15. Kalend. Octob. Aquileiæ miſſo; quod extat in Cod. Theodoſia. lib. 10. tit. 1. l. 13. Quare Meſſianus vel bienniū proconſul fuit, aut anno euoluto cauſam hanc audiuit, priuſquam ſucceſſor adueniſſet.

ſicut dies geſtorum ab eodem Petiliano inſertus oſtendit] In excuſis & MS. erat oſtenditur; ſed clarum eſt legendum eſſe oſtēdit, In Pariſ. verò editione pro inſertus, eſt non rectè incertus.

IN CAP. XXVI.

quod ſibi Petilianus] Ex MS. adiecimus ſibi. Cuius veſtigium aliquod erat in editione Amorbach. apud quem legitur, quod ſi, omiſſa altera ſyllaba.

quàm vt me malitiam] In excuſis deerat me.

nisi ne me



niſi ne me putari ſineret innocentem] ſic Endouienſ. pro eo quod erat, niſi vt me, ſenſu planè diuerſo.

Sed non vos fallat] Perperam nos.

IN CAP. XXVII.

quod ne reſpondere cogatur, copioſiſſimè altercatur] Endouienſe legit alienatur, id eſt, in aliena dilabitur & vagatur extra cauſam, vt ſuprà cap. 15.

aut vnde proſiluit quem proponis] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, cùm prius eſſet, quem præponis.

& tu baptiſtam diſcutere, & ab eo diſcuti debuiſti] Endouiēſ. legit, non tu ab eo diſcuti debuiſti. Sed non rectè, vt ipſa docet ſentētia. Nam & cap. 28. & 30. ſimiliter repetitur; & in eundē ſenſum proponitur ab Auguſt. cap. 33.

quæ abluat accipientis] Non rectè qui, refertur enim ad conſciētiam baptizantis.

Cùm enim noluit ita dici] ſic rectè Endouienſ. pro voluit.

niſi ſpem ſuam in homine baptizante poſuerit] Ita manuſcr. loco baptizando.

IN CAP. XXVIII.

Quouſque apponitis ſuper hominem] In excuſis addebatur hoc: ſed non legunt MS. nec Auguſt. ſuper Pſalm. 61. Pro quo nos legimus, Quouſq; irruitis in hominem, quomodo legunt hodie etiā 70.

IN CAP. XXIX.

quicquid de ſe quiſque dixerit, credendus erit] fortè, credendum erit.

quin de ſe optimè credi velit] ſic Endou. pro qui de ſe.

IN CAP. XXX.

Probentur primùm, & ſic miniſtrent] Mendosè, Probetur.

vtrobique penè ab omnibus fiat] Nimirum & apud Catholicos, & in parte Donati, quomodo infrà cap. 31. vtrobique plena ſunt omnia.

Hoc mihi reſponde] Ita malim cum MS. quàm cum excuſis, O mihi reſponde.

conuicti atque deiecti ſunt] Videlicet à gradu ordinis ſui. Sic & infrà cap. 31. Nam alioqui putare quis poſſit legendum detecti ſunt, quomodo paulò pòſt, proditis atque conuictis.

IN CAP. XXXI.

Sufficiunt adhuc propoſita] Pro adhuc, legit Endou. hucuſq;, quod malim, niſi ſuppoſiticium eſſe vererer.

IN CAP. XXXII.

Quoduultdeum de duobus adulteriis apud vos conuictum & abiectum] Ita rectè Endouienſ. pro apud nos. Sequitur enim, à noſtris eſſe ſuſceptum. Alterum exemplum habes Conc. 2. in Pſalm. 36. niſi fortè eundem hominem eſſe quis velit.

quia non habent conſciētiam] Pro habet, præceſſit enim tales.

qui non habebant conſcientiam] ſic Endou. pro habent.

IN CAP. XXXIII.

vnde abluendus ſit qui accipit baptiſmum] pro accipiebat, ſic enim legis ſup. 14. 19. 22. Et lib. 1. cap. 2.

adhibuit alia teſtimonia] ex MS. adiecimus alia.

Aqua mendax non habens fidem] ſic Endouienſ. pro habet.

quàm lenibus blanditiis adulatoris] In excuſis deerat adulatoris.

IN CAP. XXXIIII.

ſi aliquid veri dixerit] Ita MS. pro verè.

Collega eius à Thuburſicubure] Non rectè in excuſis à Thubur ſi cubare. MS. & Amorb. conſentit lib. 3. contra Creſc. cap. 43.

à Primiano Carthaginis] ſic Endouienſ. vt ſubintelligatur epiſcopo, quomodo aliâs, Donatus Carthaginis, de quo infrà cap. 53. vbi ſimilis erat corruptela. In excuſis erat Carthagine, vt ad ſequentia referatur.

quæ ablueret accipientis] Perperam accipientes: ſubintelligitur enim conſcientiam.

IN CAP. XXXV.

Deinceps etiam ſibi loquendi latitudinem comparans] Sic MS. & Amorb. pro latitudine.

peccatoris baptiſma eſſe dicat] Non peccatorum. Repetit enim Petiliani verba, vnde & mox ſequitur, quod peccatore miniſtrante.

Inde etiam excurrit] Endouienſ. legit, Inde iam excurrit.

vel hinc debuit admoneri] ſic rectè manuſcr. & Amorbach. pro eo quod erat admonere.

IN CAP. XXXVI.

quos damnauerant, ſuſceperunt] In excuſis erat mendosè damnauerat.

quanquam in huius quęſtionis propoſitione] ſic Endou. In excuſis erat, quæſtione propoſitionis.

quia eum Chriſti eſſe cognoſcimus] Pro quia, erat qui. Illud habent MS. hoc excuſa.

omnis eum etiam ſimulata pugna defecit] Ex manuſcr. adiecimus eum.

vel clanculo euaderet] Sic rectè Endou. & Amorb. pro euadere.

& ſic de iis quos obiicimus] Non dubito quin legendum ſit obiicitis.

Sic reſpondeat] Ita Endouienſ. & Amorb. Vnde miror quis in vulgatis pro his repoſuerit, Auguſt. Reſpondeat.

Si ergo & nos eadem] In excuſis copula &, deſiderabatur.

an vtrique victi ſumus] Ex MS. adiecimus vtrique.

& in eccleſia ſua] Hæc non ſunt in Endouienſ.

quoniam non gloriamur in homine] Ita rectè Endouienſ. In excuſis aberat illud quoniam.

quàm ſecuri ſumus] Sic quoq́ rectè Endou. pro quoniam ſecuri ſumus.

IN CAP. XXXVII.

& nunc degradati] Perperam, & tunc.

IN CAP. XXXVIII.

cuius in Gallia damnationem ad nos à fratribus miſſam] Solent olim epiſcopi, ſi quos ex clero de ordine ſuo deieciſſent, aut damnaſſent, nomina eorum aliarum prouinciarum epiſcopis ſignificare, ne cui fortaſſe obreperent, fallerentq́ eò venientes.

collega noſter Fortunatus ibidem apud Conſtantinam] Ibidem non in Gallia, ſed vbi & Petilianus epiſcopus eſt. Nam Conſtantina Numidiæ hic ciuitas eſt.

quando non potuit commoneri] ſic MS. pro commoueri.

IN CAP. XXXIX.

De baſilicis quas tenebāt per iuſſa iudicum & ciuitatum auxilia proturbati] Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod erat perturbati. Nam ita legis & lib. 3. contra Donatiſt. cap. 12. vt eoſdem, inquit, Maximianiſtas de baſilicis excluderent, & iudiciorum ſtrepitu atque auxiliorum impetu proturbarent. Item lib. 6. cap. 7. Lib. verò 4. contra Creſcon. cap. 47. excuſa quidem perturbarentur, legebant, ſed MS. proturbarentur.

falſa ſunt quæ ita ſentis] Videtur locus non carere menda, & ſentitis, legendum arbitror; præceſſit enim contenditis.

IN CAP. XL.

quem accepiſtis proſit vobis] Sic MS. & Amorb. pro nobis.

Illud autem olim dimiſit omnino] Olim pro hactenus, iam ab initio, pro quo paulò infrà iam diu ex quo loquitur. Aliâs ferè vſurpat pro, iam diu eſt, vt epiſtola 161. Olim volo inde loqui tecum. Epiſtola 170. olim doleo, olim gemo, olim te videre deſidero. Collat. 3. cap. 2. olim ſe agere velle negotium. Serm. ſuper geſtis cum Emerito, olim nobis notus eſt animus eius. Id propterea viſum eſt annotare, quod quidam in his ſimilibusq́ locis mendum ſubeſſe interdum putent.

nec nobis dicere voluit] ſic MS. & Amorb. pro vobis.

aliquando dicturus eſt] Pro dicturus es.

quòd ex primis partibus epiſtolæ] Perperam artibus.

Ad hoc eum iam diu] Sic Endouienſ. pro, Ad hoc enim.

Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monaſteriorum & monachorum] Petilianum ſtrenuè hac in parte noſtri temporis imitantur hæretici.

arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum] Poſsidius in vita B. Auguſtini cap. 5. ait eum presbyterum factum, intra Eccleſiam Hipponenſem monaſterium inſtituiſſe: quod cap. 11. eius cura & inſtitutione admodum creuiſſe, viriſq́ optimis ac doctiſſimis floruiſſe teſtatur, vt ex eo loco decem numero ad epiſcopalem dignitatem expetiti & prouecti fuerint, qui & ipſi ſuis quiſque locis monaſteria erexerint. Meminit eiuſdem monaſterij ſui & Auguſt. lib. De dono perſeuerant. cap. 15. Hoc ergo Auguſt. factum reprehendit etiam inter cætera Petilianus. Fuiſſe autem olim Monachos Donatiſtis exoſos, ab eiſq́ exagitatos, teſtis eſt Auguſtinus tom. 8. in Pſalm. 132. Dicere, inquit, conſueuerunt, Quid ſibi vult nomen monachorum? Et infrà, Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine monachorum inſultant? Et aliquanto pòſt: Meritò inſultant nomini vnitatis, qui ſe ab vnitate præciderunt. Meritò illis diſplicet nomē monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus, ſed ſequentes Donatum, Chriſtum diuiſerunt.

inde aſſerens me dixiſſe, Chriſtum eſſe baptiſtam] Non video qui hæc ſuperioribus cohæreant.

Inde de nomine Simonis & Variæ magorum ingeſſit nobis quas ei libuit contumelias] Simon magus ex Actibus Apoſtolorum notus eſt, ſed quis Varias hic fuerit, neſcio. Quanquam non ſatis conſtat de lectionis veritate; nam Endouiēſ. pro his legit, Simonis & variæ ſuæ vagorum. Inſpicienda ſunt vetuſtiora exemplaria, quibus hic deſtituti fuimus.

Inde Optati Thamugadenſis] Pro Tamigadenſis.

IN CAP. XLI.

preſſum contrà venientis veritatis anguſtiis] Tollendum eſt in excuſis hypoſtigma quod addebatur poſt vocem preſſum, cuius occaſione ablatiuus anguſtiis, in iiſdem transformatus erat in accuſatiuum.

vnde abluendus ſit qui accipit baptiſmum] pro accepit.

cùm dantis polluta conſcientia eſt] *ſic rectè* MS. *pro* tũ dantis.

IN CAP. XLII.

Quia in priori epiſtola ſua] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, qui in excuſis ita legebatur:* Quia enim prior epiſtola ſua. *Cui reſpondet quod ait cap. proximo*, Hoc ego in epiſtola priore cum Petiliano reſponderem.

pluribus locis apertiſſimè prædicet?] *In excuſis erat*, pluribusque locis. *ſed copulam redundare non ſenſus modò arguit; ſed docet etiam ſuprà lib. 1. cap. 5. vnde eſt petitus hic locus; quanquam & ibi Endouienſ. & Amorb. copulam addant.*

ne ſit maledictus, qui ſpem ſuam ponit in homine] *In excuſis addebatur* omnis. *ſed non legitur nec loco ſuprà citati cap. & libri.*

IN CAP. XLIII.

optandum eſt ab omnibus] *Suprà libro primo cap. 6. legitur* laborandum eſt omnibus.

IN CAP. XLV.

quàm veſanus error] *pro* quamuis.

Hanc ergo fraudem audientibus faciens] *In excuſis addebatur*, vel legentibus: *ſed non legit Endouienſ. & redundare probabile eſt ex eo quod ſequitur*, & omnino deſperans legi poſſe quod ſcripſimus. *Quanquam infrà cap. 52. vtrumque coniungit, auditor vel lector inquit.*

vt baptizatores perfidos habeant] *Ex* MS. *adiecimus* vt.

reſpondeant, cuius arbitrentur] *Pro* arbitretur.

ac per hoc ſequitur eos quod nolunt] *Non rectè* volunt.

IN CAP. XLVI.

Et hæc omnia] *ſic Endouienſ. pro* omnino.

ad vos corrigendos rectè poſuiſſe] *Non* eos; *alloquitur enim Donatiſtas.*

IN CAP. XLVII.

hanc enim conſcientiam] *Ita omnino legendum videtur, pro* hãc etiam.

IN CAP. XLIX.

ſi certa ſpes hominum cum illo figitur] *Legendum apparet*, in illo figitur.

diſpenſator infidelis] *ſic* MS. *& Amorbach. pro quo in excuſis erat* fidelis. *ſed quod damnant vel quæ ſequuntur*, per ſuã infidelitatẽ.

quæ tamen qualia ſint] *Ita rectius Endouienſ. quàm* ſunt.

IN CAP. LI.

qui dicebant ſe Pauli eſſe] *Redundat quod additur in excuſis* Apoſtoli. *nec legitur ſuprà lib. 1. cap. 3.*

IN CAP. LII.

non fidem percipit, ſed reatum] *Ita legendum ex innumeris ſuprà locis patet; prius erat*, ſeu reatum.

nec quicquam bene regenerat, niſi bono ſemine regeneretur] *Lib. 1. cap. 7. vnde hic locus petitus eſt, legebat Endouienſ.* nec quicquam bene generat, niſi bono ſemine regeneretur. *Hic verò ſic*, nec quicquam bene regenerat, niſi bono ſemine generetur. *Sed placet excuſorum lectio, quam habet etiam Amorb.*

& Chriſtum fundamentũ ponebãt] *Pro* &, *in excuſis erat*, vt.

non fidem percipit, ſed reatum] *ſic Endouienſ. & paſſim ſuprà, pro* percipiat.

delet quod anteà dixerat] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere. prius erat*, dolet quod.

IN CAP. LIII.

neque Donatus Carthaginis eſt aliquid] *Ita rectè Endouienſ. & Amorb. Nam vt author eſt Optatus lib. 3. in ore populi raro eſt appellatus epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis. Vnde & paulò pòſt, vbi eadem hæc repetuntur, ſimiliter ſcriptum habes. Id quiſpiam non ſatis obſeruans*, Carthagine *putauit eſſe legendum. Similis deprauatio erat & ſuprà cap. 34.* Primiano Carthagine, *pro* Carthaginis.

neque Ianuarius, neque Petilianus] *Endouienſ.* Ianuarianus *habet, vt & infrà paulò pòſt. Sed magis placet quod eſt in excuſis: nam ſic appellatur & in titulo epiſtolæ à Clero Hipponenſi ad eũ ſcriptæ, quæ eſt apud Auguſt. numero 68. Fuit autem Donatiſtarum in Numidia primæ ſedis epiſcopus, vnde meritò hic Petiliano præponitur. Idem in Bagaienſi concilio quintus recenſetur in ordine epiſcoporum partis Donati. Fallitur Franc. Balduinus qui eũ Carthaginienſem fuiſſe Donatiſtarum Archiepiſcopum in Collatione Carthag. ſcriptum alicubi reliquit.*

IN CAP. LIIII.

Nam vt ea, inquit, Apoſtoli dicta] *Ita rectius, quàm* eius, inquit, Apoſtoli. *Sic enim & paulò pòſt, & in exordio capitis.*

ſed iam volo quærere] *Perperam* nolo.

Ad miniſtrandum & diſpenſandum verbum] *In excuſis non rectè iungebantur duæ primæ dictiones*, Adminiſtrandum.

ad mundandum autem & iuſtificandum] *Sic rectè* MS. *& Amorb. pro* ad mandandum.

IN CAP. LV.

conſocius fit euangelij] *Endouienſ. habet* conſcius. *Sed reliquimus quod erat in vulgatis: ſignificat enim participem eum fieri euãgelij. Conſentit & Amorb. qui alteram lectionem ad marginem reijcit.*

quod ſi hoc minimum & leue ducitis] *Ita Endou. pro* dicitis.

ſine ſua mercede] *ad ſuperiora hoc pertinet, non ſequentia; quare hypoſtigmate eſt ab iis ſeparandum.*

quàm licet malus non malam] *Ita rectè End. pro* quamlibet.

IN CAP. LVI.

Et ſi hoc in euangelio] *In excuſis vnica erat dictio*, Etſi.

perfectè autem euangelizare] *Pro aduerſatiua erat non rectè copulatiua* etiam.

IN CAP. LVII.

cui quibuſdam interpoſitis ipſe ſucceſſit] *Sic rectè Endou. pro* ſuccedis: *alloquitur enim non Petilianum, ſed lectores Donatiſtas.*

Ruſiccadienſem vel Calamenſem] *Ita Endou. pro* Ruſadienſem. *Nam & lib. 3. contra Creſc. cap. 27. habes Victorem quendam à Ruſiccade. Ciuitas eſt autem Numidiæ maritima.*

IN CAP. LVIII.

tum continuo ſubieci atque ſubiunxi] *Endouienſ. legit* cum continuo: *excuſa* tamen continuò. *Sed germanum arbitror quod nos repoſuimus. Verba enim ſunt Auguſtini interloquentis, parteſq; inter ſe nectentis. Error natus videtur ex affinitate literarum* n, *&* u, *qua factum, vt pro* tũ, *legeretur* tñ.

Si & vos aduerſus maiores noſtros] *Ita Endouienſ. pro*, Sed & vos, *quomodo reſtituimus ſuprà lib. 1. cap. 21. vnde hic locus repetitur.*

non eſt diſcutiendum, quin penitus veſtra ora claudantur] *Endouienſ. legit* quàm penitus. *Sed crediderim*, quin potius, *ab Auguſt. ſcriptum: nam ex compendio ſcribarum hinc natum videtur quod erat in excuſis*, quoniam penitus. *Conſule lib. 1. cap. 21. vnde ſunt hæc petita. Cæterùm ex illo excuſorum mendo, factum eſt & alterum, vt pro* claudantur, *legeretur* clauduntur.

Etenim quæcunque proferretis] *Geminata non ſimplici* r, *litera.*

IN CAP. LIX.

etiamſi vera eis obiiciebantur] *Ex* MS. *adiecimus* eis.

Cognitorum ſententias debebant attendere.] *Accuſatiuo, non Datiuo caſu.* MS. *conſentit & Amerbach.*

*Finis Annotationum in tres libros contra literas Petiliani.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI DE VNITATE ECCLESIÆ LIBRVM.

*Ex collatione ad* MS. *Endouienſe, & veterem Amorbachij editionem.*

LIBER *hic ſeu epiſtola in* MS. *Endouienſ. hunc titulum habet*, In epiſtolam Petiliani ad Catholicos de ſecta Donatiſtarum. *Apud Amorbachium*, Liber ſiue epiſtola contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam. *Excuſi qui nunc in manibus habentur, addunt* De vnitate eccleſiæ. *Quæ inſcriptio quanquam non extet in* MS. *noſtro, in vetuſtioribus tamen, quibus hic deſtituti ſumus, reperiri, adeoq; ab ipſo Auguſtino additam fuiſſe, nihil addubito. Nam præterquam quod argumento eius, quod hic aduerſus Donatiſtas tractat, valde ſit oportuna, vrget eam & inculcat contra eoſdem frequentiſſimè; lib. verò 3. cõtra eundem Petil. cap. 10. hanc inter Catholicos & Donatiſtas ait quæſtionem verſari. Veruntamen, inquit, quoniam nec iſta breui ac facili mea defenſione opus eſt, vbi quæſtio non de qualiſcunque vnius hominis merito, ſed de ſanctæ eccleſiæ vnitate verſatur. Et cap. 50. Propter ipſius verò, inquit, Eccleſiæ vnitatem, quæ in omnibus gentibus dilatatur, cui vos non communicatis, hæc teſtimonia poſui de Chriſto eſſe prædicta. Quod ipſum nimirum hoc libro Auguſt. fuſiſſimè exequitur. Huc accedit quòd apud Cyprianum libellus extat eodem hoc titulo, De Vnitate eccleſiæ, quem ei tribuit & Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 33. nam inſcriptionem illã, De ſimplicitate prælatorum, Franciſcus Bald. & Pamelius, rectè ſuppoſiticiam eſſe obſeruarunt. Fuiſſe autem B. Auguſtinum titulum hunc ab eo mutuatum non improbabile eſt; nam & in ſimili verſatur argumento, & eiuſdem libelli ſententiis nec ſemel nec illibenter vtitur.*

*Cæterùm neminem mouere debet quòd in lib. Retractat. huius voluminis non meminerit: inde id factum, quòd non inter libros, ſed epiſtolas habuiſſe videatur; ſcriptum eſt enim non ad omnes communionis eius epiſcopos, vt in vulgatis annotatio marginalis habet, ſed ad eos qui epiſcopatui eius ſubditi eſſent, ac diſpenſationis eius curæ concrediti. Nam Auguſtini eſſe, exordium ipſum, & res ipſa ſatis ſuperq; teſtantur. Scriptũ eſt autem ante libros contra Creſconium, imo & ante lib. tertium aduerſus Petilianum, adeoq; & ante Petiliani apologiam, certè priuſquam in manus Auguſtini veniſſet. Nam libri huius cap. 1. prouocat eum ad reſpondendum, non huic tantum libro, ſed prioribus etiam duobus.*



IN CAP. I.

video quid poſſint dicere] *Ita commodius quàm* poſſunt.

IN CAP. II.

vbi ſit hoc corpus, id eſt] *Hæc verba ex* MS. *adiecimus.*

vel noſtra vera & ſua falſa, vel noſtra falſa & ſua vera] *Abutitur reciproco, pro* ipſorum.

cui nos communicamus] *Ita rectius, quàm* cõmunicauimus.

quàm multa ſancti] *Pro* quàm multi.

inceſtatores conſecratæ pudicitiæ feminarum] *Ergo etiã Auguſtini temporibus virgines Deo conſecrabantur ad cuſtodiendam virginitatem; quod idem ex aliis eiuſdem locis cognoſci poteſt, vt lib. De ſancta virginitate cap. penè ſingulis, lib. 1. De ciuitat. cap. 16. lib. 8. Confeſſ. cap. 6. in Pſal. 75. 83.*

Deſeruntur neſcientes] *Prius erat*, Deſerunt; *addebatur quoq; non rectè interrogationis nota tum in hac, tum in ſequenti periodo.*

ſi vera dicantur] *Pro* dicuntur.

& ab eis nos ſeparent] *Perperam* ſepararent.

aliqua ſegnitia vel cohibentia] *Id eſt conniuentia & diſſimulatione. Et omnino videri poterat ſcribendum eſſe* conniuentia, *niſi & alibi apud Auguſt. eodem ſenſu* cohibentia, *&* cohibeo, *legeretur. Vt epiſt. 93. Nam vt durum arbitror, inquit, cohibentiam præbere peccantibus, ita impium iudico manum negare conuerſis. Et lib. 5. contra Iulian. cap. 7. Sed ſi cohibuero ſicut dicis, inuictum eſſe libidinis malum. Similiter Hilarius in illud Pſalm. 118. Iniquos odio habui. Ipſa quoque anima, inquit, illecebris iampridem capta viuendi, tacitis quibuſdam conſiliis ad cohibentiam deflectendæ voluntatis irrepat. Vbi haud dubiè* cohibeo, *&* cohibentia, *pro* conniueo, *&* conniuentia *dicuntur, ſed quæ non dubitem ex his eſſe deflexa. Nam primùm quidem, quemadmodum & alibi annotauimus, vſitatiſſimus eſt literarũ* u, *&* b, *in ſe mutuo tranſitus: vt enim dicitur Vagai, ſic Bagai; vt Theueſte, ſic Thebeſte: atq; ita vt* conniuentia, *ſic* connibentia. *Qua mutatione facta, poſterius* n, *inter ſonandum in aſpirationem abijt, factumq;* conhibentia, *quomodo legis in Cod. Theod. Contij, lib. 16. tit. 5. qui eſt de hæreticis, l. 46. Tandem verò euphoniæ gratia abiectum & prius, dictumq;* cohibentia.

His igitur innocentibus innocenter communicauimus] *ſic* MS. *pro* communicabimus.

hodieque, neſcientes quæ tunc acta ſunt] *Deeſt aliquid, fortè* communicamus; *niſi malis illud* hodieq; *ad ſequẽtia referre, vt ſenſus ſit, etiam hodie neſcientes quæ tunc acta ſunt.*

IN CAP. III.

non audiamus, hæc dico, hæc dicis; ſed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, &c.] *Abutuntur hoc loco hæretici ad euertendam eccleſiaſticæ traditionis & veterum Patrum authoritatem, vt nihil fide ſit recipiendum niſi quod ex libris ſacris probari poſſit. Similis locus erat ſuprà cap. 2. vnde hic pendet:* Inter nos, *inquit*, & Donatiſtas quæſtio eſt, vbi ſit Chriſti corpus; id eſt, vbi ſit eccleſia. Quid ergo facturi ſumus? In verbis noſtris eã quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti? Puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum. *Et infrà cap. 3.* Nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis ſanctam eccleſiam demõſtrari. *Et concludens*, Ergo in ſcripturis ſanctis canonicis eam requiramus. *ſed facilis eſt ac expedita reſponſio. Nam de quibus humanis documentis agat, ipſe iiſdem his locis, clariſſimis verbis oſtendit.* Quæ ſint autem verba noſtra, *inquit, cap. 2.* in quibus eam quæri non oportet, aduertite & videte etiam ibi quid interſit inter noſtra verba & illorum: & tamen in verbis noſtris quæri eccleſiã nolumus. Quicquid nobis inuicem obiicimus de traditione codicum diuinorum, de thurificatione, de perſecutionibus, verba noſtra ſunt. *Proferebãt contra Catholicos Donatiſtæ, acta quædã, quibus Felicem Abtungenſem, & Cæcilianum in perſecutione Diocletiani thurificaſſe, aut libros ſacros tradidiſſe, docere conabantur. Clamabant grauem ſe olim ac etiam nunc perſecutionem à Catholicis pati, inde ſtatuentes, Catholicos, quoniam traditoribus illis et perſecutoribus communicaſſent, ab eccleſia excidiſſe, ſeq; ſolos in ea permanſiſſe. Contra hæc proferebant Catholici publica fideliſſimaq; acta ac documenta, quibus oſtenderent præfatos epiſcopos non vno iudicio fuiſſe abſolutos: alia item, quibus docerent ipſorum maiores manifeſtiſſimos extitiſſe traditores; poſtremò quibus conuincerent Donatiſtas priores fuiſſe qui innocentes illos epiſcopos fuerint perſecuti, etiam apud Imperatorem Conſtantinum eos accuſantes. Allegabant Circumcellionum crudelitatem quam in Catholicos quotidie exercerent, deniq; exemplum eorum qui Rogatiſtas & Maximianiſtas ſchiſmaticos ſuos grauiſſimè eſſent perſecuti, quibus tamen poſteà communicaſſent. Hæc erant vtriuſque partis in alteram dicta, hæc documenta humana, quæ ab huius quæſtionis inquiſitione iubet Auguſtinus remoueri, ad ſacras ſcripturas Donatiſtas reuocans, in quibus eſſent certiſſima euidentiſſimaq; argumenta quibus demonſtrari poſſet, vbi vel penes quos foret vera Chriſti eccleſia. Vide quæ his addat infrà cap. 18. & 19. Non ergo agit de eccleſiaſtica & apoſtolica traditione, de veterum patrum ac eccleſiæ totius teſtimonio: quo haud dubiè vtendum eſt quando ſcripturæ ſacræ litem dirimere non poſſunt. Id quod facit non ſemel Auguſt. vt in baptiſmo paruulorum, in baptiſmo hæreticorum, in cauſa etiam originalis peccati, quod tamen diſertis ſcripturæ verbis ſtatuitur. Qua de re luculentiſſima eſt eius ſententia libro primo contra Creſcon. cap. 33.*

Quid times ne legantur iſti libri] *Ex* MS. *adiecimus* iſti, *quod & paulò pòſt repetitur.*

Maiorini ordinatores] *Pro* Maiorani. *Fuit autem is primus Donatiſtarum Carthaginienſis epiſcopus, contra Cæcilianum creatus, quod fuit ſchiſmatis initium. De quo plura in commentario noſtro rerum Donatiſticarum.*

in paucis Romæ Rupitanis & Montenſibus] *ſic enim Donatiſtæ Romæ vocabantur; vt in hiſtoria noſtra plenius explicabitur.*

vnius Hiſpanæ mulieris] *Lucillæ videlicet, cuius potiſſimum opera & inſtantia ſchiſma hoc conflatum fuit.*

quicquid de chartis aliis aliud proferatur] *Pro* aliud, *erat* aliquid. *forte*, alicunde.

Si in paucis Mauris prouinciæ Cæſariẽſis] *Rogatiſtæ, & Maximianiſtæ Donatiſtarum fuere ſchiſmatici, quorum illi in Cæſarienſi Mauritania; hi in Tripoli, Byzacio, & Proconſulari ſeu Carthaginienſi prouincia potiſſimum exarſerunt. Rogatiſtarum præ cæteris perexiguus fuit numerus: nam cùm ad Vincentium Rogatiſtam Auguſtinus epiſt. ſcriberet 48. Cartennis vbi reſidebant, plus minus decem ſupererant. De quibus aliàs plura.*

Quis enim poſſet ſingulas quaſque hæreſes] *Ita rectè manuſcrip. pro* ſingulas quaſi.

IN CAP. IIII.

& incommutabile verbum patris] *In excuſis erat*, & vnum incommutabile: *ſed illud* vnum, *non addunt nec* MS. *nec Amorbach. imò nec vetera Frobeniana.*

IN CAP. V.

iuſtos ſe eſſe confingant] *Ita commodius cum* MS. *quàm* iuſtos ſeipſos confingant, *quod habebant impreſſa.*

id eſt, cognitor cordis] *In* MS. *erat* conditor cordium: *& mox, poſt* iudex, *addebatur* viuorum & mortuorum. *Nos alteram lectionem retinuimus.*

Eſt quidem acutorum hominum] *Endouienſ. legit* cautorum, *nec addit* hominum.

Nulli noſtrum dubium eſt, per arcam Noë, ſalua rerum geſtarum fide] *Arcæ huius myſteria diligenter explicat Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 14. & ſequentibus (vnde petita ſunt quæ habes tomo 4. in Dialogo Oroſij cum Auguſtino, cap. 25. & ſequẽtibus) Lib. 15. De ciuitate Dei, cap. 26. & aliquot ſequentibus. Hieronymus quoque libro contra Luciferianos.*

propterea cuncta animalium genera] *In his animalibus quæ in arca Noë fuerunt, attendimus aliquando, quòd partim munda, partim immunda eſſent; quo ſignificatur, eccleſiam ex bonis ſimul & malis conſtare. Aliquando quòd fuerint omnis generis; vbi prænunciatam intelligimus eccleſiam in omnibus gentibus futuram. Ad poſteriorem hanc ſignificationem reſpicit hic Auguſt. vt & conc. 3. in Pſalm. 103. Et Proſper lib. 2. De vocat. gentium, cap. 4.*

ſi nobis pateat aliud inde dicere] *Legendum videtur*, placeat.

ſignificatam eſſe charitatem] *Allegoriam hanc ſimiliter tractat lib. 12. contra Fauſtum, cap. 14.*

Non video quid hic aliud figuratum & prænunciatum ſit] *Sic & alibi Auguſt. Quæſt. 49. in librum Iudicum. Lib. 12. cont. Fauſtum, cap. 32. lib. De peccat. orig. cap. 25. in Pſalm. 45. & 71. De verbis Domini ſerm. 2. Latiſſimè verò ſerm. 108. De tempore. Proſper quoq; Prædict. par. 2. cap. 18. Et ante eos Origenes homil. 8. in lib. Iudicum. Chryſoſt. in appendice tomi 1. in illud Pſalm. 71. deſcendet ſicut pluuia in vellus. Ambroſ. in prologo lib. 1. De ſpiritu ſancto. Hieron. epiſt. 13. ad Paulinum.*

volo quæramus eccleſiam] *In excuſis erat* nolo, *ſed non rectè.*

omnem frontem impudentis elidat] *ſic rectè* MS. *& Amorb. pro* omnem fontem.

IN CAP. VI.

Abiit autem Iſaac ad Abimelech] *Pro*, ab Abimelech.

Non à vobis quærimus quid lapis ille ſignificet] *Allegoriam hanc alibi pertractat Auguſt. non ſemel; vt lib. 12. contra Fauſtum, cap. 26. ſerm. 40. De verbis Domini. Tractat. 7. in Ioannem. In Pſalm. 44. lib. 16. De ciuit. Dei, cap. 38. ſerm. 79. De tempore.*

quos inde commemoret Dominus] Endouienſ. legit, quos ipſe mihi commemoret Dominus. Sed alterum eſt rectius. præcedit enim, Non deſunt corda fidelium, quæ cōmemorat Dominus ex euangelio. Frequens eſt autem apud Auguſt. cōmemoro, pro admoneo, commonefacio, ad memoriam reuoco. ſic infrà cap. 12. tanquam commemorans vos. lib. poſt Collat. cap. 21. Quid aliud agunt, niſi vt nos commemorent, quibus hoc Apoſtolus ſcripſerit? Et lib. 1. cōtra Creſc. cap. 28. Ipſe poſuiſti, vnde te poſſim commemorare quod volo. Alijs prætereà compluribus locis; quanquam frequēter quoq; ſimpliciter vſurpat, pro narro, refero, repeto.

cum pia dilectione legentibus] Ita rectè Endouienſ. cum Amorb. pro cum pia lectione.

IN CAP. VII.

& qui exurget principium habere in nationes] Videri queat principatum potius legi debere: ſed 70. habent καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν. Citat hunc locum Apoſt. Rom. 15. vbi interpres noſter vertit, Et qui exurget regere gentes; id eſt vt regat, & princeps ſit gentiū.

refulgebit & non confringetur] In excuſis erat, non confundetur. ſed MS. lectionem confirmāt Græca, ἀναλάμψει καὶ οὐ θραυσθήσεται.

Nunc ecce, ſi & illam obliuio habebit] Sic MS. cum Amorb. In excuſis erat, Nunquid ecce. Græca neutrum habent.

Certè ſacratiſſimas nuptias] Cùm ita legant & MS. & Amorb. neſcio quis, ſanctiſſimas, legere maluerit.

ſic ergo prior ipſe deſcribitur] Ita manuſcr. ſuffragante Amorb. pro ſicut ergo.

vt & ipſi obmuteſcant] Perperam obtumeſcant.

propter quod tradita eſt in mortem] Sic rectè End. pro quo erat propter quos, non hic tantum, ſed & aliquanto pòſt.

Quid eſt hæretici quòd de paucitate gloriamini?] Commune eſt omnibus hæreticis, vt quo ſe catholicos non eſſe oſtendāt, de paucitate ſua glorientur, vti docet Auguſt. lib. 2. contra aduerſar. legis & prophetar. cap. 12. Et in Pſal. 47. Idem factitabant & Donatiſtæ. Qua de re plura dicemus infrà ad cap. 13.

Et qui ſunt hi multi, & quàm latè occupant terram?] Ita MS. pro ſint, & occupent.

Quæ ſequuntur audiamus] Noua hic periodus facienda.

erumpe & exclama quæ non parturis] Illud quæ non parturis, deerat in excuſis.

multitudinem ſuam in Afris, vel in Africa] Ex manuſcr. adiecimus, in Afris, vel.

& pelles aularum tuarum fige] Adiecimus ex Græcis pelles, licet neq; in MS. eſſet. Cæterùm pro aularum, videtur legendum auleorum, vel aulearum tuarum: eſt enim apud 70. καὶ τὰς δέρρεις τῶν αὐλεων. Vbi Auguſtini interpres pro αὐλεων, legiſſe videtur αὐλων. lib. 3. contra Creſcon. legit, & aulas tuas confige.

& palos tuos confirma] ſic MS. Excuſa habebant clauos; quomodo citatur etiam in excuſis infrà lib. 3. contra Creſcon. cap. 64. & epiſtola 48.

donec prodeat ſicut lux] In excuſis deerat lux.

Tu enim vocaberis voluntas mea] In MS. additur in ea, quomodo habes infrà in excuſis cap. 19. ſed non legunt 70.

& terra tua orbis terrarum] Ita legitur & infrà eodem 19. cap. & 24. Aliter habes hodie apud 70. καὶ ἡ γῆ σου οἰκουμένη, id eſt, & terra tua habitata.

Iam verò ſi de omnibus prophetis eccleſiæ ſignatæ, quā ſicut legimus, cernimus teſtimonia colligere] Locus deprauatus ac mutilus.

in hanc vnam epiſtolam] In excuſis deerat vnam.

IN CAP. VIII.

Eadem quippe firma & inflexibili iuſtitia boni reguntur, mali conteruntur] Exponit illud Pſalmi 2. quod præcedit, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Ibi etiam dicuntur hæc] Ita commodius End. pro Ibi enim.

auditis & videtis inuiti] ſic MS. excuſa per præteritum tempus efferebant, audiſtis & vidiſtis.

IN CAP. X.

vt nec hoc audeant dicere] Ex MS. adiecimus hoc.

Non curo, nec reſiſto] Sic rectè Endouienſ. pro quo erat in excuſis, Non iuro, non reſiſto.

Produxit autem illos vſque in Bethaniam] Non rectè vulgata, Perduxit.

IN CAP. XI.

Et cùm conuerſaretur cum eis, præcepit eis ne diſcederent ab Hieruſalem] MS. quædam legunt, Et cùm conueſceretur cum eis, ad noſtræ lectionis imitationem, quæ habet, Et conueſcens, quam putarim quoque veriorem eſſe, cùm ita legant Chryſoſt. Theoph. & Oecumen. in hunc locum. Hieron. ad Hebidiæ quæſt. 7. Heſychius in Leuit. cap. 8. & alij complures. Auguſtinum tamen nō ita legiſſe, ex alijs locis intelligi poteſt. Nam lib. contra epiſt. Manichæi quàm vocant Fundamenti cap. 9. & docens, inquit, de regno Dei, & quomodo conuerſatus eſt cum eis, & præcepit eis ne diſcederent ab Hieroſolymis. Quomodo legit & cap. 4. lib. contra Felicem Manichæum. Quare putauimus cæterorum hic lectionem, quam habebant & vulgata, Et cùm conuerſaretur cum eis.

Nec vlla nobis excuſatio eſt] Ita cum MS. legit & Amorbach. In excuſis erat, Nec nulla, ſenſu contrario.

per omnes gentes] Ita commodius MS. quā in. ſic legit & Amorbach. & infrà excuſa non ſemel.

Ecce vox eius clara & aperta, hac audita qui eum non ſequitur] Prius erat deprauatiſſimè, Ecce vox eius clara & aperta, ac audita. Qui eum non ſequitur.

Iam verò iſtæ diuinæ voces de vniuerſa eccleſia, ita manifeſtæ ſunt] ſic Endouienſ. pro manifeſtatæ.

Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſq;] Pro eos audiuim⁹.

Quæ Deus mundauit, tu communia ne dixeris] ſic hodie & Græca pluraliter legunt, vulgata editio numero ſingulari.

in illa voce ſibi demonſtratum] Excuſa legebant, in illo vaſe. Cui lectioni etſi fauere videatur quod infrà ſequitur, Iam cui nō appareat illo vaſe ſignificatum orbem terrarum, prætulimus tamen eam quam habent MS. Significat enim myſterium hoc lintei vaſis demōſtratum & expoſitum Petro fuiſſe illa voce, Quæ Deus mundauit, tu communia ne dixeris. Vnde mox id repetens, Ita expoſuit, inquit, illam vocem.

IN CAP. XII.

Audacius autem ſcripſi vobis tanquam commemorans vos] Videtur quiſpiam ſuprà vocem commemorans, aut ad eius latus annotaſſe quod in noſtra verſione eſt, in memoriam reducens. Inde illud reducens, ſcribarum imperitia in contextum irrepſit.

quot manſiones ſint] Metuo ne mendoſus ſit locus.

in ea regione innumerabiles] MS. Endouienſ. cum Amorbach. & Pariſ. editione legunt, regiones innumerabiles, ſed non rectè. Galatia enim innumerabiles aliquando eccleſias habuit, regiones nunquam; vnica enim ipſa eſt regio.

& in Apoſtolicis literis manifeſtatas] Pro manifeſtas.

Ecce ſunt in eis eccleſiæ] Excuſa ineptiſſimè hic legebant, in eccleſia eccleſiæ.

quales ea cauſa iudices habuerit, neſcierunt] ſic rectè MS. pro quo in excuſis, quales in ea cauſa iudices habuerint.

Si autem aliunde clamas, vel recitas] In impreſſis erat, aliud declamas: ſed non rectè. Nam vt liquet ex iis quæ proximè antecedunt, poſtulat ab eis vt ſi ab earum eccleſiarum quæ in ſcripturis nominatim commendantur, communione velint recedendum, oſtendant ex iiſdem ſcripturis earum crimina. Si quid verò aliunde, hoc eſt, extra eas proferant, non ſe recepturum; eſſe enim non Dei, nec prophetarum, ſed ipſorum voces. Vnde mox, veſtras, inquit, voces non admittimus. Simile eſt illi quod habes infrà ſub finem cap. 17. Reſtat ergo vt non ex diuinis libris, ſed ex vobis iſta dicatis.

per omnes gentes permanaturam] Ita rectè Endouienſ. pro permanſuram.

& inde in totam terram] Ex MS. adiecimus inde.

IN CAP. XIII.

Sic & nunc inquiunt, totus mundus apoſtatauit, nos autem tanquam duæ illæ tribus, in templo Dei, hoc eſt in eccleſia remanſimus] Eadem ſimilitudine poſt Donatiſtas vſi ſunt & Arriani, vt liquet ex homilia prima authoris operis imperfecti in Matthæum, quem fuiſſe conſtat Arrianum. Vſurpauit & Caluinus, Inſtitut. cap. 8. Sed quid ea ſeceſſio præfigurarit, docet Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum, cap. 33. Cùm decem tribus, inquit, à templo ſeparatæ ſunt, & duæ derelictæ, ſatis indicat, quòd de tota gente ipſe Apoſtolus ait, Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Cæterùm pro remanſimus, erat in excuſis permanſimus; ſed illud habebant MS. & commodius videtur.

cū plurimi diſcipuli ſequerentur] Ex MS. adiecimus diſcipuli.

His atque huiuſmodi exemplis hæretici ſuam paucitatem commendare conātur.] Hæretici quoniam catholicæ eccleſiæ nomen vident ſe non poſſe verè vendicare, ad paucitatem confugiunt electorum, & gregem puſillum à Chriſto commendatum; vnde ſolent de ſua paucitate libenter gloriari. Sic olim Manichæi, teſte Auguſt. lib. 2. contra aduerſ. legis & prophetarum, cap. 12. Arriani, qui cùm initio multitudinem ſuam iactitaſſent, poſtea à Theodoſio repreſſi, paucitatem ſuam commendare cœperunt, illud Chriſti in ore habentes, Multi vocati, pauci verò electi. Refert Socrat. lib. 5. cap. 10. Sic author operis imperfecti in Matth. homilia 1. Eunomiani, Author Baſilius lib. 1. cōtra Eunomium. Luciferiani, vt ſcribit Hieron. Dialog. contra eoſdem. Pelagiani, vti videre eſt apud Auguſt. lib. 5. contra Iulian. cap. 1. & ſub finem lib. 2. Item lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 12. Idem ergo factitarunt olim & Donatiſtæ, vt liquet tum ex hoc loco, tum ſuprà cap. 7. & lib. 1.





contra Donatiſt. cap. 6. Lib. 3. contra Creſcon. cap. 66. & 67. Ac inter eos in primis Rogatiſtæ, de quibus Auguſt. epiſt. 48. Poſtea tamen Donatiſtæ in Collat. Carthag. mirificè ſunt de ſua multitudine gloriati. Hoc exemplum imitati ſunt nuper Lutherani, Anabaptiſtæ, & Caluiniſtæ, quorum ſinguli paucitatem ſuam egregiè venditarunt. Sic Caluinus Inſtit. ſuæ cap. 8. qui tamen pòſt, regni ſui amplitudinē prædicare cœpit.

ſi, quod abſit, nollem credere] Ita commodius MS. quàm quod abſit, ſi nollem, vt habebant impreſſa.

Et iſta, inquiunt, credimus & completa eſſe confitemur, ſed poſtea orbis terrarum apoſtatauit, & ſola remanſit Donati cōmunio.] Idem repetit lib. De agone Chriſtiano cap. 29. Quod ipſum imitati ſunt & Caluiniſtæ, qui catholicæ eccleſiæ nomine preſſi, obijciunt illud poëtæ, Oſtendent terris hanc tantum fata, nec vltra Eſſe ſinent: Significantes, eccleſiam aliquando catholicam fuiſſe, at eſſe iam deſiiſſe; eóque non eſſe perpetuam eam eccleſiæ proprietatem ac notam.

peiorem dicant Iudam] Perperam priorem.

Ideò nequaquam pars illa populi, tāquam hæreſis, fuiſſe deputanda eſt] Vir quidam non indoctus reprehendit hunc Auguſtini locum, ſchiſmaticam fuiſſe arbitratus iſtam decem tribuum ſeceſſionem. Viſum eſt autem eius verba ſubijcere. Illud miror, inquit, quod Auguſtinus, in lib. De Vnitate contra Petilianum, cùm hanc quæſtionem tractat, adiicit; partem illam veteris populi, hoc eſt, Iſraëlem, deputandam non eſſe tanquam hæreſis fuiſſet. Deum enim decem illas tribus iuſſiſſe ſeparari non vt religio, ſed vt regnum diuideretur. Cùm hęc lego, fateor (ne quid diſſimulem) me hærere & ſubſiſtere. Deus quidem iuſtè meritoque decreuerat, Hieroboam fore Regem, vt puniret peccatum Salomonis. Sed nihilominus Iſraël peccauit, cùm perfidioſe talem ſibi regem aſciuit, vt à regno Dauidis & à templo deficeret. Sed & ipſe Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. cap. 31. ait Samaritanos fuiſſe veluti hæreticos Iudæorum. Audio quod contra Petil. ait, Deum iuſſiſſe vt regnum Iuda diuideretur, non etiam religio. Non enim iuſſiſſe fieri ſchiſma: ſicuti, inquit, ſæpe in orbe terrarum regna diuiduntur, & tamen Chriſtiana vnitas non diuiditur, quia in vtraque parte inueniatur eccleſia catholica. Verùm (ſi mihi fas eſt ingenuè dicere quod ſentio, vt quod verum eſſe puto, verecundè quidem, ſed tamē liberè exponam, nullo Auguſtini præiudicio impeditus) exiſtimo obſeruādum eſſe, aliam fuiſſe rationem regni Iudaici ſiue Dauidici, aliam eſſe aliorum regnorum. Nam in regno Dauidis ſic incluſa fuit eccleſia, ſicq; cum eo coniuncta, vt non potuerit diuidi, quin religio diuideretur, hoc eſt, quin qui ab eo deſciſceret, ſchiſmatis reus eſſet. Nam qui ab eo deficiebat, ab eccleſia quoque ipſa deficiebat. Certè orabatur pro hoc regno, vt pro eccleſia, Pſal. 77. & 107. & Dauid proptereà dicebatur primogenitus inter reges, Pſal. 88. At inquies, Deus tamen dicitur diuiſiſſe regnum Dauidis. Fateor, ſed longè alio fine, quàm ipſe Hieroboam ſchiſmaticus, aut quæ eum ſecutæ ſunt decem tribus, quarum longè aliud fuit, quàm Dei conſilium. Hactenus ille. Sed veniam dabit, ſi quam ſibi ab Auguſt. recedendi, eandem & nos ab ipſo viciſſim diſſentiendi, libertatem ſumamus. Dico ergo rectiſſimè locutum Auguſtinum, nec momenti quicquam habere quæ ſunt in diuerſum productæ rationes. Nego enim eccleſiam Dei ita olim terreno Dauidis regno coniunctam ac incluſam fuiſſe, vt diuelli ab inuicē non poſſent, nec diſcedere ab eo quenquam potuiſſe, niſi ab illa quoque & à vera religione deficeret. Nam in primis certum eſt, docetq; non vno loco Auguſtinus, lib. videlicet 18. De ciuitate Dei, cap. 47. lib. De peccat. orig. cap. 24. & lib. De prædeſtinat. ſanct. cap. 9. B. Iob ad populum Iſraëliticum non pertinuiſſe; à cæleſtis tamen Hieruſalem ſocietate adeò ſeparatum non fuiſſe, vt diuino etiam teſtimonio ſupra cæteros omnes eius temporis fideles commendaretur. Addit ibidem Auguſtinus, et alios prætereà per mediatoris ſimiliter fidem iuſtificatos in reliquis quoque gentibus reperiri potuiſſe, idque licet tacente ſcriptura, negari non debere. Nec obſtat quod B. Iob Dauidicum regnum præceſſerit. Nam vnus idemq; populus erat, quem vt ſub Dauide, ita multo quoque antè, elegerat Deus, penes quem vera ipſius notitia, cultus ac pietas reſideret, iam inde à data lege Dei populus peculium & hæreditas appellatus. Quare ſi extra eum vera tunc alicubi fides religioq; inueniri potuit; quid ni & extra regnum Dauidis? Certè extante iam illo, Syrus quidam fuit Naaman nomine, militiæ regis Syriæ præfectus & magiſter, qui ſanatæ lepræ miraculo permotus veri Dei fidē amplexus eſt: eum non redire modò in Syriam ad idololatram regem ſuum, ſed & ſacrificare ibidem (quod populo Iudaico niſi Hieroſolymis facere fas non erat) Heliſeus propheta permiſit. Stabat etiamnum regnū Dauidis quando ad Niniuitas miſſus eſt Ionas; an quia Dauidici regni non erant, nullam ibi pœnitentiam, religionem, pietatem fuiſſe dicemus, cuius reſpectu tam amplæ ciuitati Deus pepercit? Quin & poſt captiuitatem Babylonicam reſtaurato iam templo, nónne gentiles qui cōmercio diſperſorum per eos Iudæorum verum Deum cognorant colebántque, cuiuſmodi poſtea & Aethiops ille fuit reginæ Candacis eunuchus; nónne, inquā, & ad Iudaici populi regnum non pertinebant, & à ſpirituali tamen piorum ſocietate non erant alieni? Imo verò Iudæos ipſos per varias ſparſim gentes natos, eoq; nec Dauidis regno ſubiectos; religionem tamē auitam Deiq; cultum retinuiſſe, Actorum liber non vno in loco teſtatur. Denique quid ſi Babylonis, Syriæ, aut Aegypti rex quiſpiam cum populo ſuo vniuerſo veri Dei fidem ac religionem voluiſſet amplecti, an neceſſe illi foret regium nomen deponere, aut regni ſe Dauidis imperio ſubijcere? Non ſanè arbitror. Itaque ſi ad ſpiritalem populi Dei ſocietatem ineundam neceſſarius in regnum Iudaicum tranſitus non fuit, certè nec permanētia ad eandem retinendam: vna eſt enim vtriuſque ratio. Nihil ergo religioni obſtat ab eo regno defectio vel receſſus. Nam vt prætereā Abimelech, qui Iudicum tempore oborta fame, vnà cum Noëmi coniuge liberiſq; ſuis in Moabitidem abijt regionem, populumq; Iudaicum incolumi tamen religione deſeruit: viginti duæ ciuitates erant in Galilæa, Gentium poſterius appellatæ, eas rex Salomon Hiram regi Tyri dono dedit: an virum ſapientiſſimum ſacrilegum hic fuiſſe dicemus? quid ni enim fuit, ſi tot innocentes vt à regno Dauidis, ita & à religione volentes nolentes auulſit ac alienauit? Quod ſi fuiſſet, non arbitror id tacituram ſcripturam, quare ſi abſque religionis iniuria tot ciuitates à regno Dauidis priuata potuerunt authoritate auelli, & pro terrena mercede homini ethnico tradi; quî minus licuit Hieroboam homini Iudæo & circunciſo, decem tribubus à regno Dauidico deficientibus delatum ab eis regnum ſibi ſumere ac vindicare, præſertim à Deo per prophetam tanto antè promiſſum? Nam ſi factum hoc ſchiſmaticum fuit, omnes pariter ſchiſma inuoluit, neque vllus ibi iam pius, iuſtus, aut ſanctus eſſe potuit, ſiquidem in ſchiſmate nullus eſt innocens. Et Leuitæ quidem omnes relictis ſuburbanis ſuis Hieroſolymam transfugerunt; ſed poſt abiectam demum in Iſraël religionem, qua euerſa nullus iam erat miniſterio illic eorum locus: At permanſerunt in locis ſuis tot hominum milia, quæ Deo teſte non curuauerunt genua ſua ante Baal, ſed veteri religione ſeruata & Deo vero & non niſi Hieroſolymis ſacrificabant. Inter eos erat pius ille Tobias, erat Abdias diſpenſator domus Achab, erat Sunamitis illa cuius filium Heliſeus à mortuis ſuſcitauit, quam & fame oborta in terram Philiſtijm peregrinatum abire iuſſit. Denique prophetæ tam multi qui ſedes illic ſuas habuerunt, aut etiam ex Iuda tranſtulerunt, populum non ad regnū Dauidis, ſed ad veri Dei cultum ab idololatria reuocantes. Non ergo ſchiſmatica fuit ea diſceſſio. Sed Hieroboam, inquit, propterea regnum diuiſit, vt populum à veri Dei cultu abduceret; nec minus perfidioſe talem ſibi regem decem tribus adſciuerunt, libertatem quærentes ad idololatriam deficiendi. Id vnde probari poſſit non video. Nam populus quidem tyrannidis odio, ac non malæ libertatis amore, alium ſibi regem delegit; non ſub quo idola coleret, ſed exactionibus non ita grauaretur. Regnum autē ſuſcepit Hieroboam, vt à Deo ſibi per prophetā promiſſum, id quod arbitror nec populum ignoraſſe: mutandæ autem religionis conſilium proptereà initum ab eo fuit, vt imperium ſibi hoc firmaret ac ſtabiliret; ne fortaſſe ſub Hieroſolymitani templi occaſione ad priorem aliquando dominum populus reuerteretur; regni ergo diuiſione poſterius. Itaque non ideò eſt eius facta diſtractio, vt Dei cultus mutaretur; ſed mutatus propterea, vt ne diuiſum ſemel regnum, coaleſcere iterum ac coniungi poſſet. Peccatum ergo non regni diuiſione, ſed religionis defectione. Id quod ex ipſis quoque ſcripturæ verbis intelligi haud obſcurè poteſt. Nam & Deus cùm eius peccata non ſemel per prophetas reprehenderet, & extremum ei proptereà excidium minaretur, non hoc in eo redarguit quòd regnum Dauidis laceraſſet, ac decem tribus imperio eius ſubduxiſſet, verùm quod vitulos aureos conflaſſet, ac populū Dei ab ipſius cultu ad idololatriam abduxiſſet. Vnde & 3 Regum cap. 13. Poſt hæc verba, inquit ſcriptura, non eſt reuerſus Hieroboam de via ſua peſſima, ſed econtrario fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes excelſorum: quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum. Et propter hāc cauſam, inquit, peccauit domus Hieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ: non ergo propter regni diuiſionem, ſed ob ſuperinductam poſtea idololatriam: à qua ſi abſtinuiſſet, nihil ei ſanè Iſraëliticū regnum obfuiſſet, & à populo non mala cauſa delatum, & à Deo regnorum omnium Domino promiſſum, donatum & confirmatum, perpetua id ſucceſſione habiturus, ſi vias Domini exemplo Dauidis ambulaſſet, quemadmodum per prophetam Abiam, 3 Regum cap. 11. iam antè audierat. Nam quod ait Auguſtinus lib. 17. De ciuitate Dei cap. 23. in regno Iudæ reges quoſdam pios, & merita eorum non pauca laudari: In Iſraële verò quamuis alios magis, alios minus, omnes tamen reprobos fuiſſe; id non inde factum, quia regnum Iudaicum in duo ſcidiſſent, ſed quia idola colerent, aut relicto ſaltem legitimo Hieroſolymitano templo, in excelſis contra Dei præceptum immolarent. Etenim ſi regno ſeruato iuſtus illic rex nullus eſſe potuiſſet, certè nec de populo quidem aliquis; nam in ſchiſmate vera pietas nulla, nulla vera iuſtitia locum habet; ergo ſi iuſtus eſſe populus potuit, & multi ex eis teſte ſcriptura iuſti fuere, quid ni & re-

A *ges eſſe potuerunt, nec tamen regno, ſed religione tantum reſtituta:* Certè *Iehu commendatus ad tempus fuit, plenam laudem habiturus, niſi à prima pietate defeciſſet. Cæterùm Samaritanorum fuit longè alia, quàm decem tribuum ratio. Nam hi iam inde ab initio quo Iudæorũ religionẽ ſuſcepere, ſimul quoque idola ſua retinuerunt. Babylonij enim erant origine, in vacuas Iſraëlitarum ſedes coloniæ deductæ; qui cùm à leonibus vaſtarentur, veri Dei cultum idololatriæ miſcuerunt. Poſt captiuitatem verò Babylonicam, negantes Hieroſolymam legitimum eſſe ſacriſiciorum locum, in monte Garizim æmulum templum ædificarunt; in eo enim loco, non Hieroſolymis, patriarchas oraſſe ac immolaſſe. Id quod tum ex Ioſepho lib. antiquitatum 11. cap. 7. & 8. lib. 12. cap. 7. & lib. 13. cap. 6. & 17. tum ex cap. 4. Ioannis intelligi poteſt. Talem ſanè defectionis cauſam decem tribus nec habuerunt, nec prætenderunt; quæ ſi & ipſæ hoc animo diſceſſiſſent, quia non Hieroſolymis, ſed alio loco ac tẽplo etiam vero Deo ſacriſicandum contenderent, tũc demum & illa verè ſchiſmatica ſeparatio fuiſſet. Poſtremò vt finem faciamus, ſit ita vt pro regno Dauidis velut pro eccleſia oratum fuerit, an non id fieri rectiſſimè potuit, quia hoc tunc ſolùm erat quod vnius veriq; Dei cultum ac religionem profiteretur ac conſeruaret? Quanquam carnale illud regnum eccleſiæ Chriſti typum gerebat, pro qua potiſſimum in Pſalmis illis* B *figuratè orabatur: quomodo & ad Chriſtum eſt referẽda prophetia, quæ Pſalm. 88. velut in Dauidis perſonam decantatur. Sed de his hactenus, nunc ad caſtigationes redeamus.*

Iſti ergo vel imperitè ] *Copulam hanc addebat non modò Endou. MS. ſed Amorb. quoque & Frobenij vetus editio, quam miror quis poſtea prætermittendam putarit.*

vt in eorum comparatione ] *Ita commodius, quàm* vt eorum in comparatione. *Prior lectio & in MS. & veteribus erat excuſis: poſterior in recentioribus.*

IN CAP. XIIII.

ſicut Iudas ab initio malus, inter bonos vndecim cõuerſatus eſt ] *Secus Chryſoſt. qui homilia 27. in Matth. ait fuiſſe aliquando bonum & filium regni, factum autem poſtea filium gehennæ. Quem ſequitur & Theophylactus in 3. cap. Marci. In eadem ſententia eſt & cõmentarius Ambroſio inſcriptus in 9. cap. ad Romanos. Aſtipulari videtur & Origenes homilia 4. in Canticum canticorum.*

propter malorum plurium comparationem ] *Sic rectè Endou. pro* plurimam comparationem.

ne cum malis pariter interirent ] *Illud* pariter, *adiecimus ex MS.*

aut aſſerere quod dicũt ] *Pro eo quod erat nõ rectè,* aut diſſerere.

C Vt mundaret nos ſibi populum abundantem ] *Redundat quod in excuſis additur,* inquit, *nec legunt MS. Præcedit enim,* Vnde dicit Apoſtolus. *Quod autem in Græcis eſt* περιούσιον, *vertit* abundantem, *pro quo noſter interpres reddidit,* acceptabilem, *alij commodius,* peculiarem.

IN CAP. XV.

& ideò nuſquam literarum Apoſtolicarum ſcriptum eſt ] *Sermo inſolens, pro in nullis literis, vel nuſquã in literis Apoſtolicis ſcriptum eſt. Quomodo dicimus, nuſquam gentium, nuſquam locorum.*

Cùm videritis, inquit, Abraham ] *Perperam* videretis.

Quod nos intelligimus dictum, vel propter ipſam fidei perfectionem ] *Ad hunc locum Lucæ 18. ita quoque reſpondet epiſt. 48. & lib. 2. contra Gaudentium cap. 6. Similiter verò explicat lib. 1. quæſt. Euang. cap. 15. Lib. quæſt. ſuper Matth. quæſt. 11. lib. 83. quæſt. 61. Et Cyprianus lib. De Vnitate eccleſiæ catholicæ. Hieronymus contra Lucif. Cyrillus lib. 9. in Leuiticum.*

Vnde certum ſit, Africam in ordine credendi non eſſe nouiſſimam ] *Quo tempore & per quem in Africam fides venerit, non memini me hactenus legere. Fortaſſis ex Aegypto ad quam à B. Petro Marcus Euangeliſta miſſus fuit, aut ex Melita inſula; Chriſtianiſmus propagatus eò fuit. Certè vetuſtiſſimos habuit martyres.*

D Quare dormitauit anima mea præ tædio ] *Illud* anima mea, *addebant manuſcr.*

Ipſe perſecutionem verè pro iuſtitia patitur ] *End. legit* verò.

aut de tota terra dixit ] *Id deerat in excuſis.*

continuo ſecutus euangeliſta ] *Non* ſequitur; *phraſis eſt enim Auguſtino familiariſſima, de qua in cap. 1. lib. 3. contra Parmen.*

vel in perditionem Iudæorum ] *ſic MS. pro* perditionẽ eorum.

& quocunque epiſcopi ex Africa mitterentur ] *Legendum videtur,* vt quocunque.

IN CAP. XVI.

Annuncia mihi quem dilexit anima mea ] *In excuſis erat* diligit; *ſed alterum habent MS. atque ita etiam legis ſuprà initio capitis huius, & iterum aliquanto infrà.*

Adhuc enim iſta eccleſia eſt quæ loquitur & quærit ] *ſic MS. pro quibus erat in excuſis,* Nam iſta eccleſia eſt quæ loquitur, & quæris.

qui ſint meridies ] *In MS. erat,* qui ſint in meridie.

hoc eſt enim operta fiam ] *Scribarum vitio natum hinc erat in impreſſis,* opera fiam.

qui audiunt tam lucida ] *Sic Endouienſ. pro* quia audiunt.

quæ illam toto orbe demonſtrant ] *In excuſis addebatur* eſſe: *ſed non legunt MS. & videtur redundare: niſi malis* iſſe, *quomodo legis infrà cap. 19.* atque inde iſſe circum Iudæam & Samariam, & cæteras gentes. *Et cap. 24.* & per omnes gentes ituram. *Et mox,* per multas iſſe, antequam veniret in Africam. *Ac deinde,* & per multas gentes ituram, antequam veniat finis.

quæ ſunt in Ægypto in millibus ſeruorum Dei ] *Aegyptus olim omnigenæ ſuperſtitionis ac idololatriæ officina, poſt, Chriſti beneficio, ita vera religione ac pietate effloruit, vt non ſolùm celeberrimos habuerit veræ fidei doctores & aſſertores; verùm etiam innumerabilium martyrum turbam, deſerta quoq; omnia continentium virorum monaſteriis fœcundiſſima, ad quos ex toto orbe quotidiani piorum hominum concurſus fierent.*

perfectionem præcepti euangelici ſtudentes tenere ] *Præceptum generaliter accipit. Hinc autem videre eſt etiam Auguſtini temporibus, omnimodæ paupertatis ſtudium, qua derelictis omnibus Chriſto liberius ſeruiatur, ad vitæ Chriſtianæ perfectionem pertinere. Similis locus eſt ſuprà lib. 2. contra literas Petil. cap. 104. Et lib. De ſancta virgin. cap. 45. Item in Pſal. 75. & 83.*

quo dictum eſt ] *ſic MS. pro* quod.

Vis perfectus eſſe ] *Eclipſis eſt, pro* Si vis; *quomodo tamen ſuprà legitur lib. 2. contra Petil. cap. 104.*

Quanto enim melius ibi, ſecretius paſcere & cubare ] *Legendum videtur* & ſecretius, *vel* ſecretiuſque. *Porro pro* cubare, *in excuſis erat* accumbere: *ſed rectior eſt MS. lectio, reſpondet enim illi,* Vbi paſcis, vbi cubas.

& ſanabit eos ] *Hoc ex MS. adiecimus; leguntq; etiam 70.*

Quid ad hæc dicunt? ] *Prius erat* dicit: *ſed non rectè, ſequitur enim,* Quare non communicant?

tanquam ab alio initio ] *Locus hic mutilus eſſe videtur: implebitur ſententia, ſi in fine periodi poſt* leuauerunt, *addatur,* propagandam, *vel* reparandam, *vt cap. proximo, vel* renouandam, *vt cap. 19. aut certè* exortam, *quod habes paulò infrà,* Ecce nos poſſumus inuenire aliquid proprium, & hoc malum maximum, à capite Africæ, id eſt Carthagine exortum.

Epiſcopum contra epiſcopum leuauerunt ] *Hoc eſt, crearunt; pro quo alibi ait, altare contra altare leuauerunt. Intelligit autem Maiorinum quem aduerſus Cæcilianum Carthaginis epiſcopũ conſtituerũt.*

Si autem voluerimus intelligere Donatum, principem Tyri ] *Seu* velimus, *vt in MS. Imitatus eſt autem hoc loco Auguſt. Optatum lib. 3. contra Parmen. qui & ipſe in Donatum hanc ſcripturam detorquet. Cæterùm totus hic locus confuſus eſt & perturbatus: pendet enim ſententia vſq; ad illud, Ecce nos poſſumus inuenire aliquid proprium, vbi demum redditio eſt ſuperioris loci: nec caret magna deprauationis ſuſpicione.*

vbi eum maximè deſignat ] *Locus corruptus.*

Iſti enim de huius magis, quàm de Dei nomine gloriantur ] *Donatiſtæ potius, quàm Chriſtiani gaudentes appellari.*

Nunquid tu melior quàm Daniel? ] *Septuaginta legunt,* ſapiẽtior, *quomodo citat & Optatus loco præfato, & aliis locis ipſe Auguſt. vt lib. 2. De peccat. meritis, cap. 10. epiſt. 89. ad Hilarium, Tractatu de vrbis excidio, & alibi. Hic tamen* melior, *legiſſe videtur, reſpiciens ad morum & vitæ probitatem: quomodo lib. 2. contra Petilian. cap. 105. Tu poſtremo, inquit, iuſtior Daniele; ſed ſuis non ſcripturæ loquens verbis.*

Merito dicitur principi Tyri, Nũquid tu melior quàm Daniel? ] *Neſcio quorſum hæc repetitio pertineat.*

Norunt enim homines quàm congruenter Tyrus pro Carthagine accipiatur. ] *Carthago enim Tyriorum colonia eſt, vt Tyrus Sidoniorum: vnde Virg. lib. 1. Aeneid. Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago, Italiam contra. Hinc ab eodem Carthago Tyria & Carthaginienſes Tyrij vocantur. Quin & apud Eſaiam cap. 23. vbi ſub nauis nomine Tyri euerſio prædicitur, quod dicitur, Vlulate naues maris ſeu Tharſis, Septuaginta verterunt Carthaginis.*

Fortaſſis enim aliquid aliud ſignificet Tyrus ] *Ad literam haud dubiè Tyrus, Phœniciæ metropolis intelligitur, quam Nabuchodonoſor, & poſtea Alexander Magnus continenti iunctam expugnarunt. Allegoricè verò mũdum hunc ſignificare poteſt, vt Aegyptus & Babylon. Hinc Hieròn. in 28. cap. Ezech. Auguſtinus item lib. 11. De Geneſi ad literã cap. 25. & Theodoretus in epitome, docent ſub figura principis Tyri, in diabolum hæc dici: vt apud Eſaiam cap. 14. ſub figura regis Babylonis, de quo Auguſt. cap. 24. eiuſdem lib. 11. De Geneſi ad literam, & lib. 3. De doctrina Chriſtiana cap. 37.*

Et quamuis non permittantur ] *In MS. eſt* quia.

aliquid quo probent ] *Pro* quod.

Sinite



Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem ] *Illud,* Sinite, *non eſt in Endouienſ. & fortaſſe redundat.* A

IN CAP. XVII.

earum reparationem ex Africa futuram ] *Ex MS. adiecimus* futuram. *Redundat autem copula quæ in excuſis hic præponebatur.*

quòd erubeſcunt ſi dicant ] *Non additur in Endouienſ.* ſi dicant; *ſed retinendum tamen.*

ſibi conſignatum tenuerũt ] *Idem pro* conſignatũ *legit* traditũ.

Sicut enim hic ex quo ſeminatum eſt ] *Verbum* eſt, *ex MS. adiectum, ſenſum reddit clariorem.*

IN CAP. XVIII.

non autem ſola frumenta ] *Hæc ſatis incommodè cohærent.*

& municipalibus geſtis ] *Superfluè in excuſis addebatur præpoſitio* in.

& eccleſiaſticis negare non potuiſſe ] *In Amorb. editione ex qua transfuſæ ſunt cæteræ omnes impreſſæ, deerat verbum* negare; *vbi cùm iam idonea non ſubeſſet ſententia, audaculus quiſpiam locum hunc ita reſtituendum putauit,* & eccleſias non polluiſſe, *nullo iam prorſus ſenſu.*

qui ei factus fuerat inimicus verum prædicans ] *Inimicitiarum cauſam in hiſtoria noſtra aperiemus, quam & ſuprà alicubi ex Optati lib. 1. attigimus.* B

Nónne illi qui ab iſtis baptizatis damnati ſunt ] *ſic MS. pro quo excuſa minus rectè,* Nónne alij.

& ab aliis poſtea purgatos ] *In vulgatis deerat,* & ab.

O regula iuris Numidici! ô priuilegia Vagaitana ] *Illudit Vagaitano ſeu Bagaienſi Donatiſtarum in Numidia concilio.*

Quicquid de peccatis hominum etiam verum obiicitur, & vel probari non poteſt ] *Loco* obiicitur, *habebant impreſſa* dicitur. *Sed alterum illud eſſe præferendum, docent cætera membra quæ antecedunt & ſequuntur. Deerat etiam copula,* &.

in ipſius paſtoris vocibus ] *MS. legunt,* in ipſius vnius, (*aut* viuis) paſtoris vocibus.

ante denunciationem mihi dicat ] *Locus corruptus eſt, & omnino legendum videtur,* antè denuncio ne mihi dicat. *Quod repetens capite proximo,* Nemo mihi hęc opponat, *inquit,* qui mihi reſpondere paratus eſt.

quæ vltimo iudicio purgata ] *Non dubitaui hunc locum ita reſtituere, cùm antè legeretur,* quæ optimo iudicio purgata.

IN CAP. XIX. C

Omiſſis ergo iſtis morarum tendiculis ] *Ex manuſcr. adiecimus* iſtis.

Illa vel illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius ] *Pontius hic, vnus eorum fuit qui Iuliano apoſtatæ ſupplicem libellum exhibuere, reſtitui ſe in integrum petentes. Eius olim à Donatiſtis iactitata fuiſſe miracula teſtis eſt Auguſt. tract. 14. in Ioannem. Donato autem orãti Angelum apparuiſſe, imò & Deum ipſum de cælo reſpondiſſe, itidem gloriari ſolent, vti refert ibidem Auguſtinus. De quo plura in comment. noſtro. Omnibus verò hæreticis commune fuit, vt miraculorum virtutem affectarent, vt author eſt Tertull. lib. De præſcript. hæretic.*

Et multi Deo irato exaudiuntur ] *Idem docet Auguſt. compluribus locis quæ non pigebit annotare. Tractat. 73. in Ioannem, ex quo petita eſt Proſperi ſententia 352. & 362. Tractat. 6. in Canon. Ioannis. De verbis Domini ſerm. 53. ſerm. 3. & 5. De verbis Apoſtoli. Expoſitione 2. in Pſal. 21. conc. 2. in Pſal. 33. In Pſalm. 42. 59. 85. 98. & 144.*

nonnullos exauditos in excelſis montium Iudææ ] *Vt Samuelem in Maſphat, libro 1. Regum cap. 7. In Ramatha, cap. eodem in fine. In Galgala cap. 8. 9. & 11. Salomonem quoque in Gabaon lib. 3 Regum cap. 3. Sed vt ibi admonetur, nõdum ædificato templo Domini. Sed* D *& poſt templi ædificationem Heliam in monte Carmeli & ſacrificaſſe & exauditum legimus lib. 3. Regum cap. 18. ſed in decem tribuum poſſeſſione, vbi non erat legitimum templum.*

quæ tamen excelſa ita diſplicebant Deo, vt reges qui ea non euerterent ] *Excelſa fuere apud Iudæos priuata quædam loca, in quibus Deo ſacrificabatur: ſic appellata, quòd altare ſacrificij in montium ſeu collium verticibus erectum eſſet. Hæc autem omnia ſaltem poſt ædificatum Salomonis templum, profana & illicita fuere: præceptum enim erat Deuteron. 12. ne ſacrificium quouis loco, ſed eo tantum, quem Dominus elegiſſet, offerretur. Poſt illud ergo tempus ſacrilega fuere ſacrificia quæ extra Hieroſol. templum, etiam ſi verus illic Deus coli videretur, oblata fuere. Vnde qui ex regibus huiuſmodi loca vel ſacrificia vel erexerunt, vel tolerarunt, meritò ſunt in ſcripturis reprehenſi; vt inter non omnino etiam malos, Aſa & Ioſaphat. Contrà, laudati qui ſuſtulerunt; vt Ezechias, & Ioſias. Vide Hieron. in 4. cap. Oſeæ. Cæterùm extraordinarium fuit Heliæ in Carmelo ſacrificium, vt qui nec ſacerdos fuerit. Sed vt paulò antè admonuimus, in regno decem tribuum non erat legitimum templum, ſed Hieroſolym. quò euocare populum illum non poterat.*

vel concremandos ignibus inferant ] *Pro* concremando.

non niſi de diuinarum ſcripturarum ] *In excuſis aberat* de.

latentia per tot annos corpora martyrum ] *Geruaſium & Prothaſium intelligit, qui Neronis perſecutione martyrio ſunt Mediolani coronati. Cæcum autem illum qui reliquiarum contactu ſanatus fuit, Seueri nomen habuiſſe, officioq; dum valeret, lanium fuiſſe; refert Ambroſ. ſermone 91. De quo apud eundem & epiſt. 85. ad ſororem. Meminit eiuſdem hiſtoriæ Auguſtinus lib. 9 Confeſſ. cap. 7. De ciuitate Dei, lib. 22. cap. 8. Sermone 108. inter eos qui nuper Louanij excuſi fuere.*

Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta ] *In MS. eſt,* Hæ ſunt cauſæ noſtræ, hæc documenta. *Amorbach. quoq; priorem articulum feminino genere legit, ſed ſecundum non addit. Deeſt fortè aliquid quod priori articulo reſpondeat.*

Quas vtique ſcripturas ] *ſic MS. pro* itaque. *alterum habet etiam Amorbach.*

Prouincia, Byzacium, Tripolis ] *Tres ſunt diuerſæ in Africa regiones. Prouincia eſt quæ propriè Africa appellatur, vbi Carthago; Proconſularis etiam dicta, quòd ſedes Proconſulis eſſet. Porro* Byzacium, *non* Byzantium *legendum; nam hæc Thraciæ eſt ciuitas, à Conſtantino imperatore Conſtantinopolis nuncupata.*

magis quàm ab Africo ] *Ventum intelligit. perperam ergo in excuſis* ab Africa.

Commemorabuntur & conuertentur ] *Pro* conuertuntur.

IN CAP. XX.

Detrahentem occultè proximo ſuo, hũc perſequebar ] *In excuſis erat* ſecreto; *ſed alterum illud Auguſtinum legiſſe docent præter MS. & alia loca, vt lib. 2. contra Creſconium cap. 22. & conc. ſuper geſtis cum Emerito.*

& conſultores piiſſimi ] *Ità legis & ſuprà paulò poſt cap. huius initium. Pro quo in excuſis erat non rectè* cultores.

à quibus vos contaminari ] *Ex MS. adiecimus* vos, *quòd ſenſum clariorem expeditioremq; reddit.*

atque hinc intelligere cogimini ] *ſic MS. pro* cogamini; *præceſſit enim* admonemini.

Quamobrem ſi nullo interprete ] *Pendet ſententia vſq; ad illud in quo caput hoc clauditur,* quid habetis amplius quod dicatis?

charitate omnia tolerat ] *Legendum videtur* tolerans.

membris eius infligunt ] *In excuſis deſiderabatur* eius.

IN CAP. XXI.

Sic vos ſuſcipimus, quomodo ſuſcipit eccleſia ] *Ita legendum eſſe intelligi facilè poteſt infrà ex cap. 22. & 24. vbi eadem ſentẽtia non ſemel repetitur. In excuſis erat* ſuſcepit. *Deprauatius Endouienſ.* quomodo ſuſcepimus eccleſiam.

Et illud Chriſti erat ] *De dignitate ac effectu baptiſmi, quem adminiſtrarunt Apoſtoli ac diſcipuli Chriſti apud Ioannem cap. 3. & 4. non vna veterum eſt ſententia. Et Chryſoſtomus quidem homil. 28. in Ioannem, ac eum ſecuti Theophylactus, & Euthymius in 3. cap. Ioannis parem eum faciunt cum Ioannis baptiſmo, nec plus aliquid virtutis habuiſſe volunt. Eadem eſt Tertulliani doctrina lib. De baptiſmo. Ambroſio inſcriptus comment. in cap. 4. ad Roman. ſub finem, remiſſionem ei tribuit peccatorum, ſed ſolam ſine ſpiritus ſancti donatione. At verò Auguſtinus non hoc tantum loco, eundem facit per omnia cum baptiſmo Chriſti poſt eius mortem ac reſurrectionem collato: excepto tamen quòd ad cælum nondum tranſmittebat, nec tam copioſam gratiam cõferebat: ſic lib. 83. quæſt. 62. & epiſt. 108. ad Seleucianam. Vnde tractat. 5. in Ioannem, & paſſim libris contra Donatiſtas, toties inculcat, à Iuda baptizatos, non fuiſſe rebaptizatos: poſt Ioannem rebaptizatum, nõ item poſt Iudam. Auguſtino conſentire videtur Cyrillus in 3. cap. Ioannis. Et hanc quidem ſententiam ſcholæ amplectuntur.*

Vnde ſequitur eos etiamſi nolint ] *Ita rectius MS. quàm,* Tum ſequitur eos etiamſi nolunt.

Qui audit verba mea hęc ] *Voculam* hæc, *quomodo & paulò poſt, ex manuſcr. adiecimus.*

etiam ſacramento quod habent ] *Illud* etiam, *ex MS. addidimus.*

IN CAP. XXII.

id in quoque corrigẽdum eſt quod prauum eſt ] *Pro* quoquã.

Oportebat Chriſtum pati ] *Sic paſſim & ſuprà, pro* Oportet.

IN CAP. XXIII.

Putatis enim de baptiſmo dictum ] *Perperam,* Putaris.

attendentes ſpiritibus ſeductoribus ] *Ex* ſeductoribus, *fecerat quiſpiam,* erroris. *Sed cum manuſcr. conſentiunt & aliás excuſa: vt infrà cap. 24.*

cur non aqua in malo intelligatur ] *ſic MS. pro* intelligitur.

Et quod apertè audimus ] *Ita rectius quàm per tempus præteritum. ſic enim & aliquanto antè & poſt loquitur.*

IN CAP. XXIIII.

aqua illa baptiſmum eſſe ſignificatum ] *Baptiſmi typum geſſiſſe aquam*

*aquam quæ de Chriſti latere in cruce pendentis profluxit, authores ſunt, Tertullian. lib. De baptiſmo; Ambroſius libro 10. in Lucam; Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum; Cyrillus lib. 12. in Ioannem, cap. 39. Quin & Auguſt. ipſe in Ioannem, tractat. 9. 12. & 120.*

de corpore Domini eſſe dicimus] *Non rectè* diſcimus.

Iam ſufficiat] *Pro* ſufficiet.

vt multum cauſæ noſtræ minuam] MS. *legunt* veſtræ; *ſed placet quod habent excuſa: quanquam maluiſſem, vt multum de cauſa noſtra minuam, vel cauſæ noſtræ detraham. Niſi fortè legendum,* vt multum cauſæ veſtræ tribuam.

quid patimini?] *Mendosè* patiamini.

Cur detrectas ſic ſuſcipi] *Pro* detractas.

à vobis flagitamus] *Illud* à vobis, *ex* MS. *adiecimus.*

IN CAP. XXV.

Hæc temporales aliquando etiam in ſuis frumentis patitur tempeſtates, vt in quibuſdam locis non cognoſcantur, ſed tamen etiam illic latent.] *Hoc loco abutuntur hæretici, docere hinc conantes eccleſiam non ſemper viſibilem ac manifeſtam eſſe. Sed vt ex loci ipſius circumſtantia liquet, non agit Auguſt. de tota eccleſia, ſed eius parte, quæ ſine dubio falſis calumniis & criminationibus ita premi & obſcurari alicubi poteſt, vt neſcias ad eccleſiam pertineat, nec ne. At verò ipſa eccleſia proprium hoc habet, vt nunquam lateat, & abſcondi non poſſit: vt ipſe ait Auguſt. lib. 2. contra Petilian. cap. 104. Vide quæ annotauimus ad lib. eiuſdem cap. 32.*

ſed tamen etiam illic latent] *Ex* MS. *adiecimus* etiam.

ſed poſteaquam illi furioſam pertinaciam] *ſic* MS. *quæ paulò pòſt, pro* perdurarunt, *commodius legunt,* perduxerunt.

toto terrarum orbe] *Illud* toto, *deerat in excuſis.*

quàm collegarum concilio credere] *Non* conſilio. *Loquitur enim de ſynodo Carthaginienſi, in quo à Secundo Tigiſitano damnatus fuerat Cæcilianus.*

malè ſibi à collegis inſinuatos] *Fortaſſe* inſimulatos.

ſed non permanētes in infidelitate] *Pro eo quod erat* fidelitate.

Et multi tales ſunt in ſacramentorum communione] *Ex hoc loco intelligi poteſt, quo ſenſu dicat aliquando Auguſt. hæreticos quoſdam in eccleſia adhuc eſſe. Qua de re diximus ad 12. cap. lib. 4. contra Donatiſtas. Similis locus eſt lib. 11. De Geneſi ad literam cap. 25.*

alioquin ſi tunc quiſque præciditur] *ſic* MS. *pro quo non rectè in excuſis,* alioquin & tunc.

quamuis peragatur in eo illa ſolemnitas] *Ita commodius cum* MS. *quàm* peragitur.

vſque in finem ſeculi] *In excuſis deerat* vſque.

exigite ab iſtis, vt oſtendant de Africa] *ſic* MS. *In excuſis erat non rectè,* & oſtendant ex Africa.

Dixit Moyſes, quòd in ſemine Abraham benedicentur omnes gentes] *Verba hæc, & quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, hactenus in excuſis fuerunt deſiderata, adiecimus autem ex* MS. *Endouienſ.*

*Annotationum in librum De Vnitate eccleſiæ finis.*

# ANNOTATIONES IN LIBROS QVATVOR B. AVGVSTINI CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM.

*Ex collatione ad* MS. *Cambronenſe, Gemblacenſe, Carthuſienſe & duo S. Amandi, necnon veterem Amorbachij editionem.*

## IN LIBRI PRIMI CAP. I.

QVÆ Petiliano Cirtenſi epiſcopo veſtro] *Petilianus hic ſuprà non ſemel Conſtantinienſis epiſcopus Auguſtino dictus eſt, vt Retract. lib. 2. cap. 34. lib. De vnitate eccleſiæ cap. 1. lib. 2. contra Petilian. cap. 99. Quo poſtremo loco ſic ait, Inter Conſtantinam vbi tu es, & Hipponem vbi ego ſum, Calama interpoſita eſt. Vnde videri queat mendoſa eſſe loci huius ſcriptura, & pro* Cirtenſi, *legendum* Conſtantinienſi: *nam diuerſum hunc eſſe ab altero, dici nullo modo poteſt. Sed obſtant* MS. *noſtra omnia, quæ conſtanter cum excuſis etiam inter ſe conuenientibus, in hanc lectionem conſpirant. Alius ergo quærendus hic exitus. Eum à Franciſco Balduino monſtratum fortaſſe quis dixerit, qui in Optatum ſcribens, annotauit alicubi ſedem eum epiſcopalem mutaſſe. Vbi primùm memoria lapſus eſt, dum Cæſaream tranſlatum ait; nam præterquam quòd Mauritaniæ hæc ciuitas eſt, à Cirta Numidiæ longo interuallo diuiſa; certum eſt toto eo tempore, ac diu etiam pòſt Emeritum illic præfuiſſe. Conſtantina ergo pro Cæſarea ponenda erat. Sed nec huc tranſlatus dici poteſt. Nam vt omittam quòd hæ tranſlationes & Nicano & Africanis conciliis vetitæ fuerint, conſtat libros iſtos contra Creſconium poſteriores eſſe libris contra Petilianum, & De eccleſiæ vnitate; quorum tamen illis Cirtenſis, iſtis Conſtantinienſis epiſcopus dicitur. Non ergo ex Cirtenſi epiſcopo Conſtantinienſis factus videri poteſt.*

*At enim Cirtenſis fortaſſe ex Conſtantinienſi creatus eſt. Sed nec id conſiſtere poteſt: nam vt ante hos contra Creſconium libros, ita & poſt quoque, Conſtantinienſis nuncupatur, lib. videlicet Retractat. loco ſuprà citato. Tranſlatio hic igitur nulla intelligi poteſt. Probabilius fortè quis dixerit, vtranque illi ciuitatem ſubiectam fuiſſe, ſimulque & Cirtenſem & Conſtantinienſem epiſcopum appellatum. Sed primùm inſolens id foret in Africa, in qua ſingulæ olim ciuitates ſingulos videntur epiſcopos habuiſſe; imò verò Donatiſtarum factione geminatos, ſed alterum Catholicorum, alterum Donatiſtarum; quibus ipſis tanta fuit epiſcoporum multiplicandorum cura & ſtudium, vt nouas etiam cathedras erigerent, vbi nullæ prius Catholicorum fuiſſent. Deinde vt duas ſimul vrbes eidem ſubijciamus, non habet hoc tamen eccleſiaſtica conſuetudo, vt ab vtraque nomen ac titulum accipiat, ſed ab ea tantùm in qua ſedem habet. Nam Mechlinienſis apud nos epiſcopus, licet præter Mechliniam, Louanium quoque atque Bruxellam aliaſque ciuitates ſubditas habeat, Mechlinienſis tamen dicitur tantum, non etiam Louanienſis & Bruxellenſis. Non ergo debuerat hinc Petilianus nunc Cirtenſis, nunc Conſtantinienſis epiſcopus dici. Quod tamen cùm faciat Auguſtinus, aliam omnino ſubeſſe cauſam neceſſe eſt. Ad eam indagandam aditum aliquem præbere videtur D. Pamelius, qui in eruditiſſimis illis ſuper Cyprianum annotationibus ſcriptum alicubi reliquit, Cirtam hodie Conſtantinam appellari; quæ ſi & olim ita dicta eſt, vt binominis fuerit, nimirum ſolutus eſt nodus. Id ſanè ex B. Auguſtino certiſſimè mihi deprehendiſſe videor. In primis enim Fortunatus fuit epiſcopus quidam quem Auguſtinus lib. 2. contra Petilian. cap. 99. in eadem ait ciuitate cum Petiliano epiſcopum fuiſſe, hunc Donatiſt. illum Catholicorum. Eum vt lib. 1. contra Petilian. cap. 1. & lib. 3. cap. 38. Conſtantinienſem appellat: ſic lib. De vnico baptiſmo cap. 16. Cirtenſem facit. Ad hæc Syluanum illum traditorem, traditoris Pauli ſucceſſorem, frequenter Auguſt. commemorat; ei aliquot interiectis Petilianū ſucceſſiſſe, & concathedraneū fuiſſe ait lib. 3. cōtra Creſc. cap. 57. & epiſt. 165. Id autem in Conſtantiniēſi factum ciuitate docet tum ijſdem illis locis, tum lib. 1. cōtra Petil. cap. 21. At verò Cirtæ accidiſſe, idem teſtatur lib. 3. cōtra Petil. cap. 58. lib. 3. cōtra Creſc. cap. 27. 28. & 29. Et lib. 4. cap. 56. Quin & concilium, in quo eſt epiſcopus ordinatus, Cirtenſe illud fuit ſub Secundo Tigiſitano. Poſtremo, Munatius Felix quidam fuit qui perſecutione Diocletiani & Maximiani Syluanum tunc temporis ſubdiaconum & epiſcopum eius Paulum ad ſacrorum traditionem cogebat: is epiſtola 165. Conſtantinienſis ciuitatis Curator fuiſſe dicitur: quæ eadem lib. 3. contra Creſconium cap. 29. & lib. 4. cap. 56. Cirtenſis manifeſtiſſimè Colonia ſeu reſpublica appellatur. Ex quibus omnibus clarum eſſe arbitror, ciuitatem eam binomiam olim fuiſſe, & Cirtam quidem ab initio dictam, deinde verò in honorem Conſtantini imperatoris Conſtantinam quoque appellatam. Quare dum Petilianus nunc Cirtenſis, nunc Conſtantiniēſis nuncupatur, vnius eiuſdemque ciuitatis titulum habet: vt hoc nomine neque plures Petilianos, nec vnum plurium ciuitatum vel ſimul vel viciſſim epiſcopum facere oporteat.*

quia & ad me tua] *Ex* MS. *copulam adiecimus.*

quas ad me dediſti] *Pro* dedidiſti.

rurſum vereor ne contentioſum putes] *ſic* MS. *& Amorbach. pro eo quod erat* contumelioſum. *Alteram lectionem etiam antitheſis poſtulat.*

non ad te datis tantum, quæ] *In excuſis collocatur hypoſtigma ante* tantum, *ſed mutandum vti nos fecimus, niſi fortè pro* quæ, *legendum ſit* quia. *Sed altera lectio* MS. *eſt, Amorb. neutro loco diſtinguit.*

in accuſationem totius ipſius eloquentiæ] MS. *non legunt* totius: *retinuimus tamen, quandoquidem habebat etiam Amorb.*

ſicut vtilia vel inutilia fuerint ea quæ quæruntur] *Vt prætercam quod in vulgatis pro* quæruntur, *mendosè legitur* quærunt, *verba hæc omnia (niſi deſit fortè quippiam, quod ad differendi facultatem ſeu dialecticam referatur) redundare videntur. Duo* MS. *Gemblac. & alterum S. Amandi ſic legunt,* ſicut eſt aut fuerint ea quæ quæruntur: *ſed nihil nos adiuuant.*

IN CAP. II.

quam ſicut de Platone commemoraſti] *In ſophiſticam & ſophiſtas ſtomachatur frequenter Plato; vbi tamen eos de ciuitate ac humani generis ſocietate pellendos iudicarit, iam non occurrit. Lib. 2. De Republica poëtas cenſet non eſſe admittendos, verùm non de his, ſed & ſophiſtis hîc agitur. Cæterùm quos hîc ſophiſtas quámve ſophiſticam Auguſtinus intelligat, cognoſci facilè poteſt ex iis quæ ſequuntur:* Hæc, *inquit,* non eſt eloquentia, ſed quędam ſophiſtica & maligna profeſſio, quæ ſibi proponit non ex animo, ſed ex contentione vel commodo pro omnibus & cōtra omnia dicere. *Cuiuſmodi pene fuit no-*



*-uorum Academicorum, de quibus ſuprà in lib. 3. contra Petilian. cap. 21. Vide Ciceronem initio lib. 2. De finibus. Id annotare viſum eſt ob noſtri temporis hæreticos, qui contra ſcholaſticos quos vocant doctores libenter clamitant, eoſque velut ſophiſtas traducunt, quia nimirum dialectica arte & philoſophicis rationibus vtantur.*

ſed quædam ſophiſtica] *Ex* MS. *adiecimus* quædam, *quod habet etiam Amorbach. ſed ita compendioſe ſcriptum, vt legi vix poſſet.*

tradere, & eandem ipſam eloquentiam] *Totum hoc deerat in excuſis.*

IN CAP. III.

vt inſtrui te deſideres] *In excuſis erat* inſtitui. *Sed* MS. *omnia cōſentiente etiam Amorb. legunt* inſtrui, *quod germanius eſſe arbitror: alludit enim ad ſuperiora Creſconij verba.*

nos diſcuſſis errorib.] *Mendosè legebatur in excuſis* nō, *pro* nos.

hoc me velle finiri] *Videri queat legendum* finire; *niſi & poſt ſimiliter non ſemel repeteretur cap. 4.*

IN CAP. IIII.

de integro volumus retractare] *præſenti, non præterito tempore.*

IN CAP. V.

dignam retributionem manere] *Ex* MS. *adiecimus* dignam.

certos tamen fecit] *Videtur deeſſe aliquid, fortè* de præmio.

IN CAP. VI.

& quibus poſſumus] *ſic* MS. *pro,* & quod poſſumus.

IN CAP. VII.

valde enim reſtitit noſtris ſermonibus] *ſic manuſcr. & Amorbach. pro* reſiſtit.

hoc eſt, Chriſtum annunciabant] *Totum hoc in vulgatis deſiderabatur.*

in huius diſpenſationis labore] *Id malim cum* MS. *quàm cùm excuſis* diſcuſſionis: *agit enim de functione epiſcopali.*

IN CAP. VIII.

quiſquis cuiquam ſermonis altercationem] *ſic* MS. *pro* quiſque. *Conſentit & Amorbach.*

coram in os eorum quàm multa locutus eſt!] *Ex manuſcr. adiecimus* coram.

quod voluit inquiſiuit] *Ita conſtanter* MS. *pro,* quæſiuit.

nimium duris, nimiumque peruerſis] *In excuſis deerat* duris; *legunt autem conſentienter* MS.

nullo modo ad iuſtitiam conuerſum iri] *Ita rectè manuſcr. pro* ad inſtantiam.

quod eorum verba contempturi fuerant] *Pro* contemptui. *germanam lectionem habebat etiam Amorb.*

nec ad populos multos] *In excuſis deerat* populos.

forſitan audiſſent te] *Ex* MS. *itidem adiecimus illud* te. *nam & legunt* 70.

Qua cauſa, cui bono, quo fructu] *Refert Cicero pro Roſcio Amerino, L. Caſſium virum ſummæ prudentiæ ac ſeueritatis, in cauſis iudicijſque quærere ſolitū, Cui bono fuiſſet: hoc eſt cui vtile fuiſſet hoc vel illud crimen committi; ab eo enim probabile erat perpetratum. Et addit, ſic vita hominum eſt, vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere. Meminit eiuſdem dicti & pro Milone. Itaque illud Caſſianum, inquit, Cui bono fuerit, in his perſonis valeat; etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo. Similiter Philip. 2. et alibi non ſemel. Hoc imitatus hic eſt & Auguſtinus: lib. item De vnitate eccleſiæ, cap. 8. Vt quid hoc totum? inquit, cui bono? cui lucro?*

contradicturis, contrafacturis] *Illud* contrafacturis, *addunt conſtanter manuſcr.*

IN CAP. IX.

An vultis experimentum] *Conſtanter* MS. *noſtra omnia addūt, illud* An: *quod tametſi non legant Græca, in quibus eſt* ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε, *id eſt, quandoquidem experimentum quæritis; adiecimus tamen, quod alioqui in Auguſtini verbis videatur ſubintelligendum.*

Attendite etiam quemadmodum ad Titum] *In excuſis erat* quod quemadmodum. *Sed redundare illud* quod, *ſenſus clamitat, nec legit etiam Amorbach.*

IN CAP. X.

cum eis qui foris ſunt agere inſtiterit] *ſic* MS. *omnia, ipſeque Amorbachius, atque adeò vetera quoque Frobeniana. Hinc naſutulus quiſpiam fecit,* agere inſtituerit, *ſed linguæ Auguſtini parum peritus.*

IN CAP. XI.

multum contulit his qui ibi crediderunt] *Pro* ibi, *erat in vulgatis* ei; *neutrum habent Græca. Sed prius conſtanter legunt* MS. *conſentientibus & Amorb. & Frobenij veteribus editionibus.*

IN CAP. XII.

irritabatur ſpiritu ſuo intra ſe] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat,* ſpiritu ſancto, *conſentientibus etiam Græcis.*

& quidam dicebant] *Sic* MS. *cum Græcis, pro* dixerunt.

*Et mox,* Quidnam vult, *pro* velit.

diuerſas non ſolùm ab illo] *Mendosè* diuerſos; *neque enim ad ſuperiora refertur, ſed ad id quod ſequitur,* aduerſaſque hæreſes.

quàm dicere noui aliquid, aut audire] *Sic* MS. *conſentientibus Græcis, pro* & audire.

Nam de his, vt noſti, Tullius ait] *Locus eſt lib. 1. De Oratore.*

Hos tamen Paulus noſter] *Ita rectius* MS. *quàm,* Hos autem.

pernicioſos expugnabat errores] *Mendosè* expurgabat. *Alteram lectionem habebant non ſolùm* MS. *verùm etiam Amorb. atque adeò vetera Frobeniana.*

IN CAP. XIII.

Noſti enim quàm maximè] *De Stoicis Cicero cùm alibi, tum initio libri Topicorum, dialecticam eos ait diligentiſſimè perſecutos. vnde & lib. 2. De diuinatione, dialecticorum eos nomine deſignat. Neglectam autem, contemptam, & irriſam ab Epicureis fuiſſe refert lib. 1. De finibus, & Acad. quæſt. lib. 2. & 4. De regula verò & iudicio, Epicuri liber citatur ab eodem lib. 1. De natura Deorum.*

& ideò me doctores veſtri velut hominem dialecticum meritò fugiendum potius & cauendum] *Idem exemplum in dānandis ſcholaſticis quos vocamus ſcriptoribus, ſequuntur hodie noſtri temporis hæretici, quos ſophiſtarum nomine traducunt.*

quam refellendam reuincendamque cenſuerint] *ſic manuſcr. pro* cenſuerunt.

& tamen dialecticam eloquentiamque reprehendis] *Magis hæc placet* MS. *Gemblacenſ. lectio; quàm cæterorum, in quibus eſt* reprehendere.

diſſeritur, vel neruoſe agitur] *Affinitas literarum* n, *&* u, *mutuus quoque inter ſe tranſitus* u, *&* b, *erroris cauſam præbuerunt vt pro* neruoſe, *in excuſis legatur* verboſe. *refertur enim hoc ad dialecticam, vt differere ad eloquentiam.*

IN CAP. XIIII.

quod nobiſcum velut cum dialecticis] *Vitioſe* vobiſcum. *Veram lectionem habebat etiam Amorb. & vetera Frobeniana.*

Aut ſi & Paulus dialecticus erat] *Copulam* &, *adiecimus ex* MS.

viri linguæ vtriuſque doctiſſimi appellauerunt] Videlicet. *Cæterùm illud;* linguæ vtriuſque, *deſiderabatur in excuſis.*

quid ego tecum ſic diutius agam] *ſic manuſcr. & Amorb. pro,* Quid ergo.

quem volunt noſtrûm approbent, vel quem volunt improbent] *In excuſis erat non rectè* veſtrum, *& deſiderabatur poſterius illud,* quem volunt.

quod de Actibus Apoſtolorum commemoraui] *Cùm ita legant non* MS. *modò, ſed Amorb. quoque & vetera Frobeniana, miror vnde natum ſit quod eſt in vulgatis,* communicaui.

Habes enim in libro Pſalmorū, Suauis ſit ei diſputatio mea] *Locus eſt Pſalm. 103. ſecundum ſeptuaginta; quomodo legit & Auguſt. tom. 8. ſcripturam hanc enarrans. Pro eo quod nos legimus,* Iucundum ſit ei eloquium meum.

Habes & apud Eſaiam prophetam, Venite diſputemus, dicit Dominus] *Eſaiæ 1. cap. itidem ſecundum 70. vbi nos legimus,* Venite & arguite me, dicit Dominus. *Locum hunc ſimiliter citat Auguſtinus tom. 8. ſuper illud Pſalmi, de quo paulò antè diximus, Suauis ſit ei diſputatio mea.*

IN CAP. XV.

quæ iam ſcientia vel fide] *ſic* MS. *pro* quæ vel ſcientia.

cogātur alia vera quæ negauerāt, approbare] *Pro* negauerūt.

conſentaneum illi vero, quod iam anteà tenebatur] *Redundat quod his ſubijcitur in excuſis* falſum, *pugnatque cum ipſa loci ſententia.*

IN CAP. XVI.

in longanimitate, in benignitate] *Supereſt quod hic inſerunt vulgata,* in bonitate, *nec legunt* MS. *Nam* bonitas, *eadem hic eſt cum* benignitate, *pro qua nos legimus* ſuauitate. *Altera eſt ergo vocis eiuſdem interpretatio, quæ ex margine, vel ſuperlineari annotatione in contextum irrepſit.*

Si autem preſsè atque conſtrictè] *ſic manuſcr. pro* præciſè atque conſtrictè.

qualiter agit idem Apoſtolus de circunciſione] *ſic rectè* MS. *pro,* qualiter ait.

IN CAP. XVII.

cum fortaſſe dialecticū] *Lutetiana loco* eum, *mendosè legūt,* &c.

tanquam Cæſaris aduerſarius perimeretur] MS. *conſtanter legunt* puniretur.

IN CAP. XVIII.

& verborum noſtrorum callidos captatores] *Non rectè Pariſ. legunt* noſtrorum.

IN CAP. XIX.

ſic agat cum iſto Chriſtianus] *ſic manuſcr. Prius erat,* ſic agat cum Chriſtianis.

dolos

dolos interrogationum prætenderint] *Pro* prætenderunt.

Stoicus quippe vt mecum recolis, fuit ille Chryſippus, de quo Academicus Carneades] *Factum hoc Carneadis refert Valerius Maximus lib.8.cap.7. A. Gellius lib.17. cap.15. vbi ſe id legiſſe ait in Græca hiſtoria, ſed tacito ſcriptoris nomine. Attingit & Plinius lib.25. cap.5. De helleboro tractans. Sed hoc inter poſteriores duos ac primum intereſt, quòd hi feciſſe id eum dicunt contra Zenonem ſcripturum; ille cum Chryſippo diſputaturum: quomodo hic refert etiam Auguſtinus. Sed non videtur poſterior hæc admodum probabilis ſententia; cùm, ſi Laërtio credimus, quatuordecim annis ante natum Carneadem Chryſippus obierit. Quanquam & Plutarchus oratione 1. De fortuna ſeu virtute Alexandri, Carneadem inter eos recenſet, qui nihil ſcriptum reliquere: ſed falli eum arbitror. Nam Lactantius lib.5. inſtitut. cap.17. ait Ciceronem quæ in lib. ſuis de Repub. cõtra iuſtitiam diſſeruit, à Carneade petiſſe.*

IN CAP. XX.

ſicut ipſos tunc Stoicos ille non repulit] *Supra vocem* ille, *ſcripſerat quiſpiam*, ſcilicet Paulus: *id poſteà in textum irrepſit.*

ſeu vera veris, ſeu falſa falſis] *Ita commodius* MS. *vt geminetur* ſeu, *quàm vt poſterioris loco legatur* vel.

ſicut eam in Stoicis non formidauit Apoſtolus] *ſic conſtanter manuſcr. pro* formidabat.

IN CAP. XXI.

vt quia concedimus illic eſſe baptiſmum] *Pro* hic eſſe: *præceſſit enim*, quod etiam nos eſſe illic baptiſmum non negamus, *in parte videlicet Donati.* MS. *conſentit Amorbach. atq; adeò vetera Frobeniana. Cæterùm eodẽ argumento vtitur et Petilianus ſup. lib.2. cap.108.*

IN CAP. XXIIII.

Si ergo ea non legitimè vſus quiſque fuerit] *In excuſis deerat* eà. *Familiare eſt autem Auguſtino*, quiſque *vti, pro* quis; *quomodo legebat etiam Amorbach.*

IN CAP. XXV.

Et ne putarent] *Pro* putaret.

quòd ea malè vtendo, per bonum habebant malum] *Mendosè* habebat.

IN CAP. XXVII.

quæ poſſunt homines & habere, & boni non eſſe] *In excuſis inter duo hæc membra addebatur*, & mali eſſe, *ſed nulla* MS. *noſtra legunt, & redundare videtur.*

quæ poſſint homines habere] *Ita rectius cum manuſcr. quàm* poſſunt.

ſancto baptiſmo Chriſti] *Illud* ſancto, *adiecimus ex* MS. *Id enim hic vrgetur; quomodo paulò antè*, qui habent bonum baptiſmum, bonos eſſe: *& infrà*, bono baptiſmo baptizatos fuiſſe: *& mox*, nõ omnes qui habent bonum baptiſmum, bonos eſſe.

ac per hoc nõ ideò tenemur] *Perperam legunt excuſa* tenemus.

bonum baptiſmum habere concedimus] *Sic* MS. *conſentit & Amorb. pro* concedamus.

IN CAP. XXVIII.

Rurſus vt ex ea conſenſione me ad id quod conſentio detineres] *Locus deprauatus. omnino legendum videtur*, ad id quod non ſentio, *vel* non conſentio. *Nec ſatis arridet vox* detineres, *quæ ſequitur; pro qua malim* deduceres, *aut ſimile quid. Certè infrà legis*, Iſta propoſuiſti ex confeſſionibus meis, ex quibus me adducas ad intentionem tuam.

etſi aliquanto aliter ſcripta ſunt] *Vnica dictio eſt* etſi, *non gemina, vt in excuſis*, & ſi.

cùm omnia ſicut dixiſti] *manuſcr. legunt* dixi, *ſed nec alterum reijciendum.*

& melius eſt] *Mutilus videtur eſſe locus, nec ſuccurrunt* MS.

vnde te poſſim commemorare] *Pro* poſſum. *Cæterùm* commemorare, *poſitum eſt, vt aliàs frequẽter, pro commonere ſeu commonefacere, ſeu admonere: quomodo loquitur cap.30.* vt ex his quod volebamus, te admoneremus. *Vide quæ ſuprà annot. ad cap.6. libr. De Vnitate eccleſiæ.*

quia eſt & apud illos] *Ex* MS. *adiecimus copulam*, &.

nec ideò fieri vt] *Redundat in excuſis coniunctio*, &, *quæ his præponitur.*

qui ſunt extra eccleſiam] *ſic* MS. *pro* contra eccleſiam. *Sic enim & cap. proximo*, *Nunquid dixit, quia extra eccleſiam colitis, non eſt Deus ipſe quem colitis?*

IN CAP. XXIX.

Nunquid dixit, quia extra eccleſiam colitis, non eſt Deus ipſe quem colitis? Sed ait, quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Quid eis præſtare cupiens, niſi vt] *Deſiderabantur in excuſis hæc omnia, legunt autem conſentienter* MS.

eius pacem vobis nos annunciamus] *Ita conſtanter* MS. *In excuſis erat* eius poteſtatem, *ſed quod nullum hic habet idoneum ſenſum. Neque enim Auguſtinus perſuadere Donatiſtis conatur, quænam ſit baptiſmi vis, poteſtas, ac effectus; ſed vbi dari & haberi vtiliter ac ſalubriter poſſit, in pace videlicet ac vnitate eccleſiæ Catholicæ: id quod ſequentibus quoque verbis non obſcurè ſignificatur*, ſed vt eum, *inquit*, qui iam apud vos erat, vtiliter habeatis. *Et paulò infrà*, Nempe in vnitate eccleſiæ dæmones non ſunt.

aliud eſſe quod credunt] MS. *Gemblac. & alterum S. Amandi, legunt*, aliud eſſe quàm credunt.

Vnde & Paulus apoſtolus] *Copulam* &, *adijciebant* MS. *& paulò pòſt aduerſatiuam*, charitatem autem non habeam.

Non autem exiſtimo quẽquam ita deſipere, vt credat ad eccleſiæ pertinere vnitatem, qui non habet charitatem] *Hæc & ſimilia loca quomodo intelligenda ſint, docuimus ſup.*

ita & vnus baptiſmus habetur ignoranter, & ſine charitate etiam extra eccleſiam; nec ideò non eſt ipſe] *Hæc in excuſis deſiderabantur.*

IN CAP. XXX.

& militandi ordinem à rege impetrauerit] *Mirum quis* originem, *nobis in vulgata inuexerit, cùm* ordinem, *legant non ſolùm* MS. *verùm etiam vetus Amorb. atq; adeò Frobenij etiam editio.*

IN CAP. XXXI.

propheticarum ſcripturarum quæ dicuntur veteris teſtamẽti, volo aliquid dicere, quoniam in noui teſtamenti libris] *Dura locutio, pro ex propheticis ſcripturis: non abſimilis illis de quibus ſuprà ad lib.2. contra Petilian. cap.103. & lib. De vnitate eccleſiæ cap.15. Cæterùm illud*, volo aliquid dicere, quoniam in noui teſtamenti, *deerat in excuſis.*

Circunciſionem certè præputij in figura futuri baptiſmi Chriſti] *Mendosè Pariſ. legunt* futura.

Et nunc ſunt quidam hæretici, qui ſe Nazarenos vocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur] *De his Epiphanius hæreſi 29. & Auguſtinus hæreſi 9.*

ſed cùm illa vmbra fuerit] *Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, cùm prius eſſet* fuerint. *Loquitur enim de circunciſione.*

apud hæreticos Iudæorum eſſe potuit] *Samaritanos vocat Iudæorum hæreticos, vnde & ab Epiphanio inter cæteros connumerantur.*

Proferte certè aliquem] *Pro eo quod erat* Profer; *Donatiſtas enim in genere alloquitur, vt ex præcedentibus & conſequentibus liquet.*

Qui lotus eſt ſemel, non opus habet iterum lauari] *Senſum reddidit; alioqui apud Ioannẽ eſt*, nõ opus habet niſi vt pedes lauet.

IN CAP. XXXII.

nec vos poſſe demonſtrare confido] *ſic manuſcr. pro*, nec poſſe demonſtrari confido.

Neque enim parui momenti habẽdum eſt] *Ex* MS. *adiecimus*, habendum eſt.

ſi tamen cenſuit hæreticos denuo baptizari] *Perperam legebant excuſa*, ſi tum; *error natus ex affinitate* tũ, *&* tñ.

IN CAP. XXXIII.

vt quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, &c.] *Inſignis locus pro authoritate Catholicæ eccleſiæ, & traditionis eiuſdem.*

multis & manifeſtiſſimis teſtimoniis] *Pro* &, *legendum videtur* te. *Certè pronomen illud hic deſideratur, nec rectè cohærent*, multis & manifeſtiſſimis.

IN CAP. XXXIIII.

ab ea diſcutienda] *In excuſis deſiderabatur*, diſcutienda.

nec dialecticam qualemlibet] *Pro* quamlibet: *nam ſimile eſt quod antecedit*, eloquentiam quantamlibet.

quo te præter epiſtolam meam dixi eſſe permotum] *Vix dubito quin legendum ſit* dixiſti: *quod haud obſcurè intelligi poteſt ſuprà ex cap.21. & potiſſimum infrà ex lib.4. cap.4. Iam verò, inquit, quod antequam venias ad ſermonem meum quo reprehendi Petilianum, à me interim quæris, &c.*

in eadem ſocietate quẽquam baptizari oportere] *Pro* baptizare, MS. *conſentit Amorb.*

quandoquidem hoc de viſibili baptiſmo dictum eſſe arbitraris] *Mendum eſt in editione Lutetiana, quæ loco* eſſe, *habet* eſt.

in quibus ſicut dicit Apoſtolus] *Ex manuſcr. adiecimus* ſicut, *quod habebat & Amorbach.*

# IN LIBRI SECVNDI

## CONTRA CRESCONIVM

### CAPVT PRIMVM.

Hac enim quaſi præſcriptione] *Perperam*, Hanc.

nam ſic iſti à Donati] *Sic* MS. *vt iungatur cum* ſocietate, *quod ſequitur. In excuſis* Donato, *legebatur.*

quibus verborum tanta fuit cura] *Ita* MS. *plurali numero, vt ad*



*Oratores referatur, non ad Demoſthenem: cui reſpondet quod ſequitur*, quanta rerum authoribus noſtris.

negauit ille in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ] *Oratione videlicet pro Cteſiphonte contra Aeſchinem, quam Cicero in Latinum de Græco conuertit.*

IN CAP. II.

me facilimum præbeo] *Mẽdosè* nec facilimum. *Rectam lectionem habet etiam Amorb. & vetera Frobeniana.*

cui vides adhuc neceſſarium eſſe Grammaticum] *Amorbach. & vetus Froben. habent* neceſſarium eſſe Grammaticam, *vt fortè legendum* ſit neceſſariam eſſe Grammaticam; *vti habent Lutetianæ. Sed alteri lectioni patrocinatur, quòd Auguſt. ſimiliter deſinentibus libenter vtatur.*

Quòd ſi diſciplinam diſputandi ſiue dialecticam velis appellare, ſiue quid aliud] MS. *duo S. Amandi legunt* diſciplina: *et vna cum cæteris*, ſiue illam dialecticam. *Vnde ſuſpicio eſt corruptum eſſe locum. Quare ſatius fuerit locum vt eſt in excuſis relinquere, quòd ſenſum nonnullum habeat.*

an à Maiorino] *Nam olim Donatiſtæ pars Maiorini etiam fuerunt appellati.*

debeat vobis, quando loquimur] *Sic rectè* MS. *pro quo excuſa*, dicatis vobis: *corruptius autem Pariſ.* dicat is vobis.

Quod tamen hæretici ſitis] *Ita* MS. *omnia; pro* Quòd autem.

& ideò ne decipiatis] *Pro* quod ideò.

IN CAP. III.

Quanquam id quod inter nos accidit] *Catholicos videlicet & Donatiſtas, vt liquet ex ſubiectis Creſconij verbis: Inter nos, inquit, quibus idem Chriſtus natus, &c. ſchiſma factum non hæreſis dicitur. Alioqui enim legendum foret*, inter vos accidit.

Schiſma verò eadem ſequentium ſeparatio] *In* MS. *eſt* idem ſequentium. *Sed cap.4. vbi verba hæc repetũtur, pluralis eſt numerus.*

quem tu incurreris non vides errorem] *Sic* MS. *pro* incurris. *Cæterùm negationem* non, *manuſcr. duo non addunt; ſed altera lectio commodior.*

quæ poſui ex epiſtola tua] *Mendosè excuſa*, expoſui. MS. *conſentit Amorb. & vetera Froben: niſi quòd legant non rectè* in epiſtola, *pro* ex.

IN CAP. IIII.

finite litem, amate pacem] *Ita commodius* MS. *quàm* lites.

Sed tu dixiſti vna religio] *Hoc deerat in excuſis.*

non ergo diuerſus eſt & baptiſmus] *Copulam* &, *addebãt* MS.

Quæ cùm ita ſint] *ſic* MS. *omnia; pro eo quod habebant excuſa*, Quod cùm ita fuerit.

nec iteramus, ſed agnoſcimus] *Hæc in excuſis deſiderabantur, vt & ex ſequentibus verbis liquet, vbi tria illa repetuntur*, agnoſcere, ſuſcipere, acceptare, *&* improbare, exufflare, iterare.

ſuſcipimus, acceptamus] *Copulam* &, *quam hic addebant excuſa, non legunt* MS. *& rectius abeſt.*

nos ſuſcipimus, vos repellitis] *Ita rectius cum manuſcr. quàm* refellitis.

Cùm tam diuerſa ſequamini] *Ex* MS. *adiecimus voculam* tam.

quòd eos qui vobiſcum habent vnam religionem] *Perperam* nobiſcum.

IN CAP. V.

Quàm vellem, ſi poſſem] *Pariſ. legunt*, Quoniam vellem; *ſed mendosè.*

cùm catechumenum faciunt, vt præparent deinde retingendum] *Ita eſt hic locus diſtinguendus.*

repentè aliunde exiſtere] *Quanquam nec malè quadret quod habent excuſa*, alicunde exiſtere, *tamen cùm alterum legant conſentienter non* MS. *modò, ſed Amorbachius quoque, exemplar item Lutetianum & vetus Frobenij; id præferendum putaui.*

Tum ego ſi adeſſem] *Pro*, Tamen ſi ego. *Amorb. legebat* Tñ ego ſi adeſſem. *natus error affinitate literarum* n, *&* u.

Certè ergo nobis & vobis] *Aut corruptus hic locus eſt; aut redundat* ergo.

IN CAP. VII.

Proinde quamuis inter ſchiſma & hæreſim, magis eam diſtinctionem approbem] *Mirum videri queat cur Auguſtinus ab ea hic diſtinctione hæreſeos & ſchiſmatis recedat, quam ſuprà cap.3. profert Creſconius, cùm aliis locis eadem ſit & ipſius. Vt lib. quæſt. Euangel. in Matth. quæſt.11. lib.20. contra Fauſtum cap.3. lib. De fide & ſymbolo cap.10. Denique lib.2. contra Gaudentium cap.9. Sed obſeruandum aliò hic Auguſt. reſpexiſſe, nimirum ad initia & exordiũ Donatianiſmi, quod nimirum à ſchiſmate cœpit, & in hæreſim deſiit. Vnde epiſt.164. ad Emeritum Cæſarienſem Donatiſtarum epiſcopum, Neque enim vobis obiicimus, inquit, niſi ſchiſmatis crimen, quod etiam hæreſim malè perſeuerando feciſtis. Atque hoc eſt quod ait Hieron. in 3. cap. ad Titum, ſchiſma omne vbi progreſſu temporis inueteratum fuerit, hæreſim aliquam ſibi confingere, vt rectè ab eccleſia receſſiſſe videatur. Hæreſim ergo Auguſt. ſchiſma vocat inueteratum; quia ferè non niſi ex ſchiſmate oriri, ſemperq; ſequi illud ſolet. Nam quemadmodum charitatis iactura, ad fidei quoque iacturam via eſt; ita & ſchiſma ad hæreſim. Qua de re conſulere licebit Cardinalem de Turrecremata, lib.4. Summæ eccleſiaſticæ par.1. cap.4.*

neque enim & ſchiſma] *ſic manuſcr. pro*, neque enim ſciſſio vel ſchiſma.

alius & diuiſus eſſe nõ poteſt baptiſmus] *Pro* &, *legebatur* eſt.

vel tanquam nullum ſit iteratis] *Prius erat*, ſed tanquam, *quod miror vnde irrepſerit, cùm alterum legant nõ modò* MS. *ſed & Amorb.*

IN CAP. VIII.

quæ ſecundum tuam confeſſionem] *In excuſis addebatur*, vel conceſſionem. *Sed non legunt excuſa, & videtur ex margine in contextum tranſlatum.*

IN CAP. IX.

vt eo die, ex eo loco, ex eo ligno tranſiret ad immortale fidei præmium] *Iuſtarum ergo animarum beatitudo in Dei viſione conſiſtens, (nam ea ſola eſt immortale fidei præmium) non differtur vſq; ad extremum diem iudicij.*

& triginta octo annorum ęgritudinem] *In excuſis erat*, decem & octo. *Sed legendum eſſe quod repoſuimus docent non ſolùm* MS. *verùm etiam Ioannis Euangeliſtæ cap.5.*

Crede certè rebus, non verbis inanibus] MS. *legunt* certis. *reliquimus tamen quod erat in excuſis, conſentiente præſertim Amorb.*

IN CAP. X.

ad honorabilius ſenilis ætatis meritum peruenerunt] *Sic* MS. *pro* honorabilis.

quod cùm eadem etiam in ſchiſmate habeatis] *Ex manuſcr. adiecimus* etiam.

ſi autem benè vti cœperit] *Ita* MS. *conſtanter, pro* voluerit.

IN CAP. XI.

Denique nonnulli ſancta humilitate pręditi viri] *ſic Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolitanum epiſcopatũ depoſuit, ſic poſteà Cæleſtinus pontifex Romanus, eius nominis quintus, imparem tanto ſe oneri ſentiens, abdicauit, eſtq; ad anachoreticam vitam reuerſus.*

IN CAP. XII.

Proinde veſtri epiſcopi ſeu quilibet clerici] *De hoc argumento vide ſuprà ad cap.13. lib.2. contra epiſt. Parmen.*

Nam etiam ramus fractus] *In excuſis erat*, Nam etiam ſic: *ſed redundat illud* ſic, *nec habent* MS. *Amorb. legit* ſicut; *ſed adeò conciſè compendioſeq;, vt niſi attentus lector, aliud quàm* ſic, *nemo legerit.*

At enim quia noſtros inquis] *Cauſalem* quia, *conſentienter* MS. *noſtra adijciebant. Pro* inquis *autem, non rectè excuſa legunt* inquit, *ſuffragantibus quoq; Amorb. & Frobenij primis editionibus.*

& ſic tibi communicat?] *Perperam* communicet.

quia id quod obiicitur inexpiabile eſt] *Verbum* eſt, *ex manuſcrip. adiecimus.*

quibus modis poſſumus] *Ita rectius cum* MS. *quàm* poſſimus.

quia & veniam merentur quos huius mali pœnituerit] *Meriti vocem generaliter accipit, vt & aliàs ſæpius in hoc argumento.*

Non eſt autem catholicum] *Ex* MS. *addidimus* autem.

quaſi ſolo baptiſmo, quem repeti non oportet cùm vnus atque idem eſt, homines ab errore mundentur, &c.] *Valet hic locus contra noſtri temporis hæreticos. Similis eſt apud Origenem ſeu Cyrillum in Leuiticum (nam idem liber vtrique adſcribitur) apud illum homilia 2. apud hunc lib.2. Chryſoſt. quoque homil.6. & 38. in Ioãnem; & concione 4. in Lazarum ſub finem.*

IN CAP. XIII.

Non igitur ſicut conuiciaris tanquam in aſylum Romuli veſtros nocentes recipimus] *Aſylum locus ſacer eſt, vnde fas non eſt quenquam rapere. Huiuſcemodi locum Romulus & Remus olim erexere, facinoroſorum multitudinem, ad nouam vrbem augendam, ſpe impunitatis inuitãtes: Idem à Catholicis factitari, quia eorum nocentes ad ſe confugientes exciperent, Donatiſtæ clamitabant, facinoroſorum Aſylum eorum eccleſiam appellantes. Nimirum gentiles imitati, eandẽ olim calumniam Chriſtianis propterea impingentes, quòd præteritorum omnium delictorum, per baptiſmi ſacramentum abolitionem promitterent. Montaniſtas quoque ſeu Cataphrygas, qui Catholicam eccleſiam, quia pœnitentes adulteros in gratiam reciperet, mœchiæ appellabant aſylum, vti facit & Tertullianus eorum ſectator, lib. De pudicitia. Denique Nouatianos & Luciferianos. Sed mera hæc calumnia eſt. Nam eſt quidem ita quod, vt annotauit Auguſt. lib.1. De ciuit. Dei, cap.34. in hoc Romuli aſylo exemplum et imago quædam præceſſerit eccleſiæ, in qua Chriſtus omnes ad ſe confugientes, tutos ſaluosq; reddit. Et lib.5. cap.17. Remiſſio peccatorum, inquit, quæ ciues ad æternam colligit patriam, habet aliquid cui per vmbram quandam ſimile fuit aſylum illud Romuleum, quò multitudinem qua illa ciuitas conderetur, quorumlibet delictorum* congregauit

congregauit impunitas. Sed magna eſt inter vtrunque diuerſitas. Neque enim vt idem ait lib. 1. De conſenſu euangeliſtarum cap. 12. quando aſylum conſtituerunt Remus & Romulus, vt quiſquis cuiuſlibet ſceleris reus eò confugiſſet, inultum haberet commiſſum, præcepta pœnitentiæ dederunt, ad ſanandas animas miſerorum, ac non potius collectam timẽtium manum contra ſuas ciuitates, quarum leges timebant, mercede impunitatis armarunt. At verò ciuitas Dei nocentes recipiendo, vt hic contra Creſconium ait Auguſtinus, efficit innocentes, cùm ad eam veraci cordis conuerſione tranſierint. Id quod latiùs exequitur ſuprà cap. 8. & 9. Et infrà 15. & 16. & lib. 4. cap. 4. Epiſt. quoque 61. ad Dulcitium tribunum.

cùm ad eandem veraci corde tranſierint] Pro tranſierunt.

quamuis ſine illâ boni ſalui fieri nō poſſint] Perperā poſſunt.

IN CAP. XV.

quòd ad illum ſcilicet fontem] Excuſa addunt viuum, ſed non legunt MS. & omnino redundare videtur; reſpicit enim ad locum Prouerb. 5. ſecundum tranſlat. Septuaginta, & Cantici cantic. cap. 4. vbi vox ea non additur.

ita omnino mundandus, vt nō ſit alienus, ſed ſit cæleſtis particips pacis] ſic rectè MS. pro eo quod erat in excuſis, non vt non ſit, ſed ſit cæleſtis, &c. quanquam priorem negationē nec Amorb. legebat.

IN CAP. XVI.

& tamen deſeruiſſent] Perperam vulgata diſſeruiſſent, cùm tamen in vetere Amorb. & Froben. recta ſit lectio.

illi non poſſunt] Id deerat in excuſis.

redeunt, ſuos deceptores ſibi anteponi quando ad catholicā] Totum hoc in excuſis deſiderabatur; adiecimus autem ex manuſcr. conſentienter ita legentibus.

IN CAP. XVII.

Conſcientia ſanctè dantis] Pro, Conſcientiæ.

Quid ſi lateat dantis conſcientia] Perperam, Qui ſi.

Propter hoc enim ab omnipotente Deo dictum eſt, Quæ nota ſunt, vobis; quæ occulta, mihi.] Alludit ad locum Deuter. 29. quem Auguſt. infrà cap. 19. aliquanto fidelius pleniusq; recitat, Quæ manifeſta ſunt, vobis; quæ occulta, Domino Deo noſtro, ſeu veſtro, vt ibi legunt MS. Septuaginta hodie ſic legunt, Occulta Domino Deo noſtro, at manifeſta nobis, & filiis noſtris in ſempiternum, vt faciamus vniuerſa verba legis huius. Vltimus eſt verſus cap. 29. Nec alia eſt noſtra lectio, vix vno alteróue differens verbo. Author libelli contra Fulgentium Donatiſtam Creſconij lectionem eſt ſecutus.

IN CAP. XVIII.

vt quæ de illâ ſit fama] Sic MS. & Amorb. prius erat, vt quæ de illo fama ſit. Sed reſpicit ad conſcientiam abluentis, quomodo paulò antè ſuperiori capite Creſconius: Semper, inquit, attēdo conſcientiam dantis, & quia ipſam non video, quid de ea in publico notum eſt quæro.

Proinde cùm bona non eſt, & occulta eſt dantis conſciētia] Deſiderabatur in vulgatis verbum eſt, poſteriori loco poſitum.

aut polluta conſcientia] Supereſt verbum eſt, quod in excuſis addebatur huc ex ſuperiore ſententia delapſum.

tunc falsâ famâ eius accipiens abluatur] ſic rectè MS. In excuſis erat, tunc falſa fama accipientis abluatur, nominandi caſu. Sed legendum tunc foret dantis, ſeu abluentis, non accipientis. Aſtipulatur nobis & Amorbachius.

Tu verò non verbum quodlibet] Vetus Amorb. & Frobenij editio legebant verbo quodlibet, ſimplici errore; eum duplicauit in vulgatis qui repoſuit, verbo quolibet.

Cùm ſanctè dãtis bona cōſcientia eſt] Ita rectius cū MS. quàm, ſi ſanctè: reſpondet enim quod ſequitur, cum verò conſcientia dantis mala & occulta eſt.

Hoc ideò totum tam execrabile, tam mirabiliter peruerſum & inſanum] Annotauit quiſpiam ad marginem, deeſſe hic verbum defenditur, aut ſimile quippiam. Sed tenendum eſt, phraſim hanc eſſe Auguſtino familiariſſimam, & vt apparet ex medio vulgo deſumptam. Sic infrà lib. 3. cap. 5. Hoc totum ideò, ne dicatis. Et lib. 3. contra Petilian. cap. 21. Hoc totum propterea. lib. 3. contra Iulian. cap. 5. Hoc totum propterea, quia timetis dicere. Item lib. 2. contra Gaudent. cap. 1. Sed id eo. Et lib. De vnitate eccleſiæ, cap. 8. Vt quid hoc totum? Cui non diſſimile eſt illud epiſt. 48. Sed nempe hoc eſt totum quod nobis perſuadere conaris. Quare in ſuperiore illo ſimilibusq; Auguſtini locis, eclipſis eſt, in qua ſubintelligendum eſt quidem aliquid, ſed nihil addendum.

IN CAP. XIX.

cùm verbis alienis inconſideratè prolatis patrocinium præbere conamini] In excuſis erat, cui verbis alienis; ſed ſenſu ineptiſſimo, quaſi videlicet Creſconius Iudæ patrocinari ſtuderet: præcedit enim, niſi quod & Iudas ille nimium contra vos eſt. Non hoc vult Auguſt. ſed quod exemplum Iudæ, quo Creſconius verbis alienis (Petiliani videlicet) inconſideratè prolatis, præſtare patrocinium conabatur, planè contra ipſum faceret. germanam lectionem non MS. modò, verùm etiam Amorb. exemplar retinet; quare demiror vnde hoc mendū irrepſerit.

Neque enim & ipſius hominis falsò bona fama] MS. quædā legebant falſa bona fama, quomodo & ſuprà cap. 18. conſciētiæ bonæ eius falſa bona fama: & infrà cap. 22. Quæ ſi poteſt eſſe falſa bona de malis. Sed Auguſt. vtrunque alio & alio loco ſcripſiſſe potuit, certè falsò, legis etiam in excuſis & infrà lib. 3. cap. 11.

quæ autem occulta ſunt, Domino Deo veſtro] In excuſis erat noſtro; quomodo legunt non Hebræa modò, ſed & Græca quoque, ſaltem quæ nunc in manibus habentur. Sed fieri poteſt vt olim Africana exemplaria veſtro legerint: nam & in priori parte vbi eſt in Bibliis noſtris, quæ manifeſta ſunt nobis, Creſcon. ſuprà cap. 17. & Auguſtinus tum hoc loco, tum lib. 4. cap. 32. Author præterea libelli contra Fulgentium cap. 10. legunt vobis. Quare viſum eſt MS. ſequi conſentientem lectionem, vt partes partibus reſpondeant, præſertim cùm infrà lib. 3. cap. 32. ſic legant etiam excuſa.

IN CAP. XXI.

Qui enim mente peruerſa videtur intus eſſe] Mendosè videretur.

inuiſibiliter autem per eos ille baptizat] Pronomen ille, addebant manuſcr.

quoniā non poteſt habere Chriſtus membra damnata] De hoc ac ſimilib. locis diximus aliquid ſuprà ad lib. 4. contra Donat. cap. 2.

IN CAP. XXII.

qui hoc nefas admiſerint] Ita rectius MS. quàm admiſerunt.

aut ſi modus Chriſtianus exceſſus eſt, palea noſtra fecit] Pro eo quod erat veſtra. Significat enim nō quis exceſſus huius & immoderationis huius cauſam & occaſionem præbuerit, ſed quis modū in perſequendo exceſſerit. MS. conſentit etiam Amorb.

propter quam non fuerat area Dominica deſerenda] Ita rectius MS. quàm fuerit.

ſi tamen non mihi propter hoc verbum calumniaris] In excuſis deerat negatio.

IN CAP. XXIII.

toties demonſtrata quàm vos nihil adiuuent] Pro eo quod mendoſe legebatur in excuſis omnibus, quamuis nihil adiuuent.

qui tamen baptizant, nec his verbis excepti ſunt] Pro his Amorbachius habebat, in his verbis excepti ſunt, legens in, loco nec. Ex quo vno errore geminum peperit, qui locum ita reſtituendum putauit, qui tamen ne baptizent, in his verbis, &c. quæ vulgatorum erat lectio.

cuius & falſa fama non habet fidem] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro quo prius erat, non habet finem; reſpicit enim ad locum Hieremiæ cap. 15.

Si mentiris, verum dicis] De hoc & ſimilibus Chryſippi ſophiſmatibus, habes apud Ciceronem lib. 4. Quæſt. Academicarum.

IN CAP. XXV.

Ipſis ex ea repetitis verbis] Vocula ea, deſideratur in omnibus excuſis.

IN CAP. XXVI.

qui vel ignorantur] Perperam ignorantes, vti habent impreſſa vniuerſa.

Baptizate inquam] Pro, Baptizare.

quid ei prodeſt lauatio eius] Ex MS. addidimus ei.

quorumlibet illa fuerint] Ita rectius, quàm fuerunt.

Contēdis enim velut aduerſum me] In excuſis deſideratur me.

qui baptizatur à mortuo] Pro baptizantur.

nullus peccator exceptus ſit] Perperam acceptus, vt ex ſuperioribus liquet. Cum MS. conſentiunt vetera & Amorb. & Froben.

omnes quos ab occultis] Mendosè in excuſis habes, quoſquos.

IN CAP. XXVII.

qui idolum colit] Pro eo quod erat in excuſis omnibus, qui id oleum colit.

aut inſpice diligenter codices antiquos] De hoc Eccleſiaſtici loco, & germana lectione, ſententiaq; diximus ſuprà ad cap. 10. libr. 2. contra epiſtolam Parmeniani.

IN CAP. XXVIII.

vt quiſquis apud eos baptizatur à mortuo, quid ei prodeſt lauatio eius] Locus deprauatus ac mutilus, nec adiuuant MS. Videtur autem hoc aut ſimili modo reſtituendus: vt quiſquis apud eos baptizatur, à mortuo baptizetur: de quo ait ſcriptura, Qui baptizatur à mortuo, quid ei prodeſt lauatio eius?

nec ſic contra nos eſſet] Perperam, nec ſi.

ſi apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptizetur] Pro baptizatur. Conſentiunt Amorb. & vetera Frobeniana.

niſi peccatorem ſe eſſe fateatur] Pro fateamur. Vetera etiam Amorb. & Froben. rectam lectionem retinent.

non ſum



non ſum autem peccator] Ex MS. adiecimus ſum.

neque enim pro illis debitis dimittendis] ſic MS. loco, de illis.

Si autem qualiſcunque humilitatis non immemor] Deerat in omnibus excuſis genitiuus humilitatis.

Sed arbitremur te conuictum correxiſſe] ſic MS. pro ſubarbitremur.

IN CAP. XXIX.

& aſſumente teſtamentum eius] Ex MS. addidimus copulam &.

IN CAP. XXX.

quod contra me ipſe dixiſti] Mendosè ipſi, cùm rectè legant etiam Amorb. & Frobenij vetera.

quoniam dum nobis obiicitur, ius baptiſmatis qua nobis licentia vendicemus] Incōmoda in excuſis diſtinctio ſenſum turbabat.

IN CAP. XXXI.

& tunc profer concilium Cypriani] Per c literam, non per s.

IN CAP. XXXII.

ſed eis potius quæcunque rectè ſenſit] ſic rectè MS. per ablatiuum, conſentiente Amorb. pro, ſed eius.

Si nō ea demōſtrauero veſtrā cauſam nihil adiuuare, viciſti] Amorb. legebat, Si non ea demonſtrauero noſtram cauſam nihil adiuuare, viciſti. Similiter & vetera Frobeniana, niſi quòd initio tranſpoſitis vocibus habent, Si ea non. Sed cùm hoc Auguſtini ſententiæ aduerſetur, mederi quiſpiam volens ſuſtulit negationem nihil: & rectè ſanè retento pronomine primæ perſonæ noſtram. Verùm germanam lectionem indicarunt MS.

neceſſe eſt cedatis] In vulgatis perperam eſt, credatis: cùm tamen alterum illud habeant etiam vetera excuſa Amorb. & Frobenij.

IN CAP. XXXIII.

Potēs eſt Dominus] Ita Cyprianus; non autē, Poteſt Dominus.

fuit ante concilium Cypriani] Per c, non per s. Vt & mox, nec concilio Cypriani.

ſicut item dicit] ſic MS. omnia, conſentientibus Amorb. & Froben. vetuſtioribus. In vulgatis erat, ſicut idem dicit.

audi ex epiſtola quam de Vnitate conſcripſit] Ergo & Auguſtinus libro illi hūc titulum dedit, pro quo in vulgatis erat, De ſimplicitate prælatorum.

A fonte pręcide riuum] Ita non ſolùm Cyprian. & manuſcr. verùm etiam Amorb. & Froben. vetuſtiora; vnde miror quis ſciolus, fronte, ſcribendum putarit.

Quid verò de ipſius eccleſiæ fœcunditate] Pro, Quod.

IN CAP. XXXIIII.

vt vas aureum & argenteum ſimus] Perperam argentum.

Neque quiſquam ſibi quod ſoli filio pater tribuit, vindicarit; vt ſe putet] Cyprianus, loco vindicarit, habet vindicare poteſt: deinde accuſatiuum ſe, locat in fine, ferre ſe iam poſſe.

vt ſe putet aut ad aream ventilandam & purgandam, palam ferre iam poſſe] Ita Cyprianus, & fere MS. Prius erat, vt ſe putet aut ad aream ventilandam & purgandam paleam, ventilabrum iam ferre poſſe: quomodo legebatur in excuſis & infrà cap. 38. Sed eſſe locum eum à ſciolo quopiam immutatum, vehemens ſuſpicio eſt. Nam lib. 2. contra Gaudentium cap. 3. & 13. vbi excuſa legebant, & purgādam paleam vel ventilabrum, MS. non habent illud, vel ventilabrum: & omnino apparet vel ex margine, vel ex interlineali ſuperſcriptione, quæ quid iuxta noſtram verſionem legi poſſet ſignificabat, in textum irrepſiſſe. Quo recepto ſemel aſſumento, eraſit quiſpiam coniunctionem vel, & ex palam, fecit paleam: aut ſi ita legebatur, multò certè probabilius diſiunctiuam illam ſuſtulit. Certè lib. 4. contra Donatiſtas cap. 12. vbi citatur ſimilis Cypriani locus ex lib. 4. epiſt. 2. etiam excuſa legunt palam, licet imperitus aliquis, nomen hoc, addito accentu, in aduerbium commutauit, & conſequēter ferre, in facere deprauauit. Cæterùm quanquam ventilabri nomine paſſim velut explicandi cauſa Auguſtinus vtatur, tamen expoſitione in Pſal. 92. etiam in excuſis legit palam ferre: quam lectionem habet & Hieronymus lib. contra Luciferianos: & D. Pacianus epiſt. 2. ad Sympronianum; quamuis ad marginem, pro palam ferre, velut diuerſa lectio annotetur, paleam auferre. Sed non eſt hoc germanum. Eſt autem pala, inſtrumentum ruſticum, cuius in purgandis frumentis eſt vſus.

IN CAP. XXXV.

attende diligēter de tota iſta quæſtione] Ex MS. adiecimus iſta.

vt in eis error proprius corrigatur] ſic rectè MS. pro quo in excuſis omnibus erat, error prius.

filius malus ipſe ſe iuſtum dicit] ſic MS. & paulò antè cap. 33. excuſa. Rurſus infrà lib. 3. cap. 66. lib. De vnico baptiſmo cap. 15. lib. 2. contra Gaudent. cap. 3. lib. contra Fulgentium Donatiſt. cap. 8. In excuſis erat, & ipſe ſeipſum.

IN CAP. XXXVI.

Vinco inquam, ſi non probas, iudice teipſo] Perperam indice. MS. conſentit etiam Amorb. & vetera Frobeniana.



alterum Cypriani monitis diſcite] Ita rectè MS. pro dicite.

IN CAP. XXXVII.

& quicquid aliud ſe Paulus ab Hieruſalem vſque ad Illyricum] Pro aliud, in excuſis erat aliâs. Sed rectius MS. refertur enim ad locum, non ad tempus. Ex iiſdem addidimus præpoſitionem ab, tametſi eandem habebant vetera & Amorb. & Froben.

de aliis tam latis atque immenſis terrarum partibus] Ita MS. pro atque vniuerſis.

ex peccatis Afrorum] Pro Africorum.

Habent enim cum illis tranſmarinis eccleſiis] Ita rectius MS. quàm excuſa, quæ loco enim, habebant aduerſatiuam autem.

tamen demonſtrari non potuit] Perperam demonſtrare.

IN CAP. XXXVIII.

ſed & lignea & fictilia] In vulgatis deſiderabatur prius illud &, vt liquet ſuprà ex cap. 34. & ex ipſo Cypriano.

palam ferre iam poſſe] Pro quo non rectè, paleā, ventilabrum iam ferre poſſe. De quo loco cap. 34. iam diximus.

pluſquam mitis iuſtitia depoſcit] Mendosè vulgata pluſquam minus; cùm tamen & Amorbach. & Frobenian. vetuſtiora veram retineant lectionem.

contra eccleſiam Chriſti in toto mundo ſcripturis fructificantem] Videtur locus corruptus, aut mutilus. Legendum fortè, ſecundum ſcripturas: vel prænunciantibus, ſeu prædicentibus ſcripturis: vel ſicut promiſſum eſt in ſcripturis; quomodo legis Breuiculo primæ Collationis cap. 10.

# IN LIBRI TERTII CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM CAPVT PRIMVM.

iam debuit à me huic operi finis imponi] Pro opponi.

de quorundam Orientalium literis] de his vide infrà cap. 3.

IN CAP. II.

quibus tale teſtimonium perhibuiſti] Numero ſingulari, non plurali.

vbi apertè dicitis Cyprianum eſſe mentitum] Idem attingit & refellit ſuprà lib. 3. contra Donat. cap. 3. & lib. 6. cap. 7.

non cum eo fuerat ſacramēta Chriſti communicaturus proculdubio] ſic MS. pro, quomodo cum eo fuerat. Proculdubiò.

IN CAP. III.

Proinde ſi omnino iam credendum ſit, quinquaginta epiſcopis Orientalium id eſſe viſum quod ſeptuaginta Afris.] Sub idem fere tempus quo Cyprianus in Africa ob baptiſmatis quæſtionē concilium celebrabat in Oriente contra Cataphrygas ſeu Montaniſtas, eccleſiaſticam baptiſmi formam corrumpentes, ex Syria, Cilicia, Galatia, Cappadocia ac vicinis regionibus ſynodus coiit Icodij Synnadæq; (vrbes ſunt, illa Phrygiæ, hæc Aſiæ, ad Cariæ fines ſitæ) epiſcoporū, vt hic ait Auguſt. numero quinquaginta: vbi rectè damnato Montaniſtarum baptiſmo, quem poſtea & Nicænum irritauit concilium, generalem ſtatuere ſententiam, rebaptizandos eſſe omnes qui eſſent ab hæreticis quibuſcunque baptizati; nimirum Cypriani concilijq; eius Africani decreto cōſentientem. Quo audito Stephanus Romanus pontifex, præter eas quibus Cypriano reſpondit, alteras quoq; ad Firmilianum, Helenum ac cæteros Orientales illos epiſcopos, literas mittit, damnans quòd niſi corrigerent ac retractarent, non ſe cum eis communicaturum, vt author eſt Dionyſius Alexandrinus epiſt. ad Sixtum papam apud Euſebium lib. 7. cap. 4. & Nicephorum lib. 6. cap. 7. Contra eas ſunt Cypriani ad Pompeium, & præfati Firmiliani Cæſareæ Cappadocum epiſcopi ad Cyprianum literæ, ſed quarum poſteriores planè impudentes ſunt & maledicæ: quæ & illæ eſſe videntur quas hic Creſconius Orientalium appellat. Extant autem in Morelij & Pamelij editionibus Cypriani. Cæterùm Orientales illi epiſcopi re poſtea melius perpenſa, viuo adhuc Stephano & Cypriano, ſententiam ſuam correxerunt, ad veteris & Apoſtolicæ traditionis vnitatem redeuntes: vt ad eundem Stephanum ſcribit præfatus Dionyſius Alexandrinus, cuius epiſtolæ meminit Euſebius lib. 7. cap. 3. Niceph. lib. 6. cap. 7. & Hieron. contra Luciferianos. Quod autem & Cyprianus ante mortem fecerit, poſtea videbimus. Hoc ergo eſt, de quo tribus hiſce primis capitibus agitur, concilium Orientalium epiſcoporum, à quibus ait Creſconius, maiores ſuos Donatiſtas iuſtis de cauſis receſſiſſe, eorumq; communionem refugiſſe, quia nimirum priorem reſcidiſſent ſententiam; qua in re leuitatem eorum, mentisq; inconſtantiam reprehendit. Porrò quod ad ſynodos illas Orientales attinet, conſulendus eſt Euſebius libr. 7. cap. 3. & 4. Niceph. lib. 6. cap. 7. 8. & 9.

ſeptuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus] Triplex ſub Cypriano de baptiſmo hæreticorum, in Africa celebratum fuiſſe cōcilium ſuprà diximus ad cap. 10. lib. 3. contra Donatiſtas. Auguſtinus hic de ſe-



cundo

A *cundo loquitur, quod fuit vnius & ſeptuaginta epiſcoporum Africæ & Numidiæ. Nam tertium quod plenarium vocat totius Africæ, fuitq; epiſc. 87. nondum tunc erat celebratum cùm Icodienſis & Synnadenſis ſynodi coirent: quin & ante illud venerunt ad Cypr. Firmiliani literæ.*

quale ſit quod Chriſtiani orbis pars maximè cum Orientalibus ſenſit] *ſic conſentienter* MS. *editiones quoque primæ Amorbachij, Frobenij, ac vulgata Lutetiana. Vnde miror quis legendum putarit,* pars maxima: *nam nec Africa, de qua agitur, toto orbe reliquo maior eſt, ſaltem tunc temporis habitata & cognita: nec tota Cypriano conſentiebat, multis collegis eius veterem conſuetudinem retinentibus.* Maximè, *ergo legendum, vt ſenſus ſit, Africam cum Orientalibus potiſſimum ſenſiſſe. Pendet autem hæc ſententia à primo cap. Cæterùm typographicus error eſt, quòd in vulgatis etiam* pax *legitur, pro* pars.

IN CAP. IIII.

inter fidelem perfidumque diſcernas] *Singulari non plurali numero,* fideles perfidoſque, *legendum, liquet etiam ex eodem hoc cap. & ſeptimo; ac infrà lib. 4. cap. 18.*

idem tibi pius atque impius] *Pro* item. *Conſentit quod ſequitur,* vt idem cuique pius.

in qua ſententia non nihil inter fidelem perfidumq; diſcreui] *Pro* non nihil, *legebatur non rectè* nonnulli; *cùm tamen alterum eſſet non modò in* MS. *verùm etiam in Amorb. & Froben. vetuſtioribus.* B

nec iuſſi vt idem cuique pius atque impius videatur] *Sic* MS. *& vetus Amorb. editio, pro* cuiquam. *Vulgare eſt enim Auguſt.* quiſq; *vti loco* quiſquam.

& à me dictum non eſt] *In excuſis deſiderabatur copula* &.

iuſtus implet legem Chriſti per dilectionem] *Excuſa addunt,* Chriſti, *ſed non eſt in* MS.

IN CAP. V.

Quàm tibi bene ſonare viſa ſunt, quæ in vna re variè repetiſti: Quid hoc præcepto, inquis, dici iniquius poteſt, vt purificet alium maculoſus, abluat ſordidus, emundet immũdus, det infidelis fidem, criminoſus faciat innocentem?] *Has ſimileſq; antitheſes vt acutas & tinnulas Donatiſtæ libenter vſurparunt, ſtudioſeq; affectarunt, vt notat in Creſconio Auguſtinus tum hic, tum infrà lib. 3. cap. 37. & lib. 4. cap. 45. Similiter & in Petiliano, libro contra literas eius 3. cap. 32. 39. & 101. Mutuati autem eas videntur à Parmeniano, cuius totidem penè verbis extant ſententiæ apud Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 14: & apud Optatum lib. 1. Sed qui nec primus earũ videtur eſſe author; nam in concilio Carthaginienſi Cæcilius à Bilta qui primus à Cypriano ſententiam dicit, ſimilibus floſculis exornatus incedit. Verba eius repetere licebit ex lib. 6. contra Donatiſtas, cap. 8.*

Hinc non vis vt ego exclamem] *Id eſt, ob hæc abſurda: Niſi fortè* Hic, *legendum. Sed alterum Auguſtino familiariſſimum. De quo genere locutionis plura diximus ad cap. 7. lib. De vnico baptiſmo.*

non, vt ait quidam, in vltimas terras exportandum] *Verba ſunt Cicer. actione prima in Verrem: apud quem etiam legitur* exportandũ; *vti habebant & noſtra* MS. *atque adeò ipſe quoque Amorbachius, quod in vulgatis mutatum erat in* deportandum.

miniſtra Deo militet falſitas] *Ex* MS. *adiecimus* miniſtra.

Hoc totum ideò] *Eclipſis eſt Auguſtino vſitatiſſima, de qua ſuprà ad lib. 2. cap. 18.*

Videris enim ſuccubuiſſe tanto ponderi veritatis] *Hæc* MS. *eſt lectio: excuſa per ablatiuum efferebant* pondere; *quod licet non reijcimus, alterum tamen ab Auguſtino ſcriptum putamus. Nam infrà lib. 4. cap. 19. idem hoc argumẽtum tractans,* Tu quidem, *inquit,* ſuccumbere viſus es tanto põderi veritatis, & dicis hoc te ſuadere, *&c.*

IN CAP. VII.

quæ tu quoque vi veritatis adductus] *Fortè,* adactus.

vt Chriſtus ſit origo & radix] *Excuſa pro* vt, *legebant* quod: *ſed cum* MS. *conſentiunt quæ paulò antè præcedunt, & initio proximi capitis ſequuntur.* D

IN CAP. VIII.

Quod ego ex Apoſtolo cùm in meis literis poſuiſſem] *Pro* in meis, *habebant vulgata,* in eis.

iuſtiſſimus operarius adhibetur] *Infr. lib. 4. cap. 22. vbi hæc verba repetuntur, pro* adhibetur, *legis* approbatur.

IN CAP. IX.

quia de ſeipſo ait] *In excuſis tantùm erat,* de ipſo.

niſi habeat eam homo per quem baptizaris] *Ex* MS. *adiecimus* homo, *quem hic Deo opponit.*

quantum ad id quod attinet] *Hunc locum ex* MS. *duobus ita reſtituimus. in excuſis pro* quantum *legebatur,* quantumcũque. *Cambronenſe exemplar habebat,* quantumque; *ſed vtrumq; mendoſè.*

IN CAP. XI.

vt tũc ſit acceptabilis baptiſmus Chriſti] *Id magis placet, quàm* acceptabilior. *Nam Donatiſtæ baptiſma per malum miniſtrum collatum, nullum eſſe dicebant.*

A ſi ab homine iuſto quiſque tingatur] *Pro* quis. *Locutio eſt Auguſtino familiariſſima.*

in cuius nomine datur] *Ex* MS. *adiecimus* in.

melior ſit conditio baptizati] *Perperam* melior eſt: *præcedit enim,* ne quod abſurdiſſimum eſt.

Nec quicquam bene regenerat, niſi bono ſemine regeneretur] *Apud Petil. lib. 1. cap. 7. vnde petitus eſt hic locus, legitur* generetur; *quod mallem ſi* MS. *hic ſuffragarentur.*

tunc arborem de qua bonus fructus naſcatur] *Pro* naſcitur. MS. *cõſentit quod mox ſequitur,* vt ei de qua naſcatur arborẽ oſtendas.

IN CAP. XII.

de quo nihil cõſcriptum valeo recitare] *ſic* MS. *pro* inſcriptũ.

quodlibet ſentias, facilè cedo] *Vſitatiſſimum eſt Auguſt.* quodlibet *vti pro quicquid, ſeu quodcunque. Quare præter eius mentem faciunt qui pro ea voce,* quidlibet *ſubſtituerunt: cùm altera lectio non* MS. *ſit tantùm, verùm etiam Amorbach.*

Si ergo non illorum innocentia] *Perperam* innocentiam. *Recta lectio extat & apud Amorb. & vetera Froben.*

ratum nobis baptiſmum facit] *Pro* rarum. *Alterum legebatur in vetuſtioribus etiam Amorb. & Froben. editionibus.*

IN CAP. XIII.

B de Cæciliano & eius ordinatoribus] *In excuſis omnibus aberat præpoſitio* de.

quod de Optato ſufficere credis eis] *Mendoſè in impreſſis vniuerſis,* credis eſſe.

Sed factum eſt pro Cęciliano poſterius iudicium tranſmarinum, veſtris apud Conſtãtinum imperatorem vt fieret inſtantibus] MS. *conſtanter legunt* tranſmarinis, *vt à Donatiſtis Romæ agentibus ſollicitatus Imperator intelligatur. Duplici autem tranſmarino iudicio eccleſiaſtico abſolutus fuit Cæcilianus, altero Romano ſub Melchiade, altero Arelatenſi: vt prius illud coiret, procuratum eſt à Donatiſtis in Africa degentibus, miſſo illinc ad Conſtantinum per Anulinum proconſulem libello accuſatorio. Poſterius ijdem illi, ſed iam præſentes Conſtantino extorſerunt. Quare probabilior eſt excuſorum lectio. Certè non vno in loco,* tranſmarini concilij *meminit Auguſt. cùm alibi, tum verò infrà cap. 25. Niſi fortè ſuſpicetur quiſpiam Montenſes (vt Romæ vocabantur Donatiſtæ) ex Africa à ſuis admonitos, vt communem cauſam verbis apud Imperatorem agerent. Verùm non ſatis certum eſt, an eo tempore extra Africam ſeſe protulerint. Qua de re in hiſtoria noſtra nonnihil dicturi ſumus.*

quæ prius facta fuerunt] *Pro eo quod erat in excuſis omnibus,* ſacra fuerint.

C contra quem primò cẽtum] *Primianus, quartus Carthaginienſis Donatiſtarum epiſcopus, à Maximiano diacono ſuo, quem gradu ſuo mouerat, apud vicinos epiſcopos accuſatus, ab ijſdem Carthaginem numero 53. conuenientibus, damnatus fuit, dato tamen ei ſpatio ſi reſipiſcere vellet. Qui cùm parere eis nollet, in oppido Cebarſuſſi habito centum epiſcoporum concilio damnatus & epiſcopatu ſpoliatus fuit, ſuffecto eũ Maximiano. Qua de re infrà lib. 4. cap. 6. & 58. latius autem in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.*

ſecundum poſterius de Cæciliano iudicium] *Deerat in excuſis* poſterius.

coſdemque non poſt paruum tempus] *Lib. De geſtis cum Emerito totum penè triennium interceſſiſſe ait Auguſtinus.*

IN CAP. XIIII.

partim quæ culpanda ſunt] *Ex* MS. *hæc adiecimus.*

Iſtos iterum attende] MS. *vocem* iſtos, *præcedentibus nectunt, à ſequente vocula periodum auſpicantes. Sed magis placuit excuſorũ lectio.*

IN CAP. XV.

D vt non ſolũm duo illi quos memoras] *Sic* MS. *omnia, vt verba ſint non Auguſtini, ſed Creſconij. pro qua etiam lectione facit quod infrà lib. 4. cap. 28. vbi hæc eadem repetitur ſententia, ſed Auguſtini verbis,* Sic eſſe factum, *inquit,* vt non ſolũm illi duo quos memoro.

IN CAP. XVI.

intra quod ſi quis corrigi voluiſſet] *Ex* MS. *adiecimus* quis, *quod non ſenſus modò, ſed & quæ tum præcedenti tum ſequenti capite eodem pertinent, planè poſtulant.*

Corrigeretur ergo] *Hanc loci huius diſtinctionem non* MS. *modò præferunt, ſed exigit etiam ipſa ſententia. Mendoſè ergo hæc in excuſis diuellebantur.*

Quiſquámne reſtituitur] *Pro* reſtituatur. *Illius enim temporis ſunt ſequentia etiam verba.*

IN CAP. XVII.

ſed nec legiſſe conſcripta] MS. *quædam legebant,* ſed neglexiſſe: *ſed alterum legitimum eſſe, oſtendit negatæ ſolitudinis quæ præcedit coniunctio, alioqui redditione ſua caritura.*

IN CAP. XVIII.

talia tua verba] *Sic* MS. *pro quibus non rectè impreſſa,* verba tua alia: *reſpi-*



A alia; *reſpicit enim ad ſuperiora Creſconij verba,* intra diem præſtitutum reſtituti: *quæ ſimilia ſunt proximè antecedentibus ex concilij Bagaienſis ſententia,* ad matrem eccleſiam redire permiſimus.

vſque in hæc tempora perducentes] *Ita rectius cum manuſcr. quàm* producentes.

orbem terrarum rebaptizandũ eſſe cenſetis] *Pro* baptizandũ.

tam multos quidem libuit reparare] *Excuſa omnia etiam vetera legunt* ſeparare: *ſed non rectè. Senſus enim eſt, quos eis placuerit in gratiam & communionem recipere qui à ſchiſmate Maximiani reſipiſcentes reuertebantur, ſed tam multos fuiſſe vt rebaptizare nõ fuerint auſi.*

IN CAP. XIX.

Raptus enim pœnam ſuam] *Ex* MS. *adiecimus* ſuam, *quod innumeris pòſt locis legunt etiam excuſa.*

ſe veſtræ eccleſiæ reddidiſſent] *Tollenda eſt* ſi *coniunctio, quæ hic in impreſſis præcedit.*

dictator vel dictor illius ſententiæ quid connectat] *Sententiam Bagaienſis concilij ab Emerito Cæſareæ in Mauritania epiſcopo dictatam eſſe, docet Auguſt. lib. De geſtis cum eodem Emerito.*

tanquam è proprij corporis iunctura præcidi] *Sic* MS. *& aliàs ſæpe impreſſa, vbi hæc ſententia repetitur.*

Victorianum Carchabianẽſem] *ſic* MS. *& aliàs frequenter excuſa, vt & infrà cap. 53. Prius erat* Carchabinenſem.

Beianum Baianenſem] *ſic* MS. *non* Beianenſem. *Conſentit concilij Carthaginienſis 1. cap. 10. vbi Felix Baianenſis ſententiam dicit.*

Miggenem Elephantarienſem] *ſic conſtanter* MS. *alicubi etiam ipſa excuſa, vt infrà cap. 39.*

Quæ grauiora in noſipſos] *Perperam* voſipſos.

niſi fortè iam quidam] MS. *conſtãter legunt* quidem, *paulò pòſt, voculæ* ſchiſmatis, *præponunt copulam* &: *ſed nos lectionem retinuimus quæ erat in excuſis.*

IN CAP. XX.

inquinantur quando vultis] MS. *quædam legũt* inquinant: *quod licet non reijcimus, vt ad reliquorum contagionem referatur, magis tamen placet, vt de peccantium ipſorum macula intelligatur.*

cernis quàm verè dixerim] *Ita legendum eſſe, non* dixerint, *etiam reclamantibus* MS. *liquet ex lib. 1. contra Petilianum cap. 10. ſunt enim quæ ſequuntur, non Donatiſtarum ibi, ſed Auguſtini verba.*

primò gaudere diſertã] *Illud* primò, *addendum eſſe, arguit quod ſequitur,* poſtea. *Certè ita legis loco citato lib. 1. contra Petilian.*

IN CAP. XXI.

vt par eius fieret] *Nec malè quadrarit,* pars eius, *& fortè ſic alicubi ſcriptum inuenias.*

Sed quid ego te] *In vulgatis deſiderabatur* te.

IN CAP. XXII.

quid fecerint, vt] *Pro* fecerunt.

IN CAP. XXIII.

ore pleno maledictione] *ſic* MS. *ſic & ſuprà cap. 19. & 21. & aliàs frequenter, pro* maledictionis.

à funeſto opere perditionis] *Ex* MS. *adiecimus præpoſitionem* à.

IN CAP. XXIIII.

ſecundum ipſum mendacium eorum] *In excuſis deerat* eorũ.

vera & plenaria] *Ex* MS. *adiecimus copulam, quanquam extabat apud Amorb. quoq; & vetera Frobeniana.*

lex illius hæreditatis] *ſic* MS. *omnia, ſic vetus Amorb. & Frobenij, ſic denique Lutetiana editio. Quem locum miror cur Lipſius mutandum putarit in* pax illius hæreditatis; *cùm euidens ſit ex lib. 1. contra Petilian. lectionem alteram eſſe germanam.*

IN CAP. XXV.

ore lætiſſimo acclamauerunt] *Ita legendum eſſe, non* latiſſimo, *& ſuprà lib. 1. contra Petilian. cap. 10. admonuimus; quomodo nimirum legitur infrà lib. 4. cap. 41.*

nunc autem cùm à nobis recitata fuerit, obmuteſcunt] *ſuprà lib. 1. contra Petilian. cap. 10. vnde petitus eſt hic locus,* nunc autem ſi fortè eis à nobis recitata fuerit, obmuteſcant. *Prior lectio repetitur & infrà lib. 4. cap. 41. Porro* obmuteſcant, *magis quadrat ſuprà loco citato contra Petilianum, poſterioribus locis* obmuteſcunt: *quanquam* MS. *etiam hoc 25. cap. legant modo potentiali.*

quibus pœnis ecce iam multo melius obmuteſcerent, quàm cùm talia loquerentur implicarentur] MS. *quædam legunt,* quibus peius. *Conſtanter verò vniuerſa conſentiente Amorbach. in ſequentibus verbis omittunt,* quàm: *Verùm vt apparet non rectè. Quanquam nec vulgata lectiò caret omni ſuſpicione mendæ.*

Iam tandem ſentire deberent] *ſic ſuprà libr. 1. contra Petilian. cap. 13. vnde locus hic eſt repetitus: manuſcr. tamen cum excuſis legebant* debent.

iam dictum fuerat] *Ex* MS. *adiecimus* iam.



A IN CAP. XXVI.

Quid enim ad nos pertinet hoc retortæ obiectionis genus] *Interpretatur Anticategoriam. Porro in quibuſdam* MS. *annotatum erat, velut altera lectio,* rhetoricæ; *quod poſteà in contextum irrepſit, legiturq; non rectè in omnibus excuſis,* retortæ rhetoricæ obiectionis genus.

poſt perſecutionem codicum tradendorum] *Idem diſertè addit & Optatus lib. 1. Vnde liquet inanem ac falſam fuiſſe Donatiſtarum cauillationem, quæ in Collatione Carthaginienſi concilium hoc Cirtenſe conantes infirmare, negabant ob perſecutionis vehementiam potuiſſe ad concilium celebrandum epiſcopos conuenire. Vide infr. Collat. 3. cap. 17.*

IN CAP. XXVII.

Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Conſſ. quarto nonas Martij] *Breuiculo Collationis diei 3. cap. 17. Cirtenſis concilij tempus diligenter excutit Auguſtinus, vbi incidiſſe ait in annum poſt conſulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII. eſſeq; tredecim menſibus martyrum quorundam geſtis, quæ à Donatiſtis illic proferuntur, poſterius: hæc enim facta ſignificari Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conſſ. prid. Idus Februarias. Quam ſanè lectionem admodum facit probabilem, in primis quòd coijſſe concilium hoc poſt perſecutionem & tra-* B *ditionem ſacrorum, author ſit non ſolùm Auguſt. ſed Optatus quoque libro 1. quæ tamen Diocletian. VIII. & Maximian. VII. Conſſ. feruebat vel maximè, ceſſauit autem conſulatu alterius IX. alterius VIII. quando Calendis Maiis vterq. imperium vltro depoſuit. Deinde, quòd non poſt longum tempus quo fuit Cirtenſe concilium celebratum, ijdem illi epiſcopi Carthaginem aduerſus Cæcilianum conuenerint, conſulatu videlicet Conſtantini A. & Maximiani IX. Vbi iuxta poſteriorem lectionem anni duo intercedunt, alioqui quatuor interfuturi; quod ſanè tempus non ita breue eſt. Error natus videtur ex ſcribarum, vt facillimè in numeris accidit, negligẽtia, aut exemplaris fortaſſe vitio, in quod primum incidit Auguſt. Minutius eſt, quod loco illo Collationis tertiæ diei,* tertio Nonas Martias, *hic* quarto, *ſcribitur. Longius autem recedit Optatus qui* idus Maias *annotauit. Vnde videmus & olim variam fuiſſe lectionem.*

in domo Vrbani Donati] *Contra fidem* MS. *eſt quod in excuſis legitur* Donatique. *Nam & epiſt. 165. ſine coniunctione legitur. Refert eandem hiſtoriam breuiter Optatus lib. 1. ſed qui pro* Donati, *habet* Cariſi. *Redditur autem ibidem ratio cur eccleſiaſticum concilium in domo priuata celebratum fuerit, quòd nimirum baſilicæ in perſecutione iuſſu Diocletiani euerſæ, nondum reſtitutæ eſſent.*

C Probemus nos primò] *Hinc veterem eccleſiæ morem cognoſcere licet, non modò ad epiſcopatum adminiſtrandum, ſed ne ad cæterorum quidem electionem, niſi probatos & ab omni criminis infamia liberos, admiſſos non fuiſſe.*

Scis quantum me quæſiuit Florus vt thurificarem] *Florus, Pollus ſeu Paulus, & Valentinianus iudices & curatores fuerunt ciuitatum Numidiæ, executoreſq; edictorũ Diocletiani & Maximiani Impp. aduerſus Chriſtianos, quibus ſacrificare idolis, & ſacros libros eccleſiæq; vaſa tradere iubebantur, vt habes codẽ hoc cap. Flori meminit & Optatus lib. 3. vbi addit Anulinum proconſulem in Carthaginienſi prouincia eidem officio præfuiſſe. Acta Felicis martyris, quæ ſunt apud Surium Octob. 24. meminerunt Magniliani curatoris cuiuſdam qui ſub Anulino Chriſtianos ſit perſecutus.*

Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem] *Hæc omnium improborum vox eſt, in delicta ſua inquiri nolentium.*

Accede vna parte] *Paulò pòſt pro eodem dicit,* Tranſi vna parte. *Submouet eos à conſeſſu, & concedere in alteram partem, ac velut reos, ſtare mandat. Vnde paulò pòſt velut abſoluens recipit eos in conſeſſum,* D *ſedere iubens, ſedete inquit.*

Dedi codices medicinales] *Ergo & ille ſacrilegus eſt & ſacrorum traditor, qui etiamſi ea non tradat, perſecutoribus tamen ea quærentibus, alia quædam tanquam talia tamen, vt ſe liberet, tradit; quantò magis qui verè ſacra?*

Victori à Ruſiccade] *Perperam Lutetiana* Ruſiccare.

Sciebam illa deletitia fuiſſe] *Hoc eſt quæ ob vetuſtatem doletis literis, legi vix poſſent. Non rectè nec hic legebant Pariſ.* delicta fuiſſe.

Audis quæ dicat in te?] *Amorb. legebat* quid: *hinc in vulgatis natum* quis. *Plurali numero legunt* MS.

paratus eſt recedere] *Mendoſè in Lutetianis,* paratus es.

Felici à Rotaria Centurionis] *ſic* MS. *omnes, pro quo in vulgatis* Centurioni. *Optatus habet,* Felix à Rotario Centuriõ.

Victori à Garbe] *Non rectè Pariſ.* Agarbæ. *Nam Optatus ibidem hunc Victorem Garbenſem appellat.*

ſecum habuit in Carthaginienſi concilio] *ſic* MS. *pro eo quod in excuſis omnibus erat,* ſecum abluit.

conſeruaretur ab eis] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, etiam ſine* MS. *codicis præſidio. Prius erat,* cùm ſeruaretur.

IN CAP. XXVIII.

vbi contra abſentes nulli conſtiterant] MS. quædam legũt nulla, vt ad crimen obiectum, non ad perſonas accuſatorum referatur.

præpotens & pecunioſiſſima femina] Cùm ita legant & MS. omnia & veteres Amorb. & Frobenij editiones, miror quis pernicioſiſſima femina, ſcribendum putarit: maximè cùm & alibi Lucillam ſic appellet, vt epiſt. 162. et lib. 1. contra Parmen. cap. 3. Quãquam Optatus lib. 1. de eadem loquens, potentem & factioſam appellat.

quem perpeſſus fuerat inimicum] Degradatus ab eo, vt ait Auguſt. epiſt. 162.

Egerat hoc ſanè apud collegas eius] Plurimum lucis adferent, ſi cum his conferantur, quæ habet Auguſt. epiſtola prædicta, vbi ſic ait: Extant geſta apud Zenophilum conſularem, vbi Nundinarius quidam diaconus à Syluano Cirtenſi epiſcopo quantũ ipſis geſtis intelligitur degradatus, cùm ei ſatisfacere per aliorum epiſcoporum literas fruſtra conatus eſſet, multa prodidit iratus, & in iudicium publicum protulit. Inter quæ id quoque commemoratum legitur, quòd Lucillæ pecunia corruptis epiſcopis, in Carthaginienſi eccleſia in Africæ capite altare contra altare leuatum eſt.

IN CAP. XXIX.

Conſtantio Maximo Auguſto, & Conſtantino iuniore nobiliſſimo Cæſare conſulibus] Non dubito legendum, Conſtantino B Maximo. Nam de Conſtantio, Conſtantini patre, intelligi non poſſe, liquet tum ex faſtis Conſularibus, in quibus duo hi nuſquam coniungũtur, tum ex temporis ratione, quod non patitur quenquam tunc ob crimen traditionis in publicum iudicium Proconſulis trahi, aut in exilium mitti potuiſſe. Nam poſtquam Diocletianus abdicauit, Africæ non Conſtantius, ſed Galerius Auguſtus præfuit, homo impius & perſecutor Chriſtianorum: quanquam alioqui breuiſſimum fuiſſe oportuit Syluani epiſcopatum. Quare de Conſtantino maximo ſermonem eſſe oportet, qui conſulatu ſuo ſexto (quem hic addendum etiam puto) collegam habuit Conſtantinum filium ſuum tunc Cæſarem tantùm: qui annus fuit imperij eius decimuſquintus, quo tempore ternio iam iudicio damnati erant Donatiſtæ. Niſi quis malit inuerſo ordine legi, Conſtantino maximo Auguſto, & Conſtantio iuniore nobiliſſimo Cæſare conſulibus; quod tempus ſex annis poſterius eſt.

Idibus Decembris] Ex ſcribarum compendiis natum eſt mendum in excuſis, quæ habebant, Idus Decembris.

ex tota Mociacienſi] Locus videtur corruptus.

Et legit Nundinius exceptor] ſic MS. omnes, pro Nundinarius, quæ hîc nomina ad diuerſos pertinent.

Paulus epiſcopus dixit] Ex MS. adiecimus dixit.

Syluano & Carioſo] MS. legunt, Caroſo.

Miggene, Saturnino] ſic MS. omnia, pro Saturnio. Conſentiunt vetera Amorb. & Frobenij.

& cæteris Foſſoribus] Foſſorum eccleſiaſticum olim officiũ fuit, vti & Oſtiariorum. Nam mortuos Chriſtianos à clericis ſepeliri ſolitos teſtis eſt Epiph. in epitome doctrinæ cathol. & Hieron. in muliere ſepties icta: & epitaphio Fabiolæ.

contra ſcribente Victore Aufidij in breue ſic] Breue, ſeu breuis, iuris vocabulum eſt, ſignificatq; libellum, ſyngrapham aut chirographum. Vtitur eo & Conſtantinus epiſtola ad Cæcilia. quæ extat libr. 10. apud Euſebium cap. 6. ſimiliter & Optatus lib. 1. qui eandem paulò antè commemoratorium appellarat. Pro quo apud Auguſt. & in conciliis Africanis occurrit frequenter commonitorium.

Calices duo aurei, item calices ſex argentei] Hinc diſcimus & olim quoq; ſub ethnicis adhuc imperatoribus, & Chriſtianos perſequentibus, aurum & argentum in cultu diuino vſurpatum.

Poſteaquam peruentum eſt in bibliothecam] Ita hunc locum reſtituendum, intelligi poteſt ex lib. 4. infrà cap. 56. pro eo quod erat, Poſteaquam apertum eſt in bibliotheca. quanquam & Amorb. legebat, bibliothecam.

D Ibi protulit Syluanus capitulatam argenteam] Infrà eodem loco lib. 4. habes, capſulam argenteam. Sed cùm loci huius MS. cõſentiat etiam epiſtola 165. reliquimus priorem lectionem.

diceret ſe poſt arcam inueniſſe eas] Illud eas, adiecimus ex eodem loco: niſi quòd vetera quo, pro quod, legebãt; fortè quę, vel quas.

Victor Aufidij Syluano dixit] Sic MS. per genitiuum, quomodo paulò antè etiam excuſa; tametſi & infrà lib. 4. Aufidius, ſcriptum legatur.

Felix flamen perpetuus curator Syluano dixit] Excuſa legebant pro Syluano: ſed redundat illud pro, vt liquet ex memorato lib. 4. cap. 56.

Nihil hic remanſit, totum hoc eiecimus, &c.] In excuſis erat totum hoc eiecimus, & cætera. Vbi illud, & cætera, non ad præcedentia pertinet, ſed nota eſt præciſionis, eòque compendioſius ſcribi curauimus.

Et alio loco. Exemplar libelli traditi epiſcopis] Non dubitaui

A locum hunc ita reſtituere. Scribæ compendij cauſa, vocem exemplar, dimidiam ſcripſerant tantùm, hoc modo, exem. ex quo à parum attentis factum exemi. Vnde nullo ſenſu legebatur in omnibus excuſis & MS. noſtris, Et alio loco exemi libelli, &c.

& de quadringentis pholibus] Pholis certæ pecuniæ menſura & modus eſt, quemadmodum talentum, libra, marca. De quo Suidas in ſuis collecta. & in hac, & in voce κέρματι. Epiphanius quoque ſub finem libelli De menſuris & ponderibus. Et Alciatus in Rud. de præt. & hon. præt. l. 12. Ex quibus omnibus intelligi datur, pholeis in triplici fuiſſe differentia, partim in auro, partim in argento, partim in obolis. Hoc loco ſecundũ primum vel ſecundum genus accipitur: vt & in epiſtola Conſtantini Magni ad Cæcilianum Carthaginienſem epiſcopum, apud Euſeb. libr. 10. cap. 6. qua donare ſe eccleſiæ eius ſcribit tria milia pholium. Poſtremi ordinis pholeis ſunt, quorum meminit Auguſtinus lib. vltimo De ciuit. Dei, cap. 8. vbi pauper quidam ad memoriam viginti martyrum pro veſte deprecatus, piſcem mari eiectum nactus, vendidit eum 300. pholibus, vnde lanam futuræ veſti comparauit.

Nam & Victor fullo veſtri præſentia] Deeſſe videtur præpoſitio in. Pro fullo autem, quod legunt conſtanter manuſcr. follo habebant excuſa.

B Et actis & literis] Fortè, Ex actis.

Quis adminiſtrabat? Tunc Syluanus in clericatu reſpondit] MS. conſentienter legebant, Qui adminiſtrabat? quomodo habes & infrà lib. 4. cap. 56. Cæterùm voculam tunc, maluiſſem prioribus nectere, ſed non ſuccurrente vllo MS. imò conſentiente infrà memorato cap. 56. lib. 4. veterem lectionem reliqui. Quod autem ibidẽ legitur, in clericatu Victor, etiam MS. ſimpliciter hic afferunt, non addẽtes, Victor.

IN CAP. XXX.

quam dixit in Cæcilianum & collegas eius] In excuſis & MS. omnibus mendoſiſſimè legebatur, quam dixit in eccleſia. Num & collegas eius. Et torſit me diu locus iſte, ſed ex ſuperiorum collatione veram tandem lectionem, ac deprauationis occaſionem deprehendi. Vox Cæcilianum, ita ſcripta erat, vt Cæcilia, verſum clauderet, poſtrema verò eius pars num, ſequentis eſſet initium: quo factum in primis vt duæ viderentur eſſe dictiones, quarum cùm prior nihil ſignificaret, mutata eſt à quopiam in eccleſia, ac ex ſequentibus noua periodus inchoata. Legendum ergo eſſe vt reſtituimus non ſolùm res ipſa loquitur, ſed manifeſtè colligi poteſt ſuprà ex cap. 27. vbi rem hanc tractare incipiens, Hos tu traditores, inquit, qui cum aliis apud Carthaginem in Cæcilianum & ſocios eius dixerunt ſententias, inter quos & Syluanus Cirtenſis fuit, &c. Et mox, quia interpoſuiſti ſententiã eius C quam in concilio inter cæteros epiſcopos cõtra Cæcilianum & alios communionis eius participes dixit. Idem argumentum verſat & infrà lib. 4. cap. 56, vbi eandem quoque ſententiam repetit. Lib. verò De vnitate eccleſiæ cap. 18. eadem propè verba, reperiuntur quibus hoc loco Auguſt. eſt vſus, eoſdemque, inquit, inter iudices fuiſſe illos qui apud Carthaginem contra Cæcilianum & collegas eius abſentes ſententias contulerunt.

Sed poſteaquam Vrſatio & Zenophilo perſequẽtibus communicare noluiſſet, actus eſt in exilium] Intelligi hinc poteſt, non potuiſſe hanc hiſtoriam in tempora Conſtantij Auguſt. patris Conſtantini Magni, incidere, vt ſuprà ad initium cap. 29. annotauimus.

vt falſum honorem in ipſa parte Donati] Hoc eſt quod multos vel in hæreſi aut ſchiſmate retinet, vel eò pellicit ac inuitat, quòd ſe in Catholica ſine honore ac dignitate futuros vident, apud hæreticos verò vel ſchiſmaticos facilem ſibi ad hæc aditum fore. Atqui ſatius eſt poſtremum illic, quam primùm hic locum obtinere. Vnde Pſalmiſta, Elegi, inquit, Pſalm. 83. abiectus eſſe in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

cur non & à veſtris] In excuſis deerat copula, &.

D aut & hinc & inde manifeſtis] MS. conſtanter legunt, manifeſtatis; ſed veterem retinuimus lectionem.

IN CAP. XXXI.

Iſta dicerem] ſic MS. pro quo minus rectè, Ita dicerem. Sequitur enim quod illi eſt ſimile, nec iſta iam dicerem.

vos etiam ipſi alienum ſcelus, quod ignoratum nemini obeſſe conceditis] Locus mutilus, niſi redundet quod.

IN CAP. XXXII.

cùm alienum ſcelus quod heri neſciebam, hodie doceatis] Legendum videtur, neſciebat, ſequitur enim, neſciens à quali acceperit.

Modò abs te hoc didicit] Pro hic didicit.

Si propter eos quos modò] Locus corruptus ac mutilus, nec adiuuant MS. quæ nihil ab excuſis variant, niſi quòd pro eo quod eſt in fine periodi, quos nunc prodis, legũt quos modò prodideris. Eraſmus, ſeu alius quiſpiam, hæc ad marginem annotauit: Vide num ita legendum, Si propter eos quos nunc mihi prodis, baptizatis eos qui neſcien-



neſcientes ab adulteris acceperunt, cur nunc prodis? Sed pugnat hæc coniectura cum calce cap. 36. vbi negat rebaptizari ab eis ſolitos qui neſcientes ab adulteris baptizati eſſent. Ex quo loco ita fortè expleri lacuna hæc queat: Si propter eos quos modò mihi prodis, baptizare eos qui neſcientes ab adulteris baptiſma acceperunt, non audes, cur baptizas qui neſcientes à traditoribus id acceperunt, quos nunc prodis, vel vt legunt MS. quos modò prodideris?

Quid ad hæc dicitis, niſi non eſt ſanctum, non eſt mundum niſi quod voluero, & quomodo voluero?] Ex MS. adiecimus, & quomodo voluero. Alludit autem ad illud à Ticonio in Donatiſtas iactatum, Quod volumus ſanctum eſt: de quo ſuprà ad cap. 13. lib. 2. contra Parmenianum.

IN CAP. XXXIII.

Non olim defuncti ſunt] Perperam in excuſis, Nam olim.

IN CAP. XXXIIII.

& ab eorum ſe communione] Adiecimus ex MS. ſe.

Diſce ergo quod neſcis, Sardicenſe concilium Arrianorum fuit] Locus difficilis & perplexus, de quo non nihil Nicolaus Cuſanus lib. 2. De concordantia eccleſiæ cap. 15. & Ioannes Eckius lib. 2. De primatu pontificis, cap. 20. ſed difficultatem non expediunt. Nam primũ quidem inter decem & eo amplius concilia quæ Arriani breui temporis ſpatio variis locis celebrarunt, nullum Sardicenſe reperitur. imò verò tãtum B abeſt vt inter ea reponi debeat, vt Catholicum fuerit vel maximè, & cõtra Arrianos ſollicitantibus Paulo Conſtantinopolitano & Athanaſio Alexandrino pulſis ac profugis, agente Iulio pontifice; mandante Cõſtante, annuente Conſtantio AA. ex toto orbe contractum. Fuit quippe œcumenicum & vniuerſale, ad quod refert Socrates lib. 2. cap. 16. & Zozomen. lib. 3. cap. 11. trecẽtos conueniſſe Occidentis epiſcopos, Orientis 76. neq; id contra Athanaſium, ſed ad eius declarandam innocentiam, et ad eum in ſuam ſedem reſtituendum. Quod ſanè nec in Africa ignotum eſſe potuit: miſſa eſt enim eò hac de re Sardicenſis concilij nomine epiſtola, quam inuenire licebit apud Athanaſium Apol. 2. Imo verò interfuere eidem concilio Africani etiam epiſcopi numero 36. vt ibidem Athanaſius enumerat. cuius rei meminit & Priuatus epiſcopus in ſynodo 1. Carthaginienſi cap. 5. Non poteſt igitur de hoc concilio locutus fuiſſe Auguſtinus intelligi, vt qui de quo agit Orientalium appellet, & contra Athanaſium maximè contractum dicat. Aliud porro Sardicenſe quod fuerit, non memini me in vlla legere hiſtoria. Quare cùm certi nihil adferre poſſimus, ad coniecturas nos conuertamus oportet. Et primùm quidem excutiendum ánne mendum fortaſſe hic aliquod ſubſit, vt pro Sardicenſi, Syrmienſe, vel Seleucienſe, vel ſimile quippiam legatur. At Syrmienſe, contra C Photinum, non contra Athanaſium collectum fuit. Seleucienſe quoq; aduerſus Athanaſium quicquam ſtatuiſſe, neque ex hiſtoria eccleſiaſtica, neq; ex Athanaſij libello de Synodis cognoſci poteſt. Neque verò Sardinienſe legi queat: Sardinia enim inſula eſt in mari Tyrrheno ſeu Liguſtico, in Africæ conſpectu. quò ſynodum aliquando conuocatam fuiſſe ſcriptũ à nemine arbitror, nedum Arrianorum: quæ enim cauſa foret vt tam procul è ſedibus ſuis conuenirent Orientis epiſcopi, in eum maximè locũ qui præterquam quòd inſaluberrimus eſſet, epiſcopos ſemper habuiſſet Homouſianos, ac inter cæteros Luciferum Caralitanum Arrianis adeò aduerſum, vt ſchiſma in eccleſia faceret quòd ad priſtinos honores reciperẽtur epiſcopi, qui in Ariminenſi concilio Arrianorum fraudibus circumuẽti, vel ignari, & neſcientes eis conſenſiſſe videbantur? Probabilius fortè quis Sardenſe legendum putarit. Sardis enim Aſiæ eſt oppidum, cuius eccleſiæ meminit etiam B. Ioannes cap. 3. Apocalypſis. Sed non arbitror celebrati vſquam hic concilij mentionem fieri. Verùm omnem mendæ ſuſpicionem tollit in primis quòd hanc Auguſtini ſententiam Iuo Carnotẽſis epiſcopus in decretum ſuum ante annos multos referens, non aliter citarit quàm vulgo nunc legitur. Deinde quòd eandem infrà lib. 4. contra D Creſcon. cap. 44. repetens, & epiſt. 163. einſdem concilij velut Arriani mentionem faciens, Sardicenſe ſemper appellat. Denique quòd eandem lectionem habeãt etiam MS. noſtra, quæ iiſdem locis Sardicenſe aut Serdicenſe concilium legunt. Nihil ergo coniecturæ iſtæ nos adiuuant, quare ad aliam nos conuertamus oportet. Refert Socrates lib. 2. cap. 16. & Zozomenus lib. 3. cap. 10. & 11. vt ſuprà diximus, ad Synodum Sardicenſem 300. epiſcopos ex Occidente conueniſſe, ex Oriente verò 76. ſed diuiſos fuiſſe poſtea in partes duas. Et Occidentales quidem Nicænam fidem confirmaſſe, & Athanaſio ſuam fidem reſtituiſſe; Orientales autem contraria decreta ſtatuiſſe, eaq; de re ad omnes mox prouincias dediſſe. Credibile eſt autem in Africam ad Donatiſtarum potius epiſcopos, ac in primis ad Donatum Carthaginis, quàm ad Catholicos ſcripſiſſe: tum quòd Sardicam illi euocati non eſſent, tum quòd non pauci eorum in fide Trinitatis, vt teſtis eſt Auguſtinus, ab Arrianorum ſententia eſſent non admodum alieni: filium quidem & ſpiritum ſanctum eiuſdem cum patre agnoſcentes eſſentiæ, filium tamen patre, & filio ſpiritũ ſanctum minorem facientes. Deniq; quòd Catholicos non minus quàm ipſi odiſſent. De hoc igitur Orientalium cœtu, non de toto ipſo Sardicenſium

A PP. conuentu videri queat locutus Auguſtinus, præſertim cùm & Orientalium epiſcoporum concilium appellet. Sed obſtat rurſus, quòd Orientales vt loco præfato Socrates narrat, relicta mox Sardica (quæ Illyrij eſt ciuitas) Philippopolim Thraciæ vrbẽ contenderint, atque ibi concilium agitarint: eoq; non tam Sardicenſe, quàm Philippenſe aut Philippopolitanũ dici debuiſſe. Verùm fieri poteſt vt Synodum ſuam Philippopoli abſolutam Sardicæ tamen inchoarint, ac propterea Sardicenſem inſcripſerint; tum vel maximè vt ignaros & incautos ipſos ſaltem titulo fallerent. Quamquam Zozomenus lib. 3. cap. 10. eam rem paulò aliter refert: ait enim ſubſtitiſſe ac deinde Sardicam veniſſe, ibiq; decreta contraria condidiſſe, ac miſſis quoquouerſum literis, omnes monuiſſe, ne Occidentalibus parerent. Probabilius tamen eſt, Philippopolim rediiſſe, ait enim quòd excommunicarint Iulium Pontificem, Hoſium Cordubenſem, Protogenem Sardicenſem, vti refert & Auguſt. epiſt. 163. quod in Occidentis ciuitate conſtituti facere auſi non fuiſſent. Certè eò rediiſſe apertè teſtatur epiſt. concilij Sardicenſis apud Athanaſ. Apol. lib. 2.

quod totum iamdiu eſt] ſic MS. ſic Amorb. & vetera Frobeniana, ſic & Lutetiana; vnde miror quem ſecutus Lipſius legendum putarit, quod notum, niſi fortè typographicus error eſt. Quanquam locus adhuc durus & aſper eſt, non carens ſuſpicione mendæ.

B contractum maximè contra Athanaſium] Ex MS. adiecimus, contractum. Hinc liquet cõcilium, de quo hic agit Auguſtinus, non eſſe Catholicum hoc Sardicenſe, cui ſubſcripſerunt 344. PP. vt author eſt Athanaſius Apologia 2. ſed pſeudoſardicenſe, de quo paulò antè. Nam in priore illo tanta euidentia purgatus Athanaſius fuit, ac omnium ſententiis in ſuam ſedem reſtitutus, vt Valens quoq; ac Vrſacius, relicto Arrianiſmo, & Athanaſio & Romano pontifici reconciliarentur. Poſterius illud protulit in priuata quadam diſputatione Fortunius Tuburſicẽſis Donatiſtarum epiſcopus, vt videre eſt apud Auguſt. epiſt. 163. quæ cum hoc loco diligenter eſt conferenda.

Africanam hæreſim Orientalis hæreſis ſibi tentauit adiungere] Donatiſtæ odio Catholicorum Arrianis ſeſe iunxerunt, etiam ante concilium Sardicenſe. Qua de re dicturi ſumus in Commẽtario noſtro rerum Donatiſticarum.

ad Carthaginis epiſcopum Romano prætermiſſo, nunquam Orientalis Catholica ſcriberet] Catholica ergo etiam Orientalis eccleſia Romani pontificis ſupra Africanas agnouit authoritatem ac præeminentiam.

vbi ſaltem veſter ſcribi debuit] Donatiſtæ Romanum etiam epiſcopatum attentantes, curarunt & ibi æmulum epiſcopum habere: de C quo plura in noſtra hiſtoria.

Damnatæ cauſæ non potuerint ſeruare conſtantiam] ſic MS. pro eo quod erat in omnibus excuſis, conſcientiam. Repetuntur eadem verba & infrà lib. 4. cap. 44. vbi excuſa quoq; conſtantiam legunt.

IN CAP. XXXV.

quam ridiculè putaſti ridiculum] Ita rectius manuſcr. quàm excuſa, ridiculosè.

Neque enim ipſi hanc eccleſiam condiderunt] ſic legunt conſtanter MS. eſtq; id commodius, quàm quod eſt in vulgatis, Neque enim epiſcopi.

Vos autem quos tam manifeſtæ eccleſiæ] Ita malim cum MS. quàm aduerbialiter, manifeſtè.

plenam tritico & palea. Non dico ſi alios qui ſuam ſarcinam portant] MS. quædam ita legunt, plenam tritico. Et paleam non dico ſi alius quiſquam ſarcinam portat. Sed magis placet aliorum lectio vulgatis conſentiens.

IN CAP. XXXVI.

habere argentum largiter velle] Ita eſt hic locus diſtinguendus, D vt velle, cum præcedẽtibus, non cum ſequentibus hæreat; vti ex Cypriano ipſo liquet.

fundos inſidioſis fraudibus rapere] Ita Cyprianus, & alibi frequenter repetit Auguſtinus. In vulgatis erat parare, loco rapere.

IN CAP. XXXVII.

quod ex perſona mea tibi propoſuiſſes] Neſcio an nihil hic deprauatum ſit.

ſed ille qui tradidit, te creauit] Cæcilianum intelligit, vt liquet ex lib. 4. infr. cap. 45. in fine.

Ego autem nec eius innocentiã] Lutetiana nõ rectè innocẽtia.

ne cuiuſque in ſanctificatione] ſic rectè MS. pro cum cuiuſque.

& non vis venire in maledictum] Ita cum MS. Amorbach. vetera Frobeniana cũ Lutetianis. Corrupit ergo locum qui in vulgatis non, mutauit in nos.

cùm te aliunde non inuoluas, ne cùm reſilieris, in aliud recidas] ſic manuſcr. ſic vetus Amorbach. & Frobenij editio, niſi quòd poſterior hæc pro inuoluas, legit inuoluis. In vulgatis autem etiam quod ſequitur reſilieris, mutatum erat in ſilueris. Quanquam videtur adhuc corruptus eſſe locus.

IN CAP. XXXVIII.

In legalibus patrum veſtrorum ne ambulaueritis ] Locus eſt Ezech. 20. pro quo Hieronymus legit, In pręceptis, ſiue legitimis patrum veſtrorum nolite incedere. Præcepta autem Patrum, & legitima & iudicia eorum, errorem inolitum ſignificat, monens ne peccata eorum imitentur, quorum tormenta perſpiciunt. Proponitur idem argumentum & infrà lib. 4. cap. 45.

ſeparatione ſacrilega conſtituere] ſic MS. ſic Amorb. & vetera Froben. pro conſtitueret.

tenemus ſequimurque doctrinam ] Miror cui perſequimur magis arriſerit, quàm ſequimur, cùm non modò MS. verùm etiam vetera Amorb. & Froben. legunt.

atque communione] Id adiecimus ex MS.

IN CAP. XXXIX.

mea cognitio non iudicauit] Pro iudicaſſet. Sic enim ſup. Auguſt. lib. 1. contra Petilian. cap. 17. vnde eſt locus iſte petitus.

qui ea facta correxerint] Sic MS. pro qui & facta.

quòd ſi de nobis agitur] Pendet adhuc ſententia; quare non erat hic noua periodus inchoanda.

adde, qui nec facta cognouerint ] Pro cognouerunt, præceſſit enim correxerint, & fecerint. Cęterũ pro adde, fortè legendũ addo.

IN CAP. XL.

antequam Bagaienſe concilium faceretis] Pro feceritis.

quos baptizauit Primian⁹] Perperã vulgata, quod baptizauit.

non proficiatis in malis] ſic MS. conſentit & Amorb. & vetera Frobeniana. Non rectè hodie impreſſa, perficiatis.

IN CAP. XLI.

quos fallere voluiſti ] Mendosè noluiſti.

laudabiliter pro pace tolerari] Deeſſe videtur vnitatis. Id enim & præcedentia & ſequentia poſtulare videntur.

qui vos iniquè perſequentes] Pro nos.

IN CAP. XLIII.

vi congrui vigoris exertas] Amorb. legebat incongrui vigoris: quod corrigere quiſpiam volens, duplicauit errorem, reponens congruo vigore. Sed germanam lectionem ex MS. repoſuimus.

Catholicus epiſcopus à Thuburſicubure] ſic MS. Amorb. autem & vetera Frobeniana, Thuburſuccubure, recentiora verò Thuburſicubare. Sed primam lectionem eſſe germanam liquet tum ex eodem hoc cap. vbi Seruus iſte Thuburſicenſis epiſcopus in MS. legitur; tum ex epiſtola 163. vbi Fortunius quidam etiam in excuſis commemoratur Thuburſicus Donatiſtarum epiſcopus.

baſilicam fundi Calmanenſis] MS. legunt Caluianenſis.

Maximianus epiſcopus Catholicus Bagaienſis] Huius meminit & epiſtola 50.

violenter extortus eſt] Non exortus.

ſubter cinere ſtercoris molliter iacebat exceptus, ſenſu amiſſo vix extremum ſpiritum trahens ] Etiam Amorb. cum MS. legebat cinere, quod poſteriores mutarant in cinerem. In omnibus autem excuſis deerat, exceptus. Et pro ſenſu amiſſo, legebant poſt ſenſum amiſſum. Sed altera eſt MS. lectio.

Agnouit autem cùm pauidus vxorem ſuam acceſſiit] Ita rectius MS. quàm, Agnouit autem, tum pauidus. Nam in tenebris agnoſcere non potuit, niſi adhibita lucerna quam vxor ferebat; quod ex epiſtula etiam 50. clarius euadit.

Nam quem tum inſpicientes] Perperam in excuſis, Ná quem tui inſpicientes. Neq; enim Donatiſtis, ſed Catholicis videndum ſe in tranſmarinis partibus exhibuit.

collegam Thuburſicenſem] Nõ rectè excuſa, Thuburſuccenſem. Seruum epiſcopum intelligit, de quo paulò antè.

Circumcellionum veſtrorum nobilis furor] Amorbachij vetus editio deprauatè legebat, nobis furor: eas voces Frobeniani tranſpoſuerunt, vt eſſet furor nobis, fieretq; vulnus incurabile, niſi manuſcr. ſuccurrerent.

& iſtæ conderentur nouæ] Pro & iſta. Intelligit autem leges Honorij.

imò verò in nos] Mendosè in vos.

IN CAP. XLIIII.

aduerſus vos ita imperialia ſtatuta ] Legendum videtur iſta, vt ad illud reſpiciat quod ſuperiori cap. dixerat, atque ita factum eſt, vt & præteritæ omnes contra vos leges excitarentur, & iſtæ conderentur nouæ.

ſæua facta veſtrorum] Sic MS. pro ſæuè facta.

IN CAP. XLV.

quod eos ad vindicandum nemo pertulerit] Locus hic nõ vno modo, nec in excuſis, nec MS. legitur. Et primùm quidem Amorb. ſic habet, quod ad eos iudicandum nemo pertulerit, vt ad Optatum referatur, quod nemo eũ detulerit ad Donatiſtas, vt de factis eius cognoſci & iudicari poſſet; quomodo apertè reſpondet Petilianus apud Auguſt. lib. contra eum 1. cap. 24. & lib. 3. cap. 40. in fine. Congruit eadem quoque lectio cùm lib. huius 3. contra Creſcon. cap. 13. & 39. vbi ſimilem is reijcit Auguſtini excuſationem, qua vſus fuerat contra Petilianum, ideò ſe damnare nõ poſſe ab ipſis accuſatos, quia defunctorum iam olim cauſam nec cognoſcere, nec iudicare potuerit: cùm tamen in cauſa Optati eadem ſe reſponſione tueatur, nunquam eum fuiſſe ad ipſos delatum, vt iudicium haberi de ipſo poſſet, eoq; reos hinc non eſſe. Alia eſt lectio primæ excuſionis Frobenij quam dedit Eraſmus, ſimulq; Lutetianæ, quòd eos ad iudicandum nemo pertulerit; quomodo legunt duo MS. quæ iam non ad Optatum tantùm, ſed ad omnes etiam Circumcelliones refertur. De his certè tribus præcedentibus capitibus ac ſequentibus agitur. Et mirum cur huic Creſconij tergiuerſationi reſpondens, nihil adferat quod ad Optati perſonam propius faciat, cùm aliàs frequenter obijciat decennalem Africæ gemitum & clamorem ſub eius tyrannide. Diuerſa eſt ab hac poſteriorum Frobenianorum lectio, pro pertulerit, habens, perpulerit: quæ licet habeat non incommodum ſenſum, tamen non videtur ex vllo MS. petita, ſed ex Lipſij diuinatione; nam ſequentia quoque alteri potius fauent, ſequitur enim paulò pòſt, ſed ad ipſos vindicandos nullam perlatam. Poſtrema eſt MS. Gemblacenſ. & alterius B. Amandi, quæ pro iudicandum, legunt vindicandum. vt non ad illud 39. iam caput reſpiciatur, nec ad Optati tantùm, ſed ſuperiora omnia Circumcellionum ſcelera. Cui lectioni ſuffragantur ſequentia vindictæ mentionem facientia, quam vllam apud vos vindictam illa facta meruerunt: & mox, ſed ad ipſos vindicandos nullam perlatam. Eam ergo putauimus eſſe retinendam, vt ſignificetur, nullos eſſe à Catholicis ad iudicia delatos, vt ſupplicium & vindicta de illis ſumeretur. Sed quod vanum eſſe, ſubiecto illuſtri exemplo Auguſtinus demonſtrat.

& eam quaqua verſum poteramus inſtanti diffamaremus inſtantia] In excuſis deerat coniunctio &, proq; diffamaremus, erat diffamauimus. Qua de re facienda, & inſtrumentis inde publicis à Magiſtratibus poſtulandis quibus de facto illo Donatiſtarum teſtarētur, habes concil. Africani canonem 34. & 36.

in Carthaginienſi totius Africæ concilio nobis placuit] Non extat hoc Carthaginienſe concilium; ſed repetuntur ſumma eius capita in concilio Africano: ex iis autem quæ huc pertineant, ſunt canon. 58. 59. & 60. Quos integros reperies in canonibus Apoſtolorum, & conc. quos Latinos nobis dedit Gentianus Heruetus ex officina Guiliel. Morelij, inter Carthag. 94. 95. & 96.

quia ſi hoc fieri vellent] Perperam ſi fieri vellet. Sequitur enim, Si autem recuſarent.

IN CAP. XLVI.

Interea Criſpinus Calamenſis veſter epiſcopus] Eidem ad diſputationem prouocanti offert ſe Auguſtinus epiſt. 172.

Verba viri peccatoris ne timueris ] Locum hunc vſurparat ante eos & Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium pontificem; cuius ſentētias ſolent Donatiſtæ libenter imitari.

ſicut apud vos habetur] Loco habetur, erat in excuſis videtur. Amorbachius vtrunque legebat; quorum alterum cùm redundaret, eraſum eſt quod erat genuinum.

heſterno contra ſtante tyrone] Tyronem dixit pro iuuene. Poſſidius hic Auguſtini fuerat in eius monaſterio diſcipulus, inde ad Calamenſem vocatus epiſcopatum; idem qui vitam eius deſcripſit quæ totis operibus præfigi ſolet.

ſubito poſt paucos dies iter agenti Poſſidio] Eandem narrationem repetitam inuenies epiſt. 166.

tetendit inſidias armatorum ] Ita commodius quàm armorum, quod habebant excuſa. Quanquam & Amorb. & vetera Frobenian. cum manuſcr. conſentiebant.

IN CAP. XLVII.

tantuſque fieret veſtrorum tumultus] manuſcr. conſtanter legunt noſtrorum: ſed veterem lectionem prætulimus, quam & ſequentia poſtulare videntur.

priuato furore Circumcellionibus ſæuientibus] Mendosè vulgata fauore, cùm rectam lectionem haberent præter MS. Amorb. quoque & vetera Froben.

ad eiuſdem Theodoſij filios prouocandum putauit] Arcadium videlicet ac Honorium, ſed quorum poſterior tantùm cognouit, & iudex appellationis fuit. Nam Africæ non Arcadius, ſed Honorius præfuit.

Acceptatum eſt] Pro Acceptum eſt.

Chriſti martyrem non facit pœna, ſed cauſa ] Repetit ſententiam hanc frequenter Auguſt. vt epiſt. 61. ad Dulcitium tribunum, & 167. ad Feſtum. Concione 2. in Pſalm. 34. conc. 1. in Pſalm. 68. Huc pertinet locus lib. 1. contra Parmen. cap. 7. & in Pſal. 43.

in re propria ſecurus ſedeat ] Pro quo mendosè excuſa omnia, iure proprio. Erroratus ex duarum vocum in vnam confuſione.



IN CAP. XLVIII.

quando nec ipſi omnium crudelitatum magiſtro diabolo comparandi ſunt? ] Collatione diei 3. cap. cùm hanc Circumcellionũ crudelitatem Catholici cum diabolica comparaſſent, qua is B. Iob eſt perſecutus, eaq; maiorem eſſe dixiſſent, quod ille oculis ſaltem eius pepercisset: reſponderunt Donatiſtæ id eum maiore crudelitate feciſſe, vt nimirum miſeriam ſuam etiam videre poſſet; tanquam miſericordiæ ipſi laude digni, qui oculos ideò eruerent, ne miſeriam ſuam ſpectare cogerentur. Pertinaciam verò eorum, quòd toties victi nec cederent nec quieſcerent, diabolica maiorem facit Auguſtinus epiſtolà 167.

Reſtitutus quidam in regione Hipponenſi veſter presbyter fuit] Idem refert epiſtolà 68. & 166. vbi Victorianenſis fuiſſe dicitur.

multitudine ſpectante, nihilque reſiſtere audente ] MS. cum veteribus excuſis legebant expectante, ſed magis placet hæc vulgatorum quæ in manibus habentur, lectio.

amictu iunceo dehoneſtatus] Ex hoc loco intelligimus quid epiſt. 68. & 166. burda ſignificet, qua veſtitus illic à Donatiſtis ſcribitur.

IN CAP. XLIX.

Nam de Marculo quòd ſe ipſe præcipitauerit, audiui] De hoc ſuprà lib. 2. contra Petilian. cap. 20.

quam hoc aliquam poteſtatem] MS. cum Amorb. conſtanter legunt, nunquam hoc, ſed rectius eſt quod exemplar noſtrum habet.

IN CAP. L.

Nullis tamen bonis in Catholica hoc placet, ſi vſq; ad mortem in quenquam licet hæreticum ſæuiatur ] Abutuntur hoc loco qui aduerſus hæreticos mortis pœnam negant rectè conſtitutam. Nam licet ea fuerit aliquando Auguſtini ſententia, nihil hic tamen de legum ſupplicio loquitur, ſed de priuatis hominibus, qui Circumcelliones imitati, ipſos viciſſim priuata authoritate interficiebant. Quod apertius habet epiſt. 68. Quantum poſſumus, inquit, monemus etiam laicos noſtros, vt eos (loquitur de graſſantibus Circumcellionibus) illæſos teneant, & nobis corripiendos inſtruendosq; perducant. Eodem pertinet in primis ſæuiendi verbum, quo hic vtitur Auguſtinus, quod ad vlciſcendi pertinet libidinem, non autem legum animaduerſionem. Vnde proxima periodo diſertis verbis, vlciſcendi libidinem, exprimit quæ malum pro malo reddat: paulò verò pòſt addit etiam concupiſcentiam auferendi aliena, ſub prætextu ſarciendæ vnitatis; quod & ipſum à legibus eſt alienum. Nam alioqui ne in latrones quidem, prædones, & ſacrilegos capitis ſupplicio licebit animaduertere; generalis eſt enim Auguſtini ſententia. Imò verò iiſdē his lib. ſibiipſi aduerſabitur, vbi legem ſenioris Theodoſij decem librarum auri mulctam hæreticis imponentem commendat & approbat. Et infrà cap. 58. laudat Primianiſtas quòd correctionis cauſa variis moleſtiis Maximianiſtas ſint perſecuti; quas hic tamen nec ipſas vel qualeſcunque retribui patitur; ſed, vt dixi, priuata authoritate, vlciſcendi libidine, appetitu alienorum. Quod totum ex cap. proximo, potiſſimum autem ex eius calce, ac epiſtola item 154. ſub finem, clariſſimum euadit. Cæterùm lib. 1. contra Gaudentium cap. 19. hæreticos & ſchiſmaticos morte dignos pronunciat. Lib. verò 1. contra Parmen. cap. 7. exemplum habes Conſtantini Magni, qui Donatiſtas quoſdam duci iuſſerit, tametſi Hoſio intercedente, occiſi non ſint.

Neque verò ſi longè à morte cuiuſlibet moleſtiis ] Malim, quibuſlibet.

concupita quiſque auferat aliena] ſic MS. vt & mox, ſed quorumque priuata, pro quorumcunque. Locutiones ſunt Auguſtino familiares.

IN CAP. LI.

idem correctus ſeueram ] Seueram legem ſæuæ & crudeli opponit. Excuſa legebant non rectè veram.

In hoc enim reges] Vides vt laudet ſeueram Nabuchodonoſoris legem in Dei veri blaſphematores. Rectè autē exponit regum officia quatenus Chriſtiani ſunt, vt nimirum leges eorum Deo ſeruiant, iubendis bonis, vetandis malis, non ſolùm quæ ad humanæ ſocietatis pacem concordiamq; pertineant, verùm etiam quæ ad diuinam religionem. Tractat idem argumentum lib. 2. contra literas Petiliani cap. 92. & 97. Lib. 1. contra Gaudentium cap. 34. & 35. Epiſtola 61. & aliàs frequenter.

Fruſtra dicis, relinquar libero arbitrio] Non pugnat cum libertate, ſi ad fidei veritatem redire cogantur qui frequenter admoniti facere id contemnunt. Agnoſcis autem veterem hæreticorum omnium vocē quæ fuit & Petiliani apud Auguſt. lib. 2. cap. 84. & infrà Gaudentij lib. 1. cap. 19. quam hodie libenter vſurpant & noſtri.

Verum dicis, ſed hoc in illo perſequitur] Amorb. habet, ſed nõ hoc in illo perſequitur. Legendum videtur ſi non hoc: quomodo citatur hic locus à Gratiano 23. q. 4. cap. Quiſquis. Apud quem deprauata viciſſim lectio ex his reſtitui debet.

cùm ſunt vtrique Chriſtiani] Pro cùm ſint.

IN CAP. LII.

vel ad alienorum peccatorum] Ita rectius, quàm aliorum.

in qua quidem veſtri] ſic manuſcr. quod malim quàm quidam; nam id facientium ingens erat multitudo.

in nos omnia Romana iura] Non caret hic locus ſuſpicione mēdæ.

illis eſſe conceſſam] Pro illi. Refertur enim nõ ad Maximianum, ſed ad eos qui cum eo communicabant epiſcopos; præſentes tamen in eius ordinatione non fuerant.

neque enim omnes intereſſe potuerunt, aut ex more debuerunt] In epiſcoporum ordinationib. quoſnã & quot intereſſe oporteat, in Nicæna ſynodo conſtitutum fuit, canon. 4. Vt nimirum ab omnibus eiuſdem prouinciæ epiſcopis ordinentur, aut ſi fieri commodè id non poſſet, nõ paucioribus quàm à tribus. Id poſteriora concilia diligenter obſeruari mandarunt: Arelat. 1. canon. 21. Arelat. 2. can. 5. Carthag. 2. can. 12. Carthag. 3. can. 39. Rhegienſe conc. canon. 1. Arauſic. 1. can. 21. Idem conſtituerat etiam Anacletus papa epiſt. 2. cap. 1. Damaſus epiſt. 4. Syricius epiſt. 4. cap. 2. Ioannes 3. epiſt. 1. Gregorius 2. epiſt. 8.

cui verba ipſa] Sic rectius MS. quàm cuius, quod eſt in excuſis; refertur enim ad mentientem, cui ait verba ipſa concilij à Creſconio ne ab eo falleretur, recitari potuiſſe.

IN CAP. LIII.

Deinde cùm multa in eos horrenda ] ſic legebant non MS. modò, ſed vetera quoq; excuſa Amorbach. & Froben. quare miror quis pro Deinde, reponendum putarit Denique.

Beianum Baianenſem, Saluium Auſaphenſem] Ita ſuprà cap. 19. partim legebatur, partim legendum docuimus, vt & quod ſequitur Miggenem Elephantarienſem.

Dei præſidentis arbitrio] Hanc lectionem cũ eadem eſſet in Amorbachij & Frobenij primis editionibus, audaculus quiſpiam emendare conatus, mutauit in, de præſidentis arbitrio: cùm tamen ſimiliter legatur & infrà cap. 62. & lib. 4. cap. 4.

IN CAP. LIIII.

ſi tranſacto die conſtituto] MS. vnà cum veteribus Frobenianis ac Lutetiana editione legunt, trãſacta die cõſtituto. Amorb. traſacta. ſed niſi deſit quippiam, noſtra eſt certè lectio præferenda.

agnoſcentibus quibus licet] Locus obſcurus ac inuolutus, qui & infrà lib. 4. cap. 4. paulò aliter legitur, agnoſcentibus, inquit, quibus licet longè manentibus præcedētibus ſtatutis, vniuerſis vſque, &c. Sed nec hoc ſatis expeditum. Fortè agnoſcentibus quibuſlibet (manētibus ſtatutis vniuerſis) vſq; &c. Niſi quis ita putarit intelligendum: Agnoſcant qui velint, manentibus præcedentibus ſtatutis, vniuerſis huiuſmodi tempus præſcribimus intra quod redire debeant.

IN CAP. LV.

Certè claret, liquet, & cernitur, obſcurari, obtegi nullo modo poteſt. ] Lectio hæc Frobenianorum eſt, cuius Eraſmum authorem arbitror. Amorb. legebat, Certè liquet: clare enim & concerni; obſcurari, obtegi nullo modo poteſt. MS. Camb. & S. Amandi alterũ, Certè liquet, claret enim & concerni, obſcurati obtegi nullo modo poteſt. Gemb. verò non addit, & concerni. Vbi difficile eſt videre quid ab Auguſtino ſcriptum ſit. Et priora quidem illa verba reperiuntur & alibi, vt lib. 4. contra Donatiſtas cap. 10. quãtum arbitror iam claret & liquet. Et lib. 3. contra Petilian. cap. 12. Tanta manifeſtatione clarent quæ dicturus ſum. Sic lib. 5. contra Iulian. cap. 3. Vtrunque claret, breuiter dictum eſt, apertè dictum eſt. Niſi quis fortaſſe malit, Certè liquet clarè & cernitur; aut Certè liquido claret & cernitur; quomodo loquitur apud Auguſtinum Iulianus lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 26. Liquido igitur, inquit, claret. Pro quo Auguſt. memorato cap. 3. lib. 5. contra Iulianum, in quibus liquido appareat. Quanquam ſuſpectum eſt mihi illud & cernitur; nam ſequētes duo infinitiui durè ſine copula nectuntur; crediderim autem infinitiuum aliquem ſcriptum fuiſſe, deprauatum in illud enim & concerni, quod habent MS. & Amorb. reliquis duobus ſignificatione parem: qui quis eſſe potuerit, diuinare non ſatis poſſum.

à quo ſententia illa dicta eſt] Bagaitanæ ſententiæ authorē fuiſſe Emeritum Cæſarienſem Donatiſtarum in Mauritania epiſc. refert Auguſtinus infrà lib. De geſtis cum Emerito.

IN CAP. LVI.

non ſolùm quo decretum concilij conditum eſt ] MS. omnia & Amorbachius pro quo, legunt quia, ſed non rectè, niſi malis quãdo.

Poſt conſulatum Auguſti Theodoſij III.] Ita ſcribendum hunc locum & ſequentem arbitror, non ter, vt in excuſis & MS. niſi legas tertium; aut tertio, vt ſyllaba ſit tantùm integræ dictionis cõpendio ſcriptæ: eritq; tunc punctum ſubijciendum.

& Honorij iterum] Excuſa, atq; adeò MS. addebant ter, vt & aliquanto pòſt in verbis poſtulationis. Sed vtrobiq; redundare tum res ipſa loquitur; tum ex Faſtis conſularibus intelligi poteſt. Quanquam rectam lectionem habes & infrà in excuſis lib. 4. cap. 39. Significatur autem tertius Arcadij, Honorij alter ſeu ſecundus conſulatus, qui incidit in annum Domini 394.

Inuenitur autem poſtulatio apud Herodem proconſulem]

Neſcio

Neſcio an mendum hic aliquod ſubſit: nam infrà lib. 4. cap. 48. Saluij cauſam audiſſe dicitur Seranus proconſul, quem eundem iudicem quoque fuiſſe in Feliciani & Prætextati cauſa liquet ex verbis Titiani aduocati quæ 56. hoc cap. recitantur. Vt vel hic pro Herode, Seranus, vel loco illo lib. 4. pro Serano, legendum ſit Herodes. Cod. Theod. lib. 13. tit. 11. l. 5. extat Arcadij & Honorij reſcriptum ad Herodem, Datũ XVI. Kal. Mart. Arcadio IIII. & Honorio III. A A. Conſſ. Sed quia hic conſulatus in proximum annum incidit, quando Theodorum proconſulem fuiſſe, hoc cap. dicit Auguſtinus, nec Herodi titulus ſuus, vnde agnoſci poſſit, additus legitur; nihil adhuc certi ſtatuere hinc poſſumus.

vide quantò poſt dicta] Excuſa legebant, inde aliquanto poſt, ſed quod eſt contra Auguſtini mentem, vt qui trium hic menſium tẽpus, non vt breue, ſed vt longum vrget; quemadmodum videre eſt paulò infrà, vbi poſt recitata poſtulationis Titianæ verba ſubiungit, Vides nempe, inquit, vſque ad huius poſtulationis diem ab illo præſtitutæ dilationis, quod trium fere menſium tempus effluxerit. Idem clarius etiam intelligi poteſt & infrà lib. 4. cap. 39. 40. & 41. Error hinc ortus eſt, quòd lector parum attentus ex uide, fecerit inde quanto poſt, quomodo habet vetus Amorb. quod emendare quiſpiam volens, duplicato errore, fecit inde aliquanto poſt. Infrà lib. 4. cap. 39. vbi eadem repetuntur, ſimiliter legebatur inde quantum.

quos alienæ præſumptionis error attraxerat] Pro traxerat. Sic enim & infrà lib. 4. cap. 40.

ſi reuerti cuperent intra tempus ad religionis tramitem deſtitutum] Eodem infrà lib. 4. loco, duo MS. pro deſtitutũ, legunt præſtitutum, vt nõ ad tramitem, ſed ad tempus referatur. Quod & malim, niſi obſtaret nonnihil hyperbaton. Clarius foret, ſi dixiſſet intra certum tempus.

iuſſiſti vt geſta recitantur] Nimirum in cauſa aduerſus Saluium Membreſitanum, de quo infrà lib. 4. cap. 4.

exploſo omni contradictionis effectu] Sic rectè MS. pro quo erat corruptiſſimè, expulſo omni traditionis affectu. quanquam Amorb. & Froben. vetera legebant exploſo, Propius ad veritatem accedebat ea lectio quæ eſt infrà libr. 4. cap. 4. exploſo omni contradictionis affectu.

vſque ad Theodorum proconſulem] MS. Theodoſium legebant, ſed alterius frequens in Cod. Theod. eſt mentio.

vſque ad anni alterius diem vndecimum Kalendas Ianuarij] Perperam excuſa, vndecimo.

clerici & ſeniores] In vulgatis deerat copula &.

agentes ſub Rogato epiſcopo] Mendoſè impreſſa omnia, agentes ſurrogato.

cùm à foris erant à communione veſtra] Videtur locus depravatus: neque enim arbitror ſic vſquam loqui Auguſtinum. Nam minus durum eſt quod habet lib. 2. cõtra Petil. cap. 81. foris, inquit, ab eccleſia fuiſſe arbitraris. Et quæſt. 49. ad Oroſium, foris eccleſiam.

IN CAP. LVII.

quòd humana vitia cum diuinis ſignaculis non confudiſtis] Totum hoc deerat in excuſis.

IN CAP. LVIII.

ſine aliqua detractione colligendos] Niſi corrupta ſit lectio, detractio hic non ad linguæ vitium, ſed ad numeri vel honoris potius diminutionem refertur.

per iuſſa iudicum perſequendo] Perperam iudicium. Rectam lectionem habebant etiam vetera excuſa Amorb. & Frobenij.

nefario ſchiſmate diſcidiſtis] ſic MS. ſic Amorb. & Frobenij primæ excuſiones. vnde ergo natum didiciſtis?

IN CAP. LIX.

Ecce iam non dico, ſi perſecutionem facere non licet, fecit Optatus] MS. legunt, cur fecit Optatus. Amorb. & fecit Optatus. Sed magis arridet vulgata lectio, cui conſentit infrà lib. 4. cap. 47.

qui traditores in Africa fuerint] Perperam fecerint, conſentiẽte vetere & Amorb. & Frobenij editione.

ſi perſecutionem qui patiuntur, innocentes ſunt] In excuſis vocula vnius tranſpoſitio ſententiam perturbabat, in quibus non rectè legebatur, ſi perſecutionem patiuntur qui innocentes ſunt.

in Bagaienſi ſacris ædibus pelli inſtabatur] Locus mutilus. MS. quemadmodum & Amorb. legunt iri Bagaienſi.

Cum eo præſente Saluium hæreticum oſtendiſtis] Et hic deeſt aliquid. MS. conſentiente Amorb. loco eo, habent in. Sed nihil nos adiuuat. Quid autem velit Auguſt. intelligi vtcunque poteſt ex lib. 4. infrà cap. 47. & 48.

IN CAP. LX.

vt quid agam talibus] Ex MS. adiecimus vt, quod legebat & Amorbach. & vetus Froben.

quanta vi memorati à veſtris vt locis cederent, gerebatur] Non vacat locus vitij ſuſpicione, & variant MS. Quædam enim pro cederent, legunt cæderentur. omnia autem pro gerebatur, habent gerebantur; quod poſterius eſt etiam apud Amorb.

ſed humiliatione vel expiati vel degradati] Loco ſed, omnino legendum videtur ſeu.

IN CAP. LXI.

quod primi maiores veſtri] In omnibus excuſis cõtrario perperam ſenſu legebatur veſtri: cùm germanæ lectionis admonere Lectorem potuiſſet quod eſt initio capitis huius, Quod veſtri apud Conſtantinum tũc Imperatorem accuſauerunt Cæcilianum.

& eius ordinatorem accuſauerunt, primi apud imperatorem Cæcilianum] Totum hoc deerat in excuſis.

velut ſi Danielem criminari vellent, quia illo innocente liberato] Pro qui illo. Conſentit Amorb. & vetus Froben.

ipſos ab eis leonibus eum calumniantes conſumi voluerũt] ſic MS. ſic Amorb. & Froben. vetera, pro eo quod erat noluerunt. Sed necdum ſatiſfacit ea caſtigatio. fortè voluerit, id eſt permiſerit, paſſus ſit: neq; enim eorum interitum Daniel procurauit. Quanquam & hic ipſe durus erit ſermo. Similis locus eſt epiſt. 68. 48. 50. lib. 2. cõtra Petil. cap. 92. lib. poſt Collat. cap. 31. lib. 1. contra Gaudent. cap. 39.

Obtinemus etiam] Moleſtum eſt huius loci hyperbaton: nam reſpondens huic verbo infinitiuus longè pòſt ſequitur, non debuiſſe accuſatoribus victis, ſed eccleſiaſticis iudicibus credere.

quodlibet de iudicibus] Vt aliâs frequenter, ita & hic & paulò pòſt, quodlibet dixit, pro quicquid: pendet autem ſententia vſq; ad illud, ſiue ſentiatis ſiue fingatis.

præſens iudicio tranſmarino abſolutus eſt Cæcilianus] Deeſt aliquid. legendum fortaſſe, apud quos præſens: quomodo paulò pòſt, apud quem maiores veſtri.

IN CAP. LXII.

omnes Chriſtianos Catholicos] Catholicos addebãt manuſcr. quam vocem habes etiam ſuperiori capite cum priore cõiunctam: diſtinguit autem alteram ab altera lib. De corrept. & gratia cap. 8. Bene, inquit, quòd te non negas eſſe Chriſtianum, & Catholicum iactas.

IN CAP. LXIII.

veſtraque ſanari volentes vulnera] Perperam nolentes, etiam Amorb. & Froben. veteribus conſentientibus.

IN CAP. LXIIII.

in dextram atque ſiniſtram extendens] Pro extendes: quomodo legunt & primæ editiones Amorb. & Froben.

IN CAP. LXV.

radios ſuos porrexit] In excuſis deerat ſuos. Legit enim & Cyprianus & manuſcr.

IN CAP. LXVI.

vel ſi conuincatur] Amorbachius legebat communicatur, vnde poſteriores fecere communicetur.

Quomodo inquis, totus orbis cõmunione veſtra plenus eſt] Perperam noſtra: verba ſunt enim Creſconij. MS. conſentit & Amorb.

In paucis, inquis, frequẽter eſt veritas, errare multorum eſt] Tertullianum videtur imitatus, qui libro De pudicitia rem eandem totidem penè verbis in ſuæ quoq; hæreſis fauorem expreſſit: Veritas, inquit, cum paucis amatur, facilius eſt errare cum pluribus.

Ager eſt hic mundus] In excuſis deerat eſt.

per totum mundum frumenta] Ineptiſſimè vulgata, per totus in mundum.

IN CAP. LXVII.

procedunt aduerſus eos] ſic manuſcr. ſic Amorb. & Froben. priora, non procedent.

ad eos in omnibus confundendos, & ſi ſapiãt corrigendos, appoſiti] Malim oppoſiti.

ac ſic cæteros iuſtiſſimos, quos pauciſſimos reliquerunt] MS. & Amorbach. legunt quo, pro quos: quod ſanè rectius foret ſi pro ſuperlatiuo, pauciores dictum foret.

in frumentis autem Catholicis & interioribus paleis] Duplicis facit generis paleas, quaſdam exteriores & ab eccleſiæ area ſeparatas; quales ſunt hæretici & ſchiſmatici: alias interiores, quales ſunt malæ vitæ Chriſtiani, quamdiu ab eccleſiæ præpoſitis tolerantur. Sentit ergo Auguſtinus hos eſſe in eccleſia. Similem diſtinctionem adhibuit de Zizaniis ſuprà lib. 4. contra Donat. cap. 9.

Alij quippe hic, alij verò alibi, atque alibi hæretici] Hæreſis nulla Catholica. Idem & ſuprà annotatum ad libr. 2. contra Petilian. cap. 88. & infrà repetitur lib. 4. cap. 60. & 61. Vide & lib. 20. De ciuitate Dei, cap. 11.

quos extra illam videmus] Mendoſè in excuſis, illa.

IN CAP. LXVIII.

quos in iudicio] Pro quod. Quorum neutrum habet Amorb.

elegit iudicibus credere] Præterito non præſenti tempore, eligit: conſentiunt enim MS. & Amorb. & Froben. veteres excuſiones.

vſque



vſque ad tempus] In excuſis deerat vſque.

verùm etiam illi ſi qui] Ex MS. adiecimus ſi.

violatæ ipſius vnitatis crimine damnarentur] Amorb. & prima Frobeniana mendoſè legebant violatò, quod reſtituere quiſpiam volens duplicauit errorem; ſcripſitq; violato ipſius vnitate crimine damnarentur.

IN CAP. LXIX.

ſiue à veſtris eadem documenta occultata ſint] Non rectè in excuſis omnibus occulta, quomodo & paulò pòſt, & vtrum propter occultata.

ſiue ab ipſis prauis iudicibus occultati ſint] In omnib. impreſſis legitur non ſint; ſed ſententia ipſa negationem clamitat ſupereſſe, nec habent manuſcr.

aude ſi vllus in te Dei timor eſt] ſic MS. Id in excuſis omnibus deprauatum erat in aut ſi vllus.

quod imperatori Conſtantino] Per datiuum, non ablatiuum, vt habebant impreſſa vniuerſa.

ipſe quoque eũ vt Brixiæ in exilio degeret, ſua ſententia condemnauit] Hanc calumniam etiam in Carthaginienſi poſtea Collatione Donatiſtæ obijcere non dubitarunt, Collat. diei 3. cap. 20. ſed probare iuſſi, minimè potuerunt. Qua de re plura in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum. Cæterùm in excuſis omnibus non rectè legebatur Brixæ.

quando & Felicem Abtugnenſem] Graues & hic eſt à Donatiſtis eorumq; maioribus calumnias paſſus. Nam cùm in conciliabulo ſuo Carthaginienſi contra Cæcilianum damnationis cauſas conquirerẽt, traditionis crimen non ei modò, ſed & Felici quoque impoſuerunt; vt Cæcilianus non iam velut traditor tantùm, verùm etiam tanquam à traditore ordinatus, epiſcopatum videretur non legitimè adſecutus. Quare vtrunque & abſentem & inauditum epiſcopatũ deiecerunt. Quin & poſtea cùm Cæcilianum ad Conſtantinum detuliſſent, ac inter cætera, dixiſſent etiam à traditore ordinatum, eoq; epiſcopum eſſe non poſſe; Imperator miſſis in Africam literis iuſſit ea de re diligentiſſimè inquiri. Cognitione per Proconſulem habita, deprehenſa eſt Felicis epiſcopi innocẽtia, detectaq; calumnioſiſſima Donatiſtarum improbitas. Cæterùm fuit hic Felix Abtugnenſis, vt hoc loco dicitur, epiſcopus haud procul Carthagine; nam hoc nomen admodum variè ſcriptum paſſim reperitur. Qui enim hic Abtugnenſis, idem alibi nunc Abtugenſis, interdum Abtugienſis, aliquando Abtungenſis, nonnunquam Abtungitanus, aliàs Abtugitanus, nec rarò Abtugnitanus, appellatur: quæ rurſus ſæpenumero per literam p, efferuntur, hoc pacto, Aptugnenſis, Aptugenſis, Aptugienſis, Aptungenſis, Aptumnitanus, &c. In qua tanta varietate priores ego lectiones prætulerim, eo argumẽto, quòd hoc nomen non infrequenter hoc etiam modo legatur Autũnenſis, & Autumnitanus. neque enim ignota eſt literarum u, & b, affinitas & cognatio, quod & alibi annotauimus.

IN CAP. LXX.

Ex profeſſione Cæciliani qui acta falſa eſſe dicit] Cæcilianus iſte ex Magiſtratu fuit Abtungitano, diuerſus ab illo Carthaginienſi epiſcopo, vt liquet infrà ex Imperatoris reſcripto.

atque epiſtolæ plurima addita] Sic rectè MS. pro quo perperam in excuſis omnibus, atque epiſtolæ plurimæ additæ.

Imperatores Cæſares Flauius Conſtãtinus Maximus, & Valerius Licinianus Licinius] Reſcriptum hoc deprauatiſſimè legebatur. idem extat aliquanto tamen caſtigatius epiſtola quoq; 68. Cùm autem ex MS. noſtris nihil aut perparum eſſet ſubſidij, ſcripſi ad amicũ quẽdam noſtrum Romæ agentem, vt Vaticana conſulere, & ſi quid iuuarẽt perſcribere ad nos dignaretur: ſed cùm eſſent ea noſtris nihilo caſtigatiora, coacti ſumus collatis inter ſe libri huius ac epiſtolæ 68. locis reſcriptum hoc vti potuimus reſtituere, vbi non parum quoque adiuti ſumus amici illius noſtri coniecturis, quas ad nos tranſmittendas curauit. Et primùm quidem rectius hoc loco Flauius, legitur quàm Flauij, quod habebat epiſtola 68. prænomen enim hoc Conſtantini fuit tantum non etiam Licinij. Pro eo autem quod ſequitur Conſtantinus Maximus, quomodo habet epiſtola 68. excuſa loci huius legebant Conſtantinus & Maximianus. MS. verò Conſtantinus & Maximinus. Vbi quid cui præferendum, non videtur ita promptum ac expeditum. Nam pro lectionibus poſterioribus facit, quòd Imperatores olim in legibus ferendis reſcriptisq; condendis, etiamſi vnius authoritate tantum id fieret, collegarum ſi qui erant in imperio, nomina coniungere ſolebãt. Quemadmodum Licinium hic additum videmus, cuius tamen in hiſtoria Donatiſtarum, nulla fit vſquam mentio. Quo tempore autem reſcriptum hoc editum fuit, quatuor habebat orbis Imperatores, Flauium Conſtantinum, Maximianum Galerium, Armẽtarium cognomine, Iouium Maximinum ſororis Galerij filium, qui Cæſar ab illo factus, ipſe ſibi nomen Auguſti aſſumpſit, & Licinium quem idem Galerius Seuero Maxentij factione oppreſſo ſurrogarat. Quare ſiue Maximianum, ſiue Maximinum legeris, nihil obſtat hiſtoriæ ratio. At verò altera lectio Conſtantinus Maximus, quæ extat epiſt. 68. nec ipſa ratione deſtituitur; nã Maximi cognomentum additum ei à Senatu fuit, quando victo Maxentio vrbem ab eius tyrannide in libertatem vindicauit: vnde & in vetuſtis inſcriptionibus ita nomen eius legitur: Flauius, Valerius Conſtantinus Maximus, Pius, Felix, ſemper Auguſtus, Conſtantij Pij F. Certè Maximi cognomẽtum additum habes & ſuprà cap. 29. Quid quod probabiliorem facit hanc lectionẽ, quòd Conſtantino ob diuerſam religionem nunquam cum Galerio vel Maximino bene conuenit; imò cùm à perſequendis Chriſtianis non deſiſterent, bellum eis indixit, vt non diſſimile vero ſit à nominibus eorum in reſcriptis ſuis abſtinuiſſe, iis præſertim quæ ad religionis noſtræ negotium pertinebant. At verò Licinius eo tempore adhuc nobis fauebat, pugnans pro Chriſtianis, eratq; ipſi Conſtantino affinitate coniunctus, accepta in vxorem ſorore eius Conſtantia, ex qua & filium ſuſcepit Licinianum nomine, quem adhuc puerum Conſtãtinus vnà cum Criſpo ſuo Cæſarem pronunciauit. Sed de his plura in hiſtoria noſtra. Certè extat apud Euſebiũ lib. 10. cap. 5. edictum pro Chriſtianis, authoribus Conſtantino & Licinio, cæterorum licet ſuperſtitum nulla facta mentione. Sequitur & Valerius Licinianus Licinius; prius erat Valerius Licinianus, pro quo MS. Valerius Lucianus Licinius. Amorbachij & Frobenij vetus editio vnà cum Lutetianis, Valerius, Lucianus Licinius. germanã lectionem habebat epiſt. 68. ex qua noſtram hic reſtituimus. cui aſtipulantur etiam vetuſtæ inſcriptiones; tametſi variat nonnihil quam ei dat Pomponius Lætus: Marcus Iulius Licinius Licinianus.

Ælianus prædeceſſor tuus, merito, dum vir perfectiſſimus Verus, Vicarius Præfectorum] Legebatur totus hic locus mendoſiſſimè, tum in MS. tum excuſis omnibus, in quo reſtituendo non parum laboratum eſt. Et primùm quidem MS. quædam, vt & aliis locis excuſa Helianus legebant, ſed alteram lectionem retinuimus, quam habes non ſemel in Cod. etiam Theodoſiano Contij, ad quem varia illic extãt Conſtantini imperatoris reſcripta. Pro prædeceſſor, malit fortè quiſpiam præceſſor; ſed nullum ſuffragatur exemplar: quanquam minutiora hæc ſunt. Sequentia prius ita legebantur, merito cum de perfectiſſimis viris vicarius, &c. Pro his reponendum videri poterat, merito duumuir perfectiſſimus: Sed obſtabat in primis Duumuiratus officium, & Curiale quod cum Proconſulari non poſſet coniungi, & omnino humilius quàm quod in eius perſonam competeret: deinde officium Vicarij præfectorum, quod erat prorſus à Proconſulari diſtinctum, & ſimul ab eodem adminiſtrari non poterat. Reiecta ergo hac coniectura lectionẽ amplexi ſumus epiſtolæ 68. merito dum vir perfectiſſimus. Fuit autem is olim honoris titulus, quales erant; ſpectabilis, illuſtris, præſtantiſſimus, clariſſimus; quos Imperatores per codicillos bene meritis conferebãt, dicebanturq; apud veteres titulus, dignitas, codicilli clariſſimatus, præſtantiſſimatus, perfectiſſimatus. De quibus apud Iureconſultos, & Cod. Theod. lib. 6. & 12. tit. 1. l. 180. 183. & 187. Cæterùm de Perfectiſſimi dignitate ſeu titulo habes Cod. Theod. lib. 6. l. vltima Conſtantiniani edicti verba quædam. Codicillis perfectiſſimatus vtantur, inquit, qui impetrauerint, ſi abhorreant à conditione ſeruili, vel fiſco aut curiæ obnoxij non ſint, vel ſi piſtores non fuerint, vel non in aliquo negotio conſtiterint, nec ſibi ſoli honorem venali ſuffragio emerint; nec rem alicuius adminiſtrauerint. Recitatur & alterum eiuſdem Imperatoris decretũ, lib. Nouellarum Marciani, De matrimoniis, tit. 4. quo vetatur ne quis Senatorum, Præſtantiſſimorum, aut Duumuirorum humilem abiectamq; vxorem accipiat. Extat eiuſdem conſtitutio Cod. Theod. lib. 6. tit. 17. l. 1. qua iubetur vt de moribus ſuis ac honeſtate vitæ Senatores quidem apud Præfectum prætorio edoceant; Perfectiſſimi verò apud Vicariam præfecturam, id eſt apud Præfecti prætorio vicarium. Sed de eo hactenus.

Quod ſequitur, Verus; proprium eſſe malim, quàm appellatiuũ. Amicus ille noſter, quem Romæ agentem ſuper hoc loco conſului, Verinus, legi poſſe reſcripſit; ita enim vocari ab Auguſt. epiſt. 152. Imo & Collat. diei 3. cap. 24. & poſt Collat. cap. 31. Sed vehementer dubito, an idem hic cum eo ſit de quo agimus; nam vt omittam quod lib. poſt Collat. cap. 33. pro Verino, legatur Valerius, literæ Conſtãtini, quarum dictis iam locis fit mentio, longè ab iis diuerſæ ſunt, quas hic reſtituere conamur, ad alios & alios, de diuerſo argumento, ac longè pòſt ſcriptæ, vt ex illis ipſis locis, potiſſimum verò cap. 33. poſt Collat. ac ex hiſtoria noſtra cognoſci clarius poterit. Niſi fortè dicamus eũ id officij per annos aliquot geſſiſſe, aut certè ex interuallo ad idem ſæpius aſſumptum. Id quod excuſſo diligenter Codice Theodoſiano non admodum à vero alienum eſſe deprehendi. Nam extat ibi lib. 9. tit. 15. De parricidiis reſcriptum quoddam eiuſdem Conſtantini imperatoris ad eum velut Africæ Vicarium, Datum Licinio V. & Criſpo Cæſ. Conſſ. Alterum item eiuſdem ad eundem de libellis famoſis lib. eiuſdem tit. 33. l. 1. Datum Conſtantino V. & Licinio Cæſ. Conſſ. qui certè continui ſunt Conſulatus, diſtantes ab illo Voluſiani & Anniani quo Felicis audita eſt cauſa, tribus annis mediis ac interiectis. Libro verò 12. tit. 11. l. 1. reſcriptum inuenio imperatoris Conſtantini ad Locrium Verinum, ſed nullo titulo addito propoſitum Kalend. Februarij,

Februarij, Voluſiano & Anniano Conſſ. Vbi deſideratur locus publicationis, qui ſi Carthago eſt aut alia quæpiam Africæ ciuitas, nimirum ipſe Verinus eſt quem quærimus. Id tamen donec aliunde doceatur, Veri nomen retinebimus. A

Vicarius Præfectorum tunc per Africam noſtram ] *Ita rectè epiſtola 68. pro quo erat hic apud Amorb.* profectorum. *hinc alter natus error* perfectorum, *quomodo legebant cætera quæ in manibus habentur. Rectius autem* noſtram *legis, quàm* veſtram; *quod eſt epiſtola 68. nam per primam perſonam legunt & vetera Amorb. & Froben. tametſi mendosè per nominatiuum* noſtra. *Cæterùm* Præfectos *pratorio intelligit, quorum ſumma erat olim dignitas ac poteſtas; iudicabant enim Imperatorio nomine, &, vt iura loquuntur, vice ſacra. Erant eius generis omnino quatuor; Orientis, Illyrici, Italiæ, & Galliarum. Singuli per ſuas quiſque regiones habebant qui vices eorum gererent, vocabanturq; Vicarij præfectorum. Africa autem diſpoſitioni ſuberat Præfecti prætorio Italiæ, vnde illius erat Africæ Vicarius. De quorum officiis apud Iureconſultos. Agit etiam de iis Caßiodorus lib. Variarum 6. & 7.*

eiuſdem partibus functus ] *Sic legitur etiam epiſt. 68. quod malim quàm* eiſdem, *quod hic erat in excuſis & MS. omnibus.*

ad examen ſuum atque iuſſionem ] *Typographorum eſt error, vbi pro* ſuum, *in excuſis* ſum *legitur.*

Etenim cùm iam Superium Centurionem, & Cæcilianum B magiſtratum Abtugnitanorum, & Saturninum ex curatore, & Calibium, iuniorem eiuſdem ciuitatis curatorem atque Solum ſeruum publicum ſuprascriptæ ciuitatis præſentes eſſe feciſſet] *Optatus lib. 1. eandem hanc rem narrans nomina iſtorum paulò aliter commemorat, ſic enim ait: Inducti ſunt Claudius Saturianus, curator Reipublicæ qui fuit tempore perſecutionis in ciuitate Felicis: & curator præſentis tunc temporis quando cauſa flagitabatur, Callidius Gratianus: & Magiſtratus Alſius Cæcilianus: ſed & Superſtationarius perductus: et Ingentius ſcriba publicus. Et mox, Habentur, inquit, volumina actorum, in quibus continentur præſentium nomina, qui fuerant in cauſa, Claudij Saturiani (adde, & Callidij Gratiani) curatoris, & Cæciliani Magiſtratus, & Superſtationarij, & ſcribæ Ingentij, & Solonis officialis publici ipſius temporis. In quæ Optati verba ſcribens Franciſ. Balduinus, annotauit ex hoc loco emendari poſſe Conſtantini eadem de re agentis epiſtolam mendosè ſcriptam, qualem recitat duobus locis Auguſt. Vbi in primis pro* Saturianus, *inquit, ſcribitur* Centurio; *pro* Callidius, *eſt* Calibius; *pro* Solon, *officialis publicus, eſt* Solus ſeruus publicus. *Cuius verbis plus ſatis credulus, ita initio Auguſtini locum caſtigaram, ſed vt pòſt deprehēdi, non per omnia ſatis rectè. Nam Claudius Saturianus qui ab Optato perſecutionis tempore curator fuiſſe dicitur Reipub.* C *Abtugnenſis, apud Auguſtinum non Cēturio ille eſt, ſed Saturninus; eum enim excuratorem ſeu ex curatore appellat, id eſt curatoris officio nuper defunctum. Superium verò Centurionem quem vocat Auguſtinus, omnino eum eſſe crediderim qui apud Optatum Superſtationarius dicitur. Stationarij enim ex Cohortalibus erant, hoc eſt ex officialibus præſidum, tanquam dicas apparitores; qui certis locis per prouincias diſpoſiti denūciabant magiſtratibus quid ageretur. Quare ſi Auguſtini lectionem ad Optati placebit immutare, pro* Superium Centurionem, *ſeu* ſupercenturionem, *quod fortaſſe germanius eſt, ſcribendum erit* Superſtationarium: *pro* Saturninum, *verò* Saturianum, *quomodo etiam legiſſe potuit Auguſtinus. Saturianorum autem per Africam debellatorum meminit lex quædam Honorij Imperat. Cod. Theod. lib. 7. tit. 18. Lōgius hinc recedunt MS. quædam, quæ* Saturnium *habent.* Calibium, *ſine controuerſia, Optatus* Callidium Gratianum *appellat, & quo tempore cognitio de cauſa Felicis agitabatur, curatorem ciuitatis fuiſſe ait; Auguſtinus iuniorem curatorem vocat, nam eò pertinet vox* iuniorem, *non præcedentibus, ſed ſequentibus cohærens. Pro* Solum ſeruum publicum, *malim & ego cum Optato* Solonem officialem publicū: D *ſed nullis vſquam ſuffragantibus MS. veterem per omnia lectionem retinui. Nam & Collat. diei tertiæ cap. 13. & 15. pro Stationariis quos Optatus lib. 1. De Cirtenſi conc. loquens ad Secundum Tigiſitanum veniſſe ait, Auguſtinus Centurionem quoque inter reliquos poſuit, Curatoris etiam ibidem mentionem faciens. Cæterùm pro eo quod erat in noſtris excuſis* Calibium excuratorem, *in MS. omnibus erat* ex curatore; *quod genuinum arbitror. Sic enim ſeculum illud loquebatur, vt qui conſulatu, quæſtoris aut curatoris officio perfunctus eſſet, non exconſul, exquæſtor, excurator appellaretur, ſed per ablatiuum cum præpoſitione, ex conſule ex quæſtore, ex curatore. quod annotauit & Auguſt. lib. ſuo De Grammat. paulò poſt initium. Cuiuſmodi vocibus vtitur frequenter Caßiodorus in variis, nonnunquam & Oroſius, nec rarò edicta Imperatoria.*

quòd à Felice eidem epiſcopatus videretur eſſe delatus ] *Pro his deprauatiſsimè in excuſis erat,* quod clarè liquet, & idē epiſcopus videbatur. *Priorem lectionem habebat epiſtola 68.*

ſui cum diuinarum] *In excuſis deerat,* cui.

epiſtolam Cæciliani de Duumuiris] *Amorbach. & Frobenij veteres editiones, nec nō Lutetianæ omnes, loco* duumuiris, *conſtanter legunt* diuini iuris. *Error natus ex mutatis tantum apicibus literarum. Ex eo deſcendit & alter qui eſt epiſtola 68. vbi legitur* Cæciliani ex diuino iure. *Germanam autem eſſe lectionem noſtram intelligi poteſt ex eo quod hic Cæcilianus paulò pòſt* Magiſtratus Abtugnitanorum *vocatur, & apud Optatum lib. 1.* Magiſtratus Alſius Cæcilianus. *Nota ſunt autem vt centumuirorum, decemuirorum, triumuirorum; ſic & duumuirorum officia & dignitates. Hi autem inter cætera etiam carceribus præerant, & vectigalibus in ſuo municipio. Vtebantur autem & faſcibus. Extat de iis lex quædam Honorij Imperatoris ad Eucharium proconſulem Africæ, Cod. Theod. lib. 12. tit. 1. l. 174. ne faſcium ſuarum poteſtatem extra metas propriæ ciuitatis impunè extollant. Citat de eorundem matrimoniis edictum quoddam Conſtantinianum Marcian. Imperat. lib. Nouellar. ſuarum tit. 4. ne humilem abiectamve vxorē accipiant. Iidem ab annonæ præpoſituris, inferioribusq; muneribus ab eodem Conſtantino vindicantur. Cod. Theod. lib. 12. tit. 5. l. 2.*

ſub idonea proſecutione] *Proſecutionem appellat præſidium militare cuſtodiæ cauſa datum. Aliquando ſcriptum, tractatum, aut actionem aliquam ſignificat qua quippiam proſequimur: quo ſenſu non ſemel accipitur in Breuiculo Collat. vbi de ſubſcribendis vtriuſque partis proſecutionibus frequens mentio.*

ad comitatum meum Conſtantini Auguſti ] *Palatium ſuum intelligit, vulgo aulam regiam ſeu Imperialem vocant, quæ ibi demum eſt vbi rex aut Imperator ſedem habet, aut pro tempore agit. Occurrit ea vox frequenter in edictis & reſcriptis Imper. Vtitur eadem frequentiſsimè Ammianus Marcellinus, & vetera quoque concilia, vt Sardicenſe canon. 8. 9. 10. & 11. Mileuitanum cap. 20. Africanum can. 73. & 103: ex Zoſimi pontificis commonitorio. Hieronymus quoq; apologia 2. aduerſus Rufinum. Auguſtinus præterea epiſtola 50. 68. 129. & 152. Collat. diei 3. cap. 23. & lib. 6. Confeß. cap. 14. Optatus verò lib. 1. Palatium appellat. Cæterùm illud* Conſtātini Auguſti, *videtur ex margine aut interlineali ſuperſcriptione in textum irrepſiſſe.*

atque diuturnis diebus interpellare non deſinunt ] *Ita hunc locum reſtituimus ex Breu. Collat. diei 3. cap. 23. & lib. poſt Collat. cap. 32. pro quo perperam tum hic etiam paulo infrà, tum epiſtola 68.* diurnis diebus *legebatur.*

ex literis eius ad Eumalium Vicarium ] *In omnibus tum excuſis, tum MS. erat,* ad alium Vicarium; *quod licet ſenſum non incommodum habeat, legendum tamē eſſe* ad Eumalium Vicarium, *certò deprehendimus ex Breu. Collat. diei 3. cap. 19. & lib. poſt Collat. cap. 33. quorum priore* Eumelium, *poſteriore* Romalium, *legebāt excuſa omnia. In MS. verò quid loco illo Collat. fuerit, quoniam nulla inueniri apud nos potuerunt, neſcimus: iſto autem loco ſcriptum erat* eum alium, *diuiſis perperam dictionibus. Quod inde ortum ſuſpicor; imperitus quiſpiā ſcriba, dum verſus totam fortè dictionem non caperet, eam diſtrahere coactus, non animaduerſa diphthongo,* m *literam, quæ ſequentibus hærere debebat, prioribus coniunxit, fecitq; vt finis verſus vnius eſſet* eum, *initium alterius* alium. *vnde factum vt poſteriores niſi ſeparatis iam dictionibus ſcribere id non poſſent. Quæ lectio cùm merito diſpliceret, quidam mederi cupientes, abiecerunt* eum, *quod in hoc contra Creſcon. loco eueniſſe non dubito. Nam cùm ſcriptum initio eſſet ad Eumalium Vicarium, ac ex imperiti ſcribæ cacographia natum hinc foret,* ad eum alium Vicarium, *relictum eſt tandem,* ad alium Vicarium. *Id viſum eſt annotare, vt obſeruet diligens lector, quàm leuibus cauſis, quàm graues interdum irrepant errores. Cæterùm in Cod. Theod. lib. 9. tit. 40. l. 2. ſcribit Conſtantinus ad Eumelium quendam, Conſtantino IIII. & Licinio IIII. Conß. quod faueret lectioni Collat. diei 3. ſi titulus adderetur Vicarij, & biennium hoc officio functus eſſet.*

& Brixiæ in exilio conſtitutum ] *Et ſuprà ſemel iam admonuimus,* Brixiæ, *non* Brixæ *legendum. Sic enim Optatus, & aliàs etiam excuſa.*

quàm neſcio quid de Sardicenſi concilio ] *Perperam* neſcio quod.

IN CAP. LXXII.

alienorum criminum licet vera documenta ] *ſic MS. pro quo perperam in excuſis,* alienorum crimina licet vera doceantur. *Amorbachius & vetus Frobenij excuſio habebat,* alienorum crimina licet vera documenta. *quem vnum errorem geminauit qui* documenta, *in* doceantur *commutauit.*

aut credita & occultata] *Pro* occulta.

falſis documentis quiſque fefellerit ] *Familiare eſt Auguſtino* quiſque *vti pro* quis, *quo non ſatis animaduerſo imperitus quiſpiā lectionem mutarat. Cæterùm pro* refellerit, *quod erat in excuſis & MS. nihil dubitaui legendum,* fefellerit.

qui hoc ſchiſma fecerunt ] *Ita commodius MS. quàm* qui hic ſchiſmata fecerunt, *vti excuſa.*

IN CAP.



IN CAP. LXXIII.

quia ſic eſt probabiliter & probabilius ] *In excuſis deerant duæ voces* probabiliter &, *ſed quæ legantur non modò in MS. verùm etiam infrà lib. 4. cap. 55.*

& quia gradus iſte] *Ex MS. copulam addidimus.*

IN CAP. LXXIIII.

cuius finis in vſtionem ] *ſic MS. pro* exuſtionem: *nam & paulò pòſt ait* vſtio mereri.

quæ ſuprà dixerat proferre ſpinas & tribulos & vſtionē mereri, ſed magis quia mala erant ] *Hæc omnia deerant in impreſſis.*

Quid ſi & ego] *Ita commodius MS. quàm* Quod ſi.

Obiicitis traditionem; hanc ipſam multo probabilius nos vobis obiicimus] *In excuſis erat,* Obiicitis traditionem hanc, ipſi multo probabilius. *Sed germanum eſſe alterum conſtat ex lib. 1. contra Petilian. cap. 21. vnde hoc eſt repetitum, conſentiuntq; MS.*

ex hoc confirmaſſe me ] *Redundat copula* &, *quæ his in excuſis præponebatur.*

IN CAP. LXXV.

ſi ſaltem verborum ipſorum authores] *Mendosè excuſa omnia* verborum ſuorum authores.

IN CAP. LXXVI.

Vt omittam, quia & probabile] *In impreßis deerat,* Vt.

Vnde etiamſi veſtros] *Sic MS. pro,* vnde ſi veſtros.

traditionem obieciſſe concederem ] *Pro eo quod erat* contenderem.

non ideò verum obieciſſe contenderem] *Fortaſſe & hic legendum* concederem.

IN CAP. LXXVII.

quod melius & verius eſt, nobis perſuadere nō poſſe ] *In excuſis omnibus, tranſpoſitis dictionibus legebatur,* verius nobis eſt.

IN CAP. LXXVIII.

cùm ſit & piſcatorium ] *ſic MS. quod rectius quadrare videtur, quàm* piſcatorum, *vt reſpondeat ei quod anteceßit,* Neptunium.

Donatiſtarum errorem euertere] *Pro* vertere. *Sic enim lib. 1. contra Petilian. cap. 26.*

Bene, quod Apoſtolus] *Frequens eſt Auguſtino vt abſolutè ponat* Bene, *pro bene eſt, aut habet. Sic enim & lib. 3. De peccat. meritis, cap. 2. Bene, inquit, quod ipſi nos admonent. Lib. De natura & gratia cap. 52. Bene, quòd baptizatis dicit carnem contrariam eſſe non poſſe. Lib. 3. contra Iulianum cap. 21. Bene, quod breuiter admonere te dicis.* C *Et lib. 4. cap. 16. Bene, quod ipſe confeſſus es. Lib. De correpț. & gratia cap. 8. Bene, quòd te non negas eſſe Chriſtianum. Et aliàs frequenter. Eſt tamen vbi addat & verbum, eſt, aut, habet.*

Parcius quippe ac verecundius, & quaſi ex obliquo] *Imitatio Virgiliana ex lib. Bucolicorum ecloga 3. ad quem hic locum alludit.*

& Chriſtianis omnib. anathematizanda vanitate] *ſic MS. Pro quo legebant excuſa omnia,* anathemanda vnitate.

ſi tantum dicere ſolerem ] *manuſcr. legebant* niſi, *ſed alterum prætulimus.*

IN CAP. LXXX.

cùm te ordinari nollet ] *Lutetiana perperam* nollent. *Vide quæ ſuprà ſcripſimus ad lib. 3. contra Petil. cap. 16.*

qua gaudet auferunt veritatem ] *ſingulari, non plurali numero* gaudet. *Refertur enim ad Eccleſiam.*

magisque ab illo] *Pro* magis.

IN CAP. LXXXI.

Quid palea cum tritico?] *ſic MS. ſic vetera Amorb. & Frobenian. cum Lutetianis omnibus. Eam lectionem in Froben. poſterioribus mutauit quiſpiam in* paleæ: *ſed cùm alteram lectionem habeant & Septuaginta, ſaltem quæ iam in manibus habentur, eam præferendam putauimus. Libro tamen 3. contra Parmen. cap. 3. Collat. diei 3. cap. 8. & libro* D *poſt Collat. cap. 10. legit Auguſt. quomodo & Hieron. vertit:* Quid paleis ad triticum? *ſed lectionem vt videtur Parmeniani & Donatiſtarum ſecutus, quomodo eandem ſcripturam ante eos citarat Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. quem ſolent libenter illi æmulari. Quanquam ne quid diſſimulem, infrà cap. 59. repetens eadem Parmen. verba, legit, Quid paleæ cum frumento: niſi fortè mendoſi ſunt codices.*

IN CAP. LXXXII.

Quæcunque in nos dicere] *Ita conſtāter MS. pro* Quodcunq;.

ſed hinc ſolum cogito] *Vulgata* hic. *Sed de illo genere locutionis alibi diximus: vide & infrà initium cap. 2. lib. 4.*

# IN LIBRI QVARTI CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM CAPVT II.

euaneſcente vmbraculo ] *MS. legunt* euaneſcentium, *excuſa Appendix tom. 7.* A euaneſcentum. *Verùm ex aliis locis, in quibus eadem repetitur ſententia, per ablatiuum legendum eſſe conſtat.*

Quando me in hæc verba exquirenda coarctarem? quando in exprimenda prouoluerem? ] *ſic MS. quibus conſentit & Amorb. excepto quòd careat pronomine* me. *Cui vulneri audaculus quiſpiā mederi volens, pro actiuis paßiua ſubſtituit,* coarctarer, *&* prouoluerer.

tanto ſonitu in odium noxiorum] *Amorb. & vetus Frobenian. pro* in odium, *legebant* modo, *quod in Lutetianis adhuc reſidet, addita hac ad marginem coniectura,* fortè, homœoſeon, *ex Frobenian. tranſcripta.*

quæ ab vno dici] *Bagaitanæ ſententiæ authorem fuiſſe Emeritum Cæſarienſem, non ſemel iam diximus.*

Liceat igitur nobis ſine inuidia] *Ita rectius MS. quàm* Licet.

IN CAP. III.

ſæpe voluimus cum veſtris conferre, vt errore ſublato fraterna charitas pacis vinculo lætaretur ] *ſic MS. pro* nectēretur, *quod erat in excuſis omnibus. Verba ſunt autem Carthaginienſis concilij, de quo ſuprà cap. 45. vbi conſtitutum fuit, vt Catholici epiſcopi regionis quiſque ſuæ Donatiſtas conuenirent, & ad amicam collationem inuitarent,* B *vt compoſitis quæ inter ipſos erant controuerſiis eccleſiæ pax et vnitas ſarciretur, deq; inita concordia omnes in commune gauderent. Vbi et formula petendæ Collationis à cōcilio præſcripta eſt. Admonuimus autem cap. illo 45. non extare concilij illius acta, ſed nudos modò titulos canonum referri in Africano concilio quod ſeptimæ ſynodo Carthag. inſertum eſt; qui autem ad rem præſentem pertinet, eſt illic 59. Sed benè habet, quòd canones iidem omnes iam olim Græcè redditi, extant etiamnum hodiè, vnde quod in noſtris deeſt, ſuppleri poſſit. Dedit eos nobis Latinè verſos Gentianus Heruetus, vbi inter Carthag. canon eſt 95. formulam conuentionis præſcribens, cuius inter cætera hæc ſunt verba:* Vobiſcum congredimur authenticè, miſſi à noſtra authentica ſynodo cupientes de veſtra correctione lætari. *Sic interpres. Ipſa verò concilij verba vt Latinè ſcripta fuere, repetit Auguſt. epiſt. 68.* Facto, *inquit,* concilio placuit vt pacificè conueniretis; quo, ſi fieri poſſet, haberetis inter nos collationē, & errore ſublato fraterna Charitas pacis vinculo lætaretur. *Alludit ad eadem verba Auguſt. ſuprà cap. 45.* vt per collationem noſtram, *inquit,* errore ſublato, chriſtiana & fraterna ſocietate, vnitate, charitate, pace frueremur. *Ex quibus locis facile intelligi poteſt* lætaretur, *non* nectēretur, *legendum.*

C & pacatioribus locis] *ſic rectè MS. pro eo quod erat in excuſis omnibus* capacioribus. *Neque enim de fori anguſtiis queri poterat, ſed de litibus & rixis.*

quod à partibus Primiani ] *Duplex hic erat in excuſis error, nam & quid, pro* quod *legebatur, & noua hinc periodus inchoabatur.*

apud Legatum Carthaginis ] *Infrà cap. 47. ſacerdotem appellat. Quis autem is fuerit, necdum inuenire potui.*

& apud quatuor vel amplius proconſules factum eſt] *Breuiculo Collat. diei 3. cap. 11. Apud tres, inquit, vel eo amplius proconſules perſecuti ſunt. Ex his ſuprà cap. 56. duo nominantur,* Herodes, *&* Theodorus; *& infrà lib. 4. cap. 48.* Seranus.

IN CAP. IIII.

quantum quidem ad vos attinet] *Ita rectè MS. pro eo quod erat in excuſis* ad nos. *Diſtinguit enim, vt ex ſubiectis verbis liquet, Primianiſtas contra Maximianiſtas:* nam apud Maximianēſes, *inquit,* adhuc manet, *qui tale nihil adhuc fecerunt.*

Extat decretum Bagaienſis concilij allegatum apud Proconſulem] *In excuſis deſiderabatur,* allegatum.

aduocato proſequente Nummaſio] *MS. conſentientibus excuſis omnibus legebant* aduocatum, *ſuperioribus illud connectentes, tanquā proconſulis nomen foret: ſed cùm is infrà cap. 48. Seranus, vel vt ſuprà* D *lib. 3. cap. 56. Herodes appelletur, non dubitaui per ablatiuum efferre, ac ſequentibus coniungere, præſertim cùm paulò pòſt dicat,* cuius aduocati verba iſta ſunt: *ac mox,* vt idem aduocatus oſtendat.

expreſſe ac nominatim agens] *ſic MS. veteraq; Amorb. & Frob. ſic & ſuprà lib. 1. cap. 16.* preſsè atque conciſe. *In recentiorib. Frobenian. repoſuerat quiſpiam* expreſſim.

Felicianus quidam] *Ita legendum eſſe non* quidem, *docent primùm MS. deinde ſuprà lib. 3. cap. 56.*

contradictionis effectu] *Suprà lib. 3. cap. 56. docuimus perperam legi in vulgatis* affectu. *Nam MS. conſentit etiam Amorb.*

Eccleſias vindicatas] *In impreßis deerat* eccleſias, *quod tamen legebatur & ſuprà lib. 3. cap. 56.*

Proconſul Nummaſio cùm dixiſſet, Lege epiſcopale iudicium] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere; pro quo deprauatiſsimè in excuſis omnibus* Proconſule Nummaſio, cùm exiſſet lege epiſcopali iudicium. *Nec aliter legebant MS. præterquam quòd pro* epiſcopali, *rectè habebant* epiſcopale. *Niſi quis fortè Pro conſule veteri more*

teri more ſcribendum putet, vt Pro prætore, Pro quæſtore. Cui ſimile eſt quod ſuprà annotauimus ad lib. 3. cap. 70. Ex conſule, ex quæſtore, ex curatore ab antiquis dictum, pro Exconſul, exquæſtor, excurator. Vide Auguſtinum lib. De Grāmatica paulò poſt initium. Eodem alluſiſſe videtur L. Philippus cui Romæ in ſenatu Pompeium ſua ſententia aduerſus Sertorium in Hiſpaniam mittere ſe dicebat non pro conſule, ſed pro cōſulibus. Refert Cicero Oratione pro lege Manilia. Plutarchus in Pompeio. Oroſius lib. 5. cap. 23.

raptus enim pœnam ſuam compendio lucrauerat funeris, vſuras nunc grauiores colligit fenoris, cùm mortuus intereſt viuis] Imitatus videtur Optatum; cuius lib. 1. hæc ſunt verba: Et ne beneficium de mortis compendio conſequi videretur, dum non eſſent digni viuere, iis nec mori conceſſum eſt, tartareo carcere ſubito clauſi, antè ſunt ſepulti quàm mortui. Loquitur de primis ſchiſmaticis Dathan, Core & Abiron. Idem in eodem, Latro dat de morte compendium. Sic & Gaudentius lib. 1. cap. 25. & 30. caminorum dixit compendium. Nec abhorret Auguſt. qui infrà cap. 65. Cuius compendio; inquit, ſic ſuperamini. & epiſtola 163. de compendio quærere malui, id eſt, compendiosè. Cæterùm pro vſuras nunc, in excuſis erat; vſuras contra: ſed priorem lectionem habent MS. & aliàs frequenter ipſa quoque excuſa. Loco grauiores, duo MS. Camb. & S. Amandi alterum legunt grauioris: quomodo legitur & infrà lib. De geſtis cum Emerito. Aliis verò locis vt ſupr. lib. 3. cap. 19. per accuſatiuum ſcribitur.

Contritio & calamitas in viis eorum] Aliis locis habes infelicitas, quod eſt in noſtra verſione, vt ſuprà lib. 3. cap. 19. Lib. 1. contra Petilian. cap. 19. Lib. De geſtis cum Emerito.

Beianum Baianenſem, Saluium Auſaphenſem: & paulò pòſt Miggenem Elephantarienſem] Ita hæc nomina eſſe legenda ſuprà admonuimus ad lib. 3. cap. 54.

agnoſcentibus quibus licet longè manentibus] Aduerbium longè, non additur dicto iam loco. In quem quæ annotauerimus, inde licebit repetere.

IN CAP. V.

eos ad matrem eccleſiam redire inuitant] In impreſſis eſt dum eos; ſed non addunt eam vocem nec MS. nec vetera excuſa.

quos in Maximiani ſacrilego ſchiſmate baptizarunt] Pro quo deprauatiſſimè in omnibus excuſis, ſacrilego baptiſmate.

IN CAP. VI.

aut Maximianiſtas] Deerat hoc in excuſis.

Nunquid hoc dicturus es] Addendum hic eſt hypoſtigma, aut pro hoc, legendum hic.

primum quod apud Carthaginem à quadraginta & tribus factum eſt, quo prædamnatus eſt Primianus] Non dubito locum hunc eſſe corruptum, & pro quadraginta, legendum quinquaginta. Nam Auguſt. concione 2. in Pſal. 36. epiſcoporum iſtorum recenſens ſententias, nominatim enumerat quinquaginta tres. Sed quia conſentiunt cum excuſis MS. noſtra omnia, idemq́; numerus proximo cap. bis repetitur, veterem lectionem reliquimus. Nam & fieri poteſt, vt cùm hæc ſcriberet Auguſtinus, lapſus memoria fuerit. Cæterùm de Primiani damnatione, ac his conciliis diximus aliquid ſuprà lib. 3. cap. 13. plura verò in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.

Alterum quod Cebarſuſſi centū vel amplius epiſcopi tunc veſtri condiderunt] Ita MS. & vetera quoq; Amorb. & Frobenij, tum hoc loco, tum infrà cap. 58. pro Cabarſuſſi, quod habent vulgata. Balduinus in ſcholiis ſuper Optatum Cuburſuſſi, legēdum cenſet. Cæterùm pro condiderunt, habebant excuſa non rectè concluſerunt.

ſed cum eis tanquam iudex innocentiſſimus conſidebat] Ita legendum non conſiderabat, indicat etiam Amorb. vetus editio. Idem intelligi poteſt infrà ex cap. 18. vbi ſic dicitur, cùm Primianus inter trecentos decem ſederet. Significat enim Primianū in eo concilio non vt reum cauſamq́; dicturum ſtetiſſe; ſed ab ipſo mox concilij exordio, in ipſum conſeſſum iudicum receptum, ſententiamq́; cum cæteris epiſcopis in Maximianum & collegas eius pronunciaſſe.

IN CAP. VII.

Alia nobis eſt cum Maximianenſibus cauſa] MS. cum veteri Amorbach. Froben. editionibus, nec non Lutetianis conſentienter legunt Aliena: ſed magis placet quod eſt in poſterioribus Frobenianis.

quod factum eſt pro Primiano] Illud quod, deſideratur in MS. noſtris omnibus, & veteribus excuſis Amorbach. & Frobenian. nec non Gallicanis.

& hoc illi quadraginta & tres] ſic & infrà eodem hoc capite. Sed vel mendum eſt ſcribæ, vel lapſus memoriæ, vt cap. ſuperiore annotauimus.

neceſſitatem ſibi incubuiſſe] Ex MS. adiecimus ſibi.

vt ſi cauſæ ſuæ fideret] In excuſis deerat ſuæ.

ad quem rurſus alterum epiſcopale iudicium] Legendum videtur, poſt alterum. Ab Arelatenſi enim concilio, vbi cauſa eorum agitata ſecundò fuit, ad Conſtantinum ipſum appellauerunt. Conferendus eſt hic locus cum epiſt. 165. & 167.

inter partes cognoſcente ſuperarentur] Perperam excuſa ſuperaretur.

quorum non defuit etiam quarta conuictio] Lutetiana ſecuta veteres Amorb. & Froben. excuſiones perperam legunt coniunctio.

Nam cùm in Cæciliani] ſic rectè manuſcr. non Cæciliano, vt in excuſis omnibus.

& ei Abtugnenſis ordinatoris] Felicis videlicet. Perperam impreſſa omnia Aptugnenſes ordinatores.

nec præſentes victi ſunt] In Lutetianis mēdosè legitur preſente.

in ipſa veſtra communione ſchiſma fecerunt] Præpoſitionem in, non legunt neque MS. neq; excuſa Germanica vetera nec Lutetiana, addiderunt autē poſteriora Frobeniana. Eſtq́; ita legendum, vel ab ipſa veſtra: vt mox à Catholica communione.

quem iam tanto plures] Ita commodius manuſcr. quàm excuſa, quem tanto plures iam.

IN CAP. VIII.

quos etiam in ſacrilego ſchiſmate baptizatos] MS. omnia cum veteri Amorb. legunt quo etiam; id audaculus quiſpiam mutauit in quos, errorem errore maiore commutans. Neque enim damnatores illi Primiani in ſchiſmate demum Maximianenſium baptizati ſunt, iam enim epiſcopi erant. Quare legendum arbitror, à quo, vt ad Felicianum referatur.

non rebaptizaſtis] Ita rectius quàm rebaptizatis.

cui ſacrilegium ſchiſmatis obiicitis] ſic MS. Amorbachij vetus editio legebat ſacrilegum ſchiſmatis, quod poſteriores, vt error errorem trahit, mutarunt in ſacrilegum ſchiſma. Cæterùm illud obiicitis, non eſt nec in MS. nec apud Amorb. ſed addidit prima Frobenij editio, vnde dubitarim an genuinum hoc ſit.

Sicut enim vos] ſic rectè cum MS. Amorb. perperam excuſa reliqua, Sicut enim eos.

hoc crimen poſſemus obiicere] Et ſcripta & impreſſa quæ videre licuit, conſtanter legebant, hoc enim poſſemus obiicere. Sed quin legendum ſit vti reſtituimus, non arbitror dubitandūm: error natus videtur ex ſcribarum compendiis, apud quos cùm eſſet crī, id alij parum cautè obſeruantes, mutarunt in em̄.

ſed illis tanquam innocentibus prærogatum] MS. pro illis, conſtanter habent aliis. Sed vulgatæ lectioni conſentit etiam Amorb. Cæterùm loco prærogatum, tametſi & MS. & excuſa ſic omnia legūt, malim prorogatum.

IN CAP. IX.

tibi facilè ceſſuri ſunt] Ex MS. adiecimus verbum ſunt.

Claudianiſtas appellauere] De his habes apud D. Auguſtinum concione 2. in Pſalmum 36. vbi inter cætera Primiani crimina, ob quæ damnatus à Maximianiſtis fuit, refertur, quòd ſeniores ſint ab eo in Baſilica cæſi, quia indignè ferrent Claudianiſtas ad communionem admitti. Qui autem hi fuerint, aut quid deliquerint, inuenire necdum potui. Ex his autem reſtitui poſſe videtur locus qui ſequitur, & in excuſis omnibus, ac pleriſque MS. ita legitur, cum eos Primiano in communionem recepto, ſenſu prorſus alieno, imò nullo. Exemplar Gemblac. pro recepto, legit receptos; & rectè: ſed plena nondum eſt ſententia: explebitur ſi ſic legas, cum eos à Primiano in communionem receptos.

IN CAP. X.

hæreſim appellans] Perperam in excuſis appellant. Rectā lectionem habebant etiam vetera impreſſa Amorb. & Froben.

non ob aliud arguendum arbitratus es] ſic MS. pro vrgendum; qua voce vtitur & in exordio huius capitis.

Fortunius, Criſpinus] ſic & ſuprà lib. 3. cap. 53. pro Fortuinus. fuiſſe autem illum Thuburſicenſem epiſc. diſcimus ex epiſt. 163.

IN CAP. XI.

Prætextatum & Felicianum ligatos. Sacrilegos video epiſcopos] ſic rectè MS. deprauatiſſimè verò excuſa omnia legatos ſacrilegos.

deuincti baptizauerunt] Ita rectius MS. quàm quomodo excuſa baptizauerant, aut Amorb. baptizauerint.

Cauſam itaque noſtram quam vobiſcum habemus] Pro nobiſcum.

veſtro iam iudicio] Perperam noſtro.

qui poſt etiam baptizandum] Deeſt aliquid; legendum autem videtur, qui poſt vos etiam.

& nulla re alia] In excuſis deerat alia.

in vera vnitate teneretis] In excuſis addebatur fidei, ſed nullum id legebat MS. & alioqui abſolutè ſolet Auguſtinus vnitatem appellare, non addito fidei vocabulo.

IN CAP. XII.

tu verò falſus] Sic excuſa quæ vidi omnia, etiam vetera Germanica & Gallicana. MS. verò falſus legunt. ſed nec hoc admodum placet. Niſi fortè quid deeſt; poſſet incolumi ſententia vox illa ſeu falſus, ſeu falſus prætermitti.



cuius latentem conſcientiam videri non poſſe dicis] Non rectè excuſa poſteriora videre.

IN CAP. XIII.

conſecrata eſt aqua] Vocem aqua, vetus Frobenij adiecit editio, alioqui non legit Amorb. nec vlla MS. Deſiderabatur ergo, aut ex fine ſuperioris capitis eſt repetenda.

identidem recito] Perperam in excuſis omnibus recitato.

IN CAP. XIIII.

lego baptizaſſe morſibus aſpidum venenoſos] MS. cū Amorbachio legunt moribus aſpidum. ſed alludere videtur Auguſtinus ad illud Petiliani lib. contra eundem 2. cap. 14. viperæ mortem morſibus vomuerunt.

IN CAP. XVI.

ſcriptum eſſe dicis, Oleū peccatoris nolo vngat caput meū] Sic MS. cum veteribus Amorb. & Froben. quin & paulò antè eodem hoc cap. etiam in vulgatis. Quare temere ab iis factū eſt, qui pro nolo, ſuppoſuerunt non: nam ad capitis initium reprehēdit Creſconium Auguſt. quòd aliter hunc locum citaret, quàm ſcriptus eſſet.

vtrum peccatores non fuerint] pro fuerunt.

quanquam etſi leuiter peccauiſſent] perperam priùs leniter.

nullum excipi peccatorem] ex MS. adiecimus nullum.

ſed quod cuicunque licere dicamus] Illud quod, non eſt nec in manuſcr. nec in Amorbach. adiecit prima Frobenij editio: reliquimus tamen.

vt noſtra cauſa facillima fieret] Sic MS. pro veſtra cauſa; quod erat in omnibus excuſis: vult enim eos hac in Maximianenſes vehementia, meliorem feciſſe noſtram contra ipſos cauſam.

IN CAP. XVII.

quod quidem intereſt vtrum poſſit oſtendi] Id ſuprà factum à nobis eſt ad libri tertij caput tertium.

antiquam veſtram ſententiam reſcidiſtis] non rectè excuſa omnia antequam, pro antiquam.

tamen vobiſcū eſtis] Videtur locus hic nō carere ſuſpicione mēdæ.

IN CAP. XVIII.

contritio & infelicitas] pro contribulatio, quomodo paſſim habent etiam excuſa. Vide quæ ſuprà annotauimus de hoc loco ad libri huius caput 4.

& viam pacis non cognoſceret] pro &, legebatur vt: ſed cū MS. faciunt vetera excuſa Amorb. & Froben.

IN CAP. XIX.

radicem Chriſtianus infigat] Sic MS. & ſuprà contra Petilianum lib. 1. cap. 5.

atque ad ineundam] id commodius, quàm adque ineundam.

Atque vt hoc quaſi probaret] pro vt, non rectè ad.

IN CAP. XX.

conſcientia ſanctè dantis] Redundat quod additur in excuſis attendatur quæ, ſeu vt habent vetera, attenditur quæ.

alium eligat quem] pro eo quod erat quam.

IN CAP. XXI.

potius te dicere debuiſſe] Sic MS. cum antiquis Amorb. & Frob. editionibus, recentiora legebant prius te dicere.

& tamen baptiſmum Chriſti ſi dederit] Perperam ſe dederit.

IN CAP. XXII.

Bagaienſe decretum lege] MS. duo ita hunc locum diſtinguebant, Quid aliud tibi dicam, niſi quod hoc opere inſtitui, Bagaienſe decretum? Lege. Sed nos alteram lectionem retinuimus quæ in reliquis eſt MS. cui & ſuffragatur ſimilis locus ſuprà cap. 13.

vtrique à vobis recepti] pro nobis.

iuſtiſſimus operarius approbatur] Sic & MS. omnia. Suprà lib. 3. cap. 8. vbi eadem recitantur verba, loco approbatur, legitur adhibetur.

& paſcent vos] perperam nos.

IN CAP. XXIII.

Cur poſt Felicianum] Videtur deeſſe quippiam, fortè, Et ego à te quæro: nihil eſt enim quod reſpōdeat ei quod præceſſit, Proinde quod deinceps à me quæris. Huc accedit, quod in fine redditionis, baptizauerint legitur, non baptizauerunt, conſentientibus etiam MS. quæ nullam quoq; notam illic habent interrogationis.

per rubrum mare traiecit] Sic MS. Amorbach. & Froben. prima editio habebat tranſiecit, ex quo literulæ vnius mutatione factum fuit tranſierit.

quia ex illis propagati ſunt] Ita conſtanter MS. conſentiente Amorb. & vetere Froben. editione: pro quo repoſuit neſcio quis prognati ſunt. Altero verbo vtitur & infrà Auguſt. cap. 30.

te vrgerem reddere rationem] ſic MS. & vetera omnia: ſciolus quiſpiam ex vrgerem, fecit vrgent.

non te refelliſſe puto] Quin ita legendum ex lib. 3. cap. 11. nihil dubium eſſe arbitror; cuius loci hæc initio ſunt verba, Nec illud quod prætereundum putaſti, refelliſti principio huius epiſtolæ, ſicut tibi videris, quod à me dictū eſt. Nec abſimilis eſt locus infrà initio capitis 50. In excuſis ac manuſcr. omnibus contrario ſenſu defendiſſe legebatur.

& quaſi certus exultas] Videri queat deprauatus eſſe hic locus; & vel deeſſe quippiā, legendumq́; fortaſſe, & quaſi de victoria certus; vel loco certus; reponendum victor. Sed non ſuffragantibus MS. putaui nihil immutandum: nam & reperiri ſimiles alibi locutiones poterunt, nec procul recedit quod eſt de ſancta virginitate cap. 55. Nec certi gaudent ex eo quod in manifeſto eſt, dum in occulto ſuſpicantur plerunque quod non eſt. Victoris tamen nomine libenter in hoc genere ſermonis vti ſolet. ſic lib. 3. contra Creſc. cap. 73. & tanquam victor exultas. Lib. 3. contra Petil. cap. 17. tanquam iis repoſitis, victor exultet. Lib. 4. contra Iulian. cap. 16. quibus dictis quaſi victor exclamas. & lib. 5. cap. 16. quibus dictis tanquam victor exclamas. Omiſſo tamen & eo nomine, lib. De vnico baptiſmo cap. 9. Proinde, inquit, quod ſequitur exultans dicit. & lib. 6. contra Iulian. cap. 16. & quomodo te iactas, exultasque.

Ipſo quippe ordine quo à te breuiter velut recolendo decurſa ſunt] Pro velut, quod alter S. Amandi codex habebat, cæteri tā ſcripti quàm excuſi legebant illud, vitiosè haud dubiè. Cæterùm reminiſcendo, quod in omnibus exemplaribus pòſt vocem recolendo, addebatur, prorſus videtur ex margine in contextum irrepſiſſe, eoq́; non dubitaui expungere. Recolendi enim verbum Auguſt. familiariſſimum eſt: ſimilis autem locus eſt ſuprà lib. 3. cap. 82. & infrà cap. vltimo aliquanto ante finem.

vi veritatis territi cognouerunt] Illud territi, quia addunt omnia conſtanter MS. putaui non eſſe omittendum.

IN CAP. XXIIII.

& hoc fortaſſe apud poſteros cū illius fuerit oblitterata memoria] Optati Gildoniani hiſtoriam aperiet Commentarius noſter rerum Donatiſticarum.

introrſus poſtea reſorberet] Ex MS. adiecimus introrſus. quamquam tum ex verbis proximè ſequentibus, tum ex lib. 1. contra Petil. cap. 16. vnde repetitum hoc eſt, deeſſe id facile potuit intelligi. Hoc autem quid ſibi velit, paulò poſt explicat capite proximo.

IN CAP. XXVII.

vel falſa vel certè ignota crimina] ſic MS. cum veteribus excuſis. In vulgatis falſo, legebatur.

Crede prorſus video cauſam] Sic MS. & Amorb. lectionem hanc Frobenius immutauit, legitq́; Credo prorſus vides cauſam.

IN CAP. XXVIII.

Quomodo ergo tuipſe item dicis] ſic MS. Amorbachiis legebat tu item, inde factum tu idem.

IN CAP. XXIX.

contra teipſum ſenſus claudis] ſic commodius MS. quā ſenſum.

Ibi ergo etiam baptizabant] Illud etiam, ex MS. adiecimus.

ſacrilego ſchiſmate baptizaſſe] Redundat præpoſitio in, quæ hic addebatur; eadem enim præcedit paulò antè, in eo quod commiſerūt.

eamque ſententiam] Id rectius quàm quod prius erat eā quippe.

IN CAP. XXX.

in Maximiani ſchiſmate] Duo codices MS. addunt ſacrilego.

conſenſu omnium firmata] Cū ſic legant & MS. veteraq; Amorbachij & Frobenij, quin & paulò antè cap. 29. ipſa etiam excuſa, miror quis legendum putarit conceſſu, pro conſenſu.

intra diem præſtitutum reſtituti] Poſtremam vocem adijciebant MS. & repetitam habes paulò antè eodem hoc capite.

IN CAP. XXXI.

nomina eorum deſignabantur] ſic duo MS. vt qui præcedunt ablatiui ſint confuſa ſyluæ: quod magis conſentit cum loco qui eſt lib. De geſtis cum Emerito, vbi hæc ipſa concilij verba recenſentur.

Ibi eis indulgentiæ funis dum clementiæ dimitteretur linea, iam cauſa quos puniret inuenerat] Videtur locus deprauatus, quem conferre licebit cum prædicto lib. De geſtis cum Emerito.

veſtri non rebaptizauerunt] Cum manuſcr. conſentit Amorbachius, & prima Frobenij editio: quæ nunc in manibus habentur, legunt baptizauerunt.

IN CAP. XXXII.

quid iniiciſitur inaniſſimæ nebulæ] ſic rectè MS. pro quo deprauatiſſimè in excuſis omnibus, quid innituntur inſaniſſimæ nebulæ.

à damnatis ordinatoribus] In impreſſis deerat ordinatoribus.

concilij ſententia diſtinguuntur] ſic MS. Amorb. verò legebat diſtinguitur, inde natum diſtinguit, quod eſt in reliquis excuſis.

IN CAP. XXXIII.

& ideò nos hoc] Perperam vos.

hanc veritatem nimis vrgerent] ſic MS. & Amorb. pro vrgent.

IN CAP. XXXIIII.

literis meis valde permoueretis] Ex MS. adiecimus valde, quòd legis & ſuprà cap. 21. & infrà cap. 39.

verba laici ſui] Vides & Auguſtini tempore laicos fuiſſe appellatos qui extra cleri ordinem erant.

ſed vbi velint eos fuiſſe contendant] MS. cum Amorb. legunt vbi volunt; ſed nec hoc admodum arridet: fortè vbilibet.

IN CAP. XXXV.

Quantum enim de reorum] MS. legunt Quanto, ſed alterum etiam in iis legitur ſuprà cap. 4.

IN CAP. XXXVI.

Nec ſocios Afros in Africa polluit Maximianus: ne ad ipſam radicem vnitatis rami fracti regredi permittatur, tot remotiſſimas gentes ex Africa polluit Cæcilianus.] Locus hic deprauatiſſimè perturbatiſſimeq; legebatur, proximi etiam capitis huc parte aſſuta.

IN CAP. XXXVII.

Ex die concilij Bagaienſis] Hinc erat nouum caput auſpicãdum.

ab octauo Kalendarum Maij] Pro Kalendis.

hoc eſt; octauum Kalendarum Ianuarij] Perperam octauo.

octo menſes numerantur] Cohæret hæc ſuperiorib. eadẽ periodo.

in hoc tam longi temporis interuallo] MS. legunt longo.

illi quibus dilatio] Nec hic erat noua periodus facienda.

ignotorum, non dicam falſorum] Perperam ignotum.

Quod volumus ſanctum eſt] De hoc prouerbio ſuprà diximus aliquid ad caput 13. lib. 2. contra Parmen.

Communicant altaria damnatores Primiani] Sic lib. poſt Collationem cap. 21. Omnes ad vnum altare accedebant, & eadem ſacramenta communicabant, qui eadem vitia non communicabant. Lib. tamen eiuſdem cap. 5. per datiuum extulit, non eis cõmunicabant boni, ſed altari & ſacramentis Dei.

quinto Kalendarum Ianuarij] pro Kalendis.

Quid vos promeruerunt tot dies octo menſium] Commodius dixiſſet demeruerunt, id eſt, Quid ita placuerunt vobis octo menſes illi, quid bene de vobis meriti ſunt?

communioni ſacrilegi atque damnati Maximiani] Ita hic locus haud dubiè caſtigandus eſt etiam contra MS. fidem quæ vnà cum excuſis habebant communioni ſacrilegæ. Niſi deeſt fortaſſis aliquid.

IN CAP. XXXVIII.

quam relinquere propter vanitatem pudet] Hoc eſt quia vani ſunt aut ne tales habeantur. Pro quo prius non rectè veritatem.

redeuntibus fixam pœnitentiam] MS. & Amorbachius ac Frobenij vetera habent fixa pœnitentia: & ſic quidem in illa cõcilij ſententia legitur, ſed omittitur hic quod ibi antecedit, Manebit enim circa eos dicta ſententia. quod ſi & hic placebit adijcere, per nominatiuum efferetur quod deinde ſequitur, & poſt præſtitutum diem redeuntibus fixa pœnitentia.

IN CAP. XXXIX.

& vide quanto poſt] Ita legendum eſſe ſuprà docuimus ad cap. 56. lib. 3. & conſtat infrà ex cap. 41.

conſulatu Auguſtorum Arcadij III] tertio videlicet, nõ ter.

octauo Kalendarum Maij] Ita legendum, vel Kalendas, non Kalendis: vt & mox Kalendarum Ianuarij, pro Kalendis.

IN CAP. XL.

intra tempus ad religionis tramitem deſtitutum] Ita legit etiam Amorbachius. Quædam MS. præſtitutum habent loco deſtitutũ, quod iam non ad tramitem, ſed ad tempus referendum fuerit. Vtitur eadem voce Bagaitana ſententia, & poſt præſtitutum, inquit, diem redeuntibus fixa pœnitentia. Vſurpauit eandem & Creſconius ſuprà non ſemel cap. 28. & 30. Idẽ annotauimus & libro ſuperiori ad cap. 56.

& ſemetipſam non deſerit] Sic & ſuprà lib. 3. cap. 56. Non rectè vulgata ſemetipſum.

qui primò recta ſectatus] Non rectè: cum MS. conſentit libri ſuperioris cap. 56.

niſi aut illo concilio fuiſſent] Hæc deerant in excuſis.

ſicut illic magis apparet] Perperam excuſa ſi vt, cùm recta lectio ſit etiam apud Amorb. & Frob. primas editiones.

reſtitui noluiſſent] ſic MS. cum veteribus excuſis, pro voluiſſent.

cuiuſlibet obſtinati oculos aureſque ſic feriat] MS. cum Amorbachio & Frobenij veteribus legunt obſtinatione. Fortè obſtinationis, aut quod malim obſtinatiſſimi, quo modo paulò antè cuiuis obtuſiſſimo, & aliquanto pòſt cap. 41. cuiuſlibet pertinaciſſimi.

IN CAP. XLI.

Nolo quærere quanto poſt] Ferè poſt biennium, inquit Auguſt. lib. De geſtis cum Emerito.

nunc autem cùm à nobis recitatã fuerit] Perperam fuerint, refertur enim ad ſententiam Bagaitanam.

verum quòd dixiſti] Videtur deeſſe aliquid, addendum fortaſſe dicere potius debueram; niſi malis verum nomen eſſe; vt ſenſus ſit; erraui ego, verum eſt autem quod dixiſti.

IN CAP. XLII.

fallaci corde finxiſti] Perperam fuiſti, etiam apud Amorb.

IN CAP. XLIII.

vel longè poſteros] id eſt qui longo pòſt tempore nati ſunt. Gemblacenſe MS. legit poſitos, quod ſanè commodius foret, niſi præcederet remotiſſimos.

meas literas legens] ſic MS, pro leges.

& tamen nec nos nec Orientis & Occidentis] Ita commodius MS. quàm nec Occidentis.

IN CAP. XLIIII.

nec additis ciuitatum nominibus legi ſolet] Non caret hic locus ſuſpicione: ſignificat autem in vulgatis quæ habebant codicibus, non addi Carthaginis vocabulum, cuius erat Donatus ſchiſmaticus epiſcopus. Conferendus eſt autem cum lib. 3. cap. 34. & epiſtola 162.

quia nec ipſe mos eſt eccleſiaſticus] vt videlicet addantur ciuitatum nomina quarum ſunt epiſcopi.

poſtea ſegregati ſunt] MS. legunt digregati ſunt, quod pòſt degenerauit in degradati ſunt, quod habebat etiam Amorb. Legendum autem diſgregati, vel vt ſuprà lib. 3. cap. 34. ſegregati ſunt.

IN CAP. XLV.

Ille qui tradidit, te creauit] Megalium ordinatorem Auguſtini traditorem fuiſſe ſignificat, ſed calumnia eſt; de qua & ſuprà lib. 3. cap. 37. Collatione diei 3. cap. 7. Porrò veram hanc eſſe lectionẽ non ex MS. tantum, ſed & ſuprà ex illo lib. 3. loco cognoſci poteſt: ineptiſſimè ergo excuſa, Ille qui tradidit & creauit te.

IN CAP. XLVI.

Neque ſic propterea] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere etiam contra fidem MS. in quibus erat vt in excuſis, Neq; ſi propterea.

cedere voluerunt] Et hic non rectè potuerunt, legebatur etiam in manuſcr.

conſiderari oportere] Perperam conſiderare.

neque illud commemoro] Pro illud, repoſitum erat enim.

Illa, inquam, nimis antiqua non profero, fuerunt enim alterius diſpenſationis & temporis] Eam fuiſſe & Donatiſtarum ad huiuſmodi exempla reſponſionem diſcimus ex Optati libro 3. qui cùm eis Macarij factum tametſi mendaciter exagitantibus, Moyſis, Phinees & Heliæ exempla obieciſſet, tandem ſubijcit: Sed video vos, inquit, hoc loco tempora ſeparare, vt alia fuerint ante euangelium, alia poſt euangelium: in quo poteſtis dicere quia ſcriptum eſt, vt à Petro iam gladius conderetur, quo auriculam ſerui ſacerdotis abſtulerat, quo ſeruum poterat quaſi deuotus Petrus occidere. Eadem vſus eſt & poſtea Fortunius Turbuſicenſis Donatiſtarum epiſcopus diſputatione quadam cum Auguſtino habita, quam hic referens epiſtola 163. Quæ cùm ita ſint, inquit, diſſimulans tamen abs ſceleratiſſimis factis ſuorum quæ ipſe plus nouit, vrgebat vt dicerem, quis iuſtorum vel malum aliquem occiderit. Quod etiamſi ad cauſam iam non pertinebat (fatebamur enim hæc vbicunque ſub nomine Chriſtiano fierent non fieri à bonis) ſed tamen vt admoneretur quid eſſet quærendum; reſpondimus, quærentes vtrum Helias iuſtus ei videretur fuiſſe, quod negare nõ potuit. Deinde ſubiecimus quàm multos pſeudoprophetas ſua manu peremerit. Hic reuera vidit quod videndum erat, alia licuiſſe tunc iuſtis. Hæc enim prophetico ſpiritu authoritate Dei faciebant, qui proculdubio nouit, cui etiam proſit occidi. Exigebat ergo vt docerem iam noui teſtamenti tempore, qui iuſtorum aliquem occiderit, etiam ſceleratum & impium, &c.

Hanc eorum reſponſionem cùm Auguſtinus calculo hic etiam ſuo approbare videatur, expendendum quò ea pertineat & quatenus valeat. Et primùm quidem referri hoc dictum poteſt ad publicam eccleſiæ diſciplinam: quam qui in ea præſunt epiſcopi exercent: quò retulit Auguſtinus lib. De fide & operib. cap. 2. Neq; enim, inquit, quia illam primi populi commixtionem Moyſes Dei famulus patientiſſimè perferebat, ideò non in multos etiam gladio vindicauit. Et Phinees ſacerdos adulteros ſimul inuentos ferro vltore confixit. Quod vtique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum in hoc tempore, cùm in eccleſiæ diſciplina viſibilis fuerat gladius ceſſaturus.

Et id quidem extra controuerſiam eſt, nec difficultatem habet. Verùm ſi ad reges ac principes extendere id placet, quomodo & Auguſtinus & Optatus hic faciunt, non carebit iam ſcrupulo, dum leges hic damnari videntur aduerſus hæreticos & ſchiſmaticos iam olim latæ. Eum ergo ſcrupulum eximamus oportet. In primis autem libẽter agnoſcimus temporum vtriuſque teſtamenti veteris ac noui diſtinctionem; illud enim ſeueritatis ac terroris fuiſſe, hoc autem manſuetudinis ac lenitatis, quæ non eccleſiæ tantùm, ſed Reipublicæ quoq; præfectis ſtudioſe ſit commendãda. Quare



Quare cùm olim lex vetus idololatras ſine vlla ſpe veniæ morte mulctaret; Chriſtiana charitas cum hæreticis & ſchiſmaticis id primùm agendum monet vt ab errore ac diſſenſione reſipiſcant; quodſi ex animo faciant, intercedente pro eis eccleſia humanitatis cõtemplatione in gratiam recipiantur; maximè verò ſi multi ſint numero, quomodo per Africam Donatiſtæ. Verùm ſi nec inſtitutione, nec monitis aut precibus velint ab errore diſcedere, aſperioribus remediis, charitate tamen temperatis, cuiuſmodi ſunt infamia, mulcta pecuniaria, exilium et his ſimilia, agẽdum, vt & oculos ſuos aperire, & ad cor redire cogantur. Quod cũ initio fieri nollet Auguſt. pòſt tamen experientia, vt de ſe ipſe epiſt. 48. & 50. item lib. 2. Retract. cap. 5. fatetur edoctus, ſententiam mutauit. Si qui verò inter eos ita duri ſunt atque peruerſi, vt nec his quidem malis corrigantur, & ſuo non contenti exitio alios quoque in eandem ſecum perniciem trahant; non modò nullius crudelitatis eſt huiuſmodi homines de medio tolli, ſed magnæ potius miſericordiæ ac beneficij: dum hac ratione & ſimplicium ſaluti conſulitur, & aliis nocendi in poſterum facultas eripitur; cumq; perire velint, id ſaltem præſtatur ne grauius damnentur. Quod adeò non pugnat cum noui teſtamenti ac temporis huius ratione, vt Zacharias propheta de eo ipſo loquens id tunc quoque futurum multò antè prædixerit, cap. 13. ita inquiens: Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorũ de terra, & non memorabuntur vltrà, & pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra. Et erit cùm prophetauerit quiſpiam vltrà, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum: Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini: & configent eum pater eius & mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit. Quem locum de hæreticis & hæreſiarchis intelligendum etiam Hieron. in commẽtariis admonuit. Non pugnãt ergo cum euangelica manſuetudine leges pœnales aduerſus hæreticos & ſchiſmaticos à principibus latæ; quorum eſt Rempublicam terribiliter adminiſtrare, vt inquit Auguſt. epiſt. 160. nec eas damnare intelligendus eſt idem Auguſtinus, non magis quàm ſeueram illam, & capitalem Conſtãtini Imperatoris contra idolis ſacrificantes toties ab ipſo laudatam conſtitutionẽ. Nam alioqui eodem argumento non licebit iam nec in fures, latrones ac homicidas animaduertere, quod planè abſurdum eſt: atqui etiam Auguſtino teſte hæreſis ſchiſmatisq; peccatum multo eſt illis grauius; neque minus mortis ſupplicio dignum. Qua de re nonnihil ſuprà ad lib. 3. contra Creſc. cap. 50. Hæc ſi cui nondum ſatisfaciunt, & plus aliquid Auguſtinum velle contendet, connumeranda erit hæc eius ſententia illi, quàm eum tot exemplis coactum, paulò antè diximus retractaſſe.

IN CAP. XLVII.

fauente ſibi ſacerdote legato] Hunc ſuprà cap. 3. Carthaginis vocat legatum, à concilio fortaſſe Bagaienſi miſſum, ad Primianum in ſedem ſuam reſtituendum. Sed neſcio an is potuiſſet Maximiano priuatam domum eripere, aut ad cauſam coram ſe dicendam ipſum compellere.

cum populis ſibi adhærentibus] Pro ſibi, legebatur ſuis.

proturbarentur, expellerentur] Ita rectius quàm perturbarentur, quomodo habes & lib. 2. contra Donatiſt. cap. 12. Vt eoſdẽ Maximianiſtas baſilicis excluderent, & iudiciorum ſtrepitu atque auxiliorum impetu proturbarent. Vtitur eadem voce & lib. 6. ca. 7.

IN CAP. XLVIII.

maluitque ſe committere examini] Ex MS. adiecimus ſe.

Quadam ſanè interlocutione] Noua hic eſt periodus ſtatuenda; agit enim de Proconſulis interlocutoria ſententia ante cauſæ definitionem dicta. Perperam autem in excuſis ſana, pro ſanè, legebatur.

apud Seranum enim tunc Proconſulem] Hunc ſuprà Herodem appellat lib. 3. cap. 56. ad quem locum aliquid hac de re diximus.

IN CAP. XLIX.

quia ea non apud acta fecerunt] Videtur locus non carere ſcrupulo: MS. enim omnia vt & vetera Amorb. & Froben. loco ea, legunt eum: ſcriptum fortaſſe fuit tũ. Similis locus eſt ſuprà initio cap. 47.

quod illic cùm iter agerem comperi] Ita commodius manuſcr. quàm, quid illic.

mortua viuis corpora iungebant] MS. legunt coniungebant, quomodo habet Auguſt. & ſuprà lib. 3. contra Parmen. cap. vltimo, vbi idem tractatur argumentum: Virgilius tamen lib. 8. Æneidos, vnde hæc petita ſunt, iungebat habet, ſic inquiens de Mezentio Etruſcorum tyranno:

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibuſq; manus atq; oribus ora.

De his plura diximus ſuprà ad vltimum caput ſuprà dicti lib. 3. contra Parmenian.

IN CAP. L.

Ecce enim non dico, &c.] Totus hic locus & mutilus erat & perturbatus; ſic enim legebatur, Ecce enim nõ dico, Si perſecutionem qui patitur habendus eſt innocens, Maximianus eſt paſſus: ſed dico, Si perſecutionem facere non licet, fecit Reſtitutus. Nec dico, ſi perſecutionem qui patitur, habendus eſt innocẽs, paſſus eſt Saluius. Vbi in primis altera pars antitheſi caret, nihilq; eſt cui reſpondeat perſecutor Reſtitutus; quemadmodum innocens Saluius Maximiano. Altera verò, quæ perſonas continet perſecutionem paſſorum, nec ipſa membra habet oppoſita: vt enim audis in priori parte Non dico, ita & in poſteriori, Nec dico. Vbi prætereà negat ſe dicere, Saluiũ perſecutionem eſſe paſſum, cuius hic tamen perſonam vrgere inſtituit, vt ex verbis proximè ſequentibus clariſſimè cernitur. Geſta, inquit, recito, verba quæ non vis repeto, fecit Reſtitutus, paſſus eſt Saluius. Sed nec ſententiarum rectus eſt ordo, priores enim eſſe debent perſecutorum antitheſes, poſteriores eorum qui perſecutionem ſunt paſſi, quod obſeruatum vides non ſolùm in verbis iam citatis, verumetiam lib. 1. contra Petilian. cap. 18. & lib. 3. contra Creſc. cap. 59. Et ordinem quidem reſtituunt vtcunq; MS. ſed lacunam non implent: ſic enim legunt, Ecce enim non dico, Si perſecutionem facere non licet, fecit Reſtitutus. Nec dico, ſi perſecutionem qui patitur, habendus eſt innocens, Maximianus eſt paſſus. Sed dico, ſi perſecutionem qui patitur, habendus eſt innocens, paſſus eſt Saluius: Vbi perſecutionem paſſos, Maximianum videlicet & Saluium, poſterius vides nominatos. Verùm nec hanc lectionem ſatisfacere, conſtat ex eo quòd vna ſit hic tantum perſecutoris perſona, Reſtituti videlicet; & prius membrum antitheſi ſua careat. Imo verò & falſum eſt quod ſe hic negat velle dicere, nempe Reſtitutum feciſſe perſecutionem; id enim eſt quod hic vrget vel maximè, vt ex ſequentibus liquet. Atq; hanc fuiſſe arbitror cauſam, cur alij ordinẽ ſententiarum immutarint: quanquã & ipſi dum Charybdim vitare voluerunt, in Scyllam inciderunt. Ergo ex lib. 1. contra Petil. cap. 18. ad quem locum hic reſpexit Auguſt. rurſus ex lib. 3. cõtra Creſc. cap. 59. quem locum hic repetit, & iterato ex Maximianenſiũ cauſa tractat, ita hic locus planiſſimè reſtituendus eſt: Ecce enim non dico, Si perſecutionem facere non licet, fecit Optatus (quod dixerat præfato lib. contra Petilian.) Sed dico, ſi perſecutionem facere nõ licet, fecit Reſtitutus (pro quo ſuprà contra Creſconium, Sed dico, inquit, ſi perſecutionem facere non licet; fecerunt veſtri; videlicet in concilio Bagaienſi) Nec dico, Si perſecutionem qui patitur, habendus eſt innocẽs, paſſus eſt Maximianus (vt ſuprà contra Petilian.) Sed dico, Si perſecutionem qui patitur, habendus eſt innocens, paſſus eſt Saluius. Libro contra Creſcon. perſonam perſecutionem paſſi non mutauit, eundem enim Maximianum & Bagaienſe concilium, & Optatus Gildonianus perſequebantur. Loco hoc ad eum modum reſtituto vides quemadmodum ſingula ſingulis reſpondeant, Optatus Reſtituto, perſecutores ambo: Maximianus Saluio, ambo itidem à prioribus, alter ab altero perſecutionem paſſi.

IN CAP. LI.

ſimul vt in quo eſſetis errore] MS. cum veteribus Amorbach. & Froben. pro vt, legunt &. Fortè ſimul vt & in quo.

& in quo ſacrilegio] Deerat copula &.

contra vnitatem pacemque Chriſti videremini] Prorſus legendum videtur verſaremini.

ſicut terroribus veſtris] Non dubitaui ita hunc locum reſtituere etiam contra legentibus MS. quæ cum excuſis habebant erroribus.

IN CAP. LII.

quin & nobiſcum concordare poſſitis] MS. & Amorbachius legunt quod &.

cui neſcio quorum Afrorum crimina demonſtraſtis] Imo non demonſtrarant; deeſt ergo non, aut ſimilis negatio.

vi veritatis fateri coactus ſis] Sic rectè MS. pro quo perperam in omnibus excuſis, in veritate fateri.

IN CAP. LIII.

auſus es inquam teſtamento Dei reluctari] Repetit locum ſuprà lib. 3. cap. 63.

vt cùm Deus in eodem teſtamento] In MS. ſimul & veteribus excuſis ac Pariſ. pro Deus, legitur quis.

Non facis certè] Ex MS. adiecimus certè.

IN CAP. LIIII.

in qua refellenda operam non ſumerem] MS. cũ Amorb. conſtanter legunt non conſumerem, id eſt conſumere ſeu perdere nollem.

IN CAP. LV.

quin etiam quia dixi] Hinc ſtatuendum capitis exordium.

reſpondes me hoc fuiſſe confeſſum] manuſcr. vetuſtaq; Amorbach. ac Froben. habent reſpondes me hoc homo: legendum arbitror hoc loco.

Si vos probabilius, nos ergo probabiliter] Totum hoc deerat in excuſis, vt liquet ſuprà ex lib. 3. cap. 75.

& oſtendi ex illis literis vbi verba didicimus] Virgilij librum intelligit, qui linguæ Latinæ gratia prælegi pueris ſolet. Deprauatiſſimè autem excuſa, & oſtendi. Ex illis literis didicimus vera. Alteram lectionem confirmat ſuprà initium ac finis cap. 75. lib. 3.

non ſemper augeat quod cõparat] *Pro eo quod erat* cõpararat. A

Dij meliora piis] *MS. nihil addunt præterea, in excuſis legebantur etiam quæ apud Poëtam ſequuntur, ſed adiecta à quopiam arbitror, & repetita ex libri ſuperioris cap. 75.*

IN CAP. LVI.

Iam illud, quod Syluanum] *Excuſa addebant* in.

Munacio Felice confecta] *Sic MS. non* Numacio. *conſentit ſuprà locus lib. 3. cap. 29.*

ibi protulit Syluanus capſulam argenteam] *Lib. ſuperioris cap. 29. & epiſt. 165. pro* capſulam, *legitur* capitulatam, *quod germanius eſſe arbitror, ac vetuſtatis eſſe vocabulum, quo ſignificetur quippiam ad cultum diuinum pertinens. Priorem tamẽ lectionem reliquimus quòd ea omnium hic eſſet etiam MS.*

quòd diceret ſe poſt arcam inueniſſe eas] *Idem repetitur & ſupr. lib. 3. cap. 29. eſtq́ hic locus alter ex altero reſtituendus: vbi enim deerat* eas, *quod hic legis, hic pro* quod; *quo modo illic habebatur, incommodius erat* quo: *niſi fortè legendum ſit,* quas diceret ſe poſt arcam inueniſſe.

Victor Aufidij] *Hæc MS. conſtans eſt lectio non hoc tantùm loco, ſed & ſuprà iam ſæpe dicto lib. 3. cap. 29. Excuſa per nominatiuum legebant* Aufidius. B

quæſiuit Conſularis, Qui adminiſtrabat?] *Praua quæ in excuſis erat diſtinctio ſenſum corruperat, vt illud* qui adminiſtrabat, *ad* Conſularem *pertinere videretur; cùm id ſit quod quærebat, qui nimirum eo tempore epiſcopatum adminiſtraſſet. Clarius fuerat,* Quis adminiſtrabat? *quæ fortaſſis verior eſt lectio: futura etiam commodior, ſi aduerbium* tunc, *quod cum ſequentibus hæret, prioribus iungatur, legaturq́,* Quis adminiſtrabat tunc? Syluanus in clericatu victor reſpondit.

ſeuerus vltor extiterit] *Ita commodius quàm* extiterat.

quaſi aliquid ſeuerius videatur] *Perperam excuſa* videbatur.

Quod Syluanus ſi facere voluiſſet] *Neſcio vnde in excuſis pro* Syluanus, *irrepſerit* Felicianus.

etiam ſi non epiſcopus] *id eſt cum epiſcopi authoritate, honore & munere. Nam traditionis ſimiliumq́ criminum cõuicti ab officio & gradus dignitate deponebantur.*

vt ipſi cum eis intus eſſent] *Loco* vt, *habebant excuſa* vbi.

apud quos aut ab agnoſcente meruit abſolui] *Sic MS. veteraq́ Amorb. & Froben. non* ignoſcẽte, *vti nunc excuſa: opponitur enim hoc ei quod ſequitur,* aut non meruit ab ignorante damnari. C

contrà quàm meruerat] *Pro eo quod erat* contra quem, *etiam apud Amorbachium.*

IN CAP. LVII.

hinc docetur] *Sic MS. quod malim quàm* his, *vti legebant excuſa omnia.*

Dixi enim quòd ſi documenta] *Perperam* Dixit.

IN CAP. LVIII.

quæſtio communionis agitetur] *ſic MS. & excuſa omnia, ſed neſcio ánne pro* communionis, *legẽdum ſit* communis, *id eſt vtriuſque partis & Primiani & Maximiani. Nam & ſuprà lib. 7. contra Donatiſtas cap. 2. ſimilis erat corruptela, vbi loco* cauſa communis, *habebant impreſſa omnia,* cauſa communionis. *Reliqui tamen alteram lectionem & non incommodam, & MS. præſidio fultam.*

deinde aliam quæ apud Cebarſuſſi] *Sic MS. veteraq́ Amorb. & Froben. quod neſcio quis mutauit in* Cabarſuſſi. *idem admonuimus ſuprà cap. 6.*

paucis Byzacenis & Prouincialibus] *Maximianiſtæ enim in Byzacio & Proconſulari prouincia, vbi erat & Carthago, potiſſimum reſederant.* D

criminum alienorum] *Pro* aliorum. *Nam & infrà eodem hoc cap. legis* criminibus alienis.

vel quia non curaſtis] *Deeſſe videtur,* vel quia non potuiſtis, *aut ſimile quippiam; vt liquet ex lib. 1. contra Petilian. cap. 22. & lib. 2. contra Donatiſtas cap. 6.*

Cùm ergo dixerim] *Perperam in excuſis omnibus* dixeris.

Eccleſiæ, hoc eſt Catholicæ] *Lib. 1. contra Petilian. cap. 22. ad quem locum reſpicit hic Auguſt. ita legitur,* Eccleſię plenariæ & Catholicæ vnitati; *quomodo & hic paulò poſt,* veſtri autem in eccleſia plenaria & Catholica remanſerunt.

vt vos intus eſſetis] *Pro* vt, *legebãt nõ rectè impreſſa vniuerſa* &.

reſpondere voluiſti] *Pro* voluiſtis: *ſequitur enim,* quid reſpondebis.

quoniam non miſiſtis, ſed vos potius exiſtis foras] *In excuſis omnibus erat* quoniam non miſſi eſtis, *vt ſignificetur eos non aliena, ſed propria voluntate ab eccleſia receſſiſſe. verùm de hoc nulla hic quæſtio, ſed vtrum Donatiſtæ Catholicos extra eccleſiam Chriſti eiecerint, an verò ipſi potius ab ea exierint. Siquidem aliquã ſuperius,* quid eſt, A *inquit,* quod reſpondere voluiſti, ideò ſeparationem factã quòd nos foras eſſemus propulſi; veſtri autem in eccleſia plenaria & Catholica remanſerunt? *& poſt pauca:* Sed videlicet iſta illam miſit foras. *Et mox:* Ergóne iſta illam miſit foras? *Quem tandem locum his de quibus agitur verbis concludens,* vide, *inquit,* vbi ſitis, & redite intro: quoniam non miſiſtis, ſed vos potius exiſtis foras. *Eodem faciunt & quæ ſequuntur.*

IN CAP. LIX.

vel certè aduertiſſe diſſimulans] *Pro* certè, *legebatur* te.

Dixiſſe me affirmas, non eſſe frumẽta Dominica, quam ego eccleſiam Catholicam ſic aſſerui quomodo eam nõ aſſerit ſcriptura diuina] *Locus mutilus aut deprauatus, quod & ipſa lectionum varietas indicat. Nam MS. quædam legebant hoc pacto,* dixiſſe me affirmas non eſſe frumenta Dominica, quam hæc: Eccleſiam Catholicam ſic aſſerui, quomodo eam aſſerit ſcriptura diuina. *Nõnulla,* dixiſſe me affirmas nõ eſſe frumenta Dominica quã hæc: eccleſiam Catholicam ſic aſſerui, quomodo eam aſſerui, quomodo eam aſſerit ſcriptura diuina. *Reliqua verò ſic,* dixiſſe me affirmas non eſſe frumenta Dominica, quam ego eccleſiam Catholicam ſic aſſerui, quomodo eam nõ aſſerit ſcriptura diuina. B *quam lectionem habet etiam Amorb. Conſentiunt & Froben. niſi quòd negationem detraxerunt,* quomodo eam aſſerit ſcriptura diuina. *Quadruplicis huius lectionis nulla eſt quæ ſatisfaciat: nã de prima quidem & altera quin deprauatæ ſint, nulla eſt controuerſia. Tertia videri queat non incommodum habere ſenſum, vt verbis iis omnibus aduerſarij criminatio intelligatur comprehenſa; verùm ſequentia nõ ſatis aptè prioribus iam annectuntur. Cui malo poſtrema lectio mederi conatur, dum & negationem tollit, & Creſconij verba non alia hic facit quàm,* nõ eſſe frumenta Dominica. *Quæ caſtigatio probabilior foret, ſi quod ſequitur,* quam ego eccleſiam, *rectius cohæret. Si diuinare liceat, ego locum hunc ita reſtituerim:* dixiſſe me affirmas, non eſſe frumenta Dominica: quoniam ego eccleſiam Catholicã ſic aſſerui, quomodo eam aſſerit ſcriptura diuina. Frumenta ſola in horrea recondentur, *&c.*

nunc eccleſia tanquam area cum palea trituratur] *MS. legunt* triturantur, *vt ad frumenta referatur; quod ſanè malim, & rectius quadrat, niſi quòd addenda iam erit præpoſitio:* nunc in eccleſia tanquam in area cum palea triturantur.

quod vos eſſe monſtraſtis, non vos poſſe tolerare dixiſtis] C *Pro his omnibus legebant excuſa,* quod vos eſſe demonſtratis, *nec quicquam præterea.*

ac ſic ex ipſa area] *Prius erat non rectè* ac ſi.

IN CAP. LX.

nunc vndecunque prolatum recitetur] *verbum* eſt, *quod adijcitur etiam in MS. non legitur ſuprà lib. 1. contra Petilian. cap. 23. vnde hic locus petitus eſt, & rectius abeſt: quare ſuſtulimus & hic, & aliis duobus infrà locis.*

quàm, vt ſi fieri poteſt] *Ex MS. adiecimus* vt.

aduerſus te legatur, à te proferatur] *Legendum fortaſſe,* quod à te proferatur.

quoniam non eſt per Africam, qua vos eſtis] *Sic MS. & Amorbach. Senſus eſt, per quam totam vos eſtis. Locutio eſt paulò durior, niſi fortè legendum ſit vt aliquanto infrà,* quaqua verſus. *Primus Frobenius præpoſitionem adiecerat, legens* in qua, *ſed non ſatis peritè; nam in Africa erant & reliqui omnes Donatiſtarum ſchiſmatici.*

quibus ne credatur] *Perperam* nec.

IN CAP. LXI.

Perſarum ritus, ſidera Chaldæorum] *Deprauatiſſimè vulgo,* D ipſarum ritus.

vt omnia iſta non ſint] *In excuſis deerat negatio.*

Sic commemoratum eſt hoc teſtamentum] *MS. noſtra & Amorbachius legunt* teſtamento.

atque in ſuis quique iacentes & creſcentes locis] *In excuſis erat* latentes & creſcentes. *Altera eſt MS. omnium lectio, quam vt præferam facit quod ſuprà cap. 60. ſub finem eodẽ verbo vtatur:* Vbi enim cadunt, *inquit,* ibi remanent; & vbi ſeparantur, ibi areſcunt: vnde ipſa de qua præciduntur etiam in eas terras extenditur vbi iacent illa quæque in ſua regione fragmenta. *Ex quo eodem loco ſubodorari videor, pro* creſcentes, *legendum* areſcentes: *cui coniecturæ fauet quoq́ quod infrà ſequitur hoc cap.* ſed vt reuiuiſcant ex radice charitatis & vnitatis, à qua ſeparati ſterilitate animoſitatis areſcunt.

ſi non eos frumento veſtro] *Ironia eſt ex cap. 59. pendẽs: niſi quis fortè legendum putet* fermento.

IN CAP. LXII.

Firmaſti enim & vos hoc dicere] *Sic manuſcr. duo, quod malim quàm* Firmaſtis.

inesse



ineſſe potuit, non prodeſſe] *Pro quo erat in excuſis omnibus,* ſi eſſet non prodeſſet. A

IN CAP. LXIIII.

& mihi pacem deſideranti non iraſcantur] *Legendum arbitror* iraſcatur.

Vnde non tam doleo] *hac videlicet obliqua criminatione & obiectione tua: nam dolebat ſanè & tunc ob priſtinos errores ſuos.*

quam ſi placet admoneo] *MS. quædam habent,* & tamen ſi placet admoneo; *quod vt quadret pro* tam, *quod eſt paulò antè, legẽdum foret* iam.

quia feciſſet ſub eadem vrbana obliquitate mentionem] *MS. cum Amorbachio conſtanter legunt* feciſſe: *ſed nec id placet. legendum fortè,* cuius feciſti ſub eadem vrbana obliquitate mentionem.

quam de me ille ſcripſit iratus] *Sic MS. quod malim quã* iſte.

ſed potius recolens prudẽter] *Ita legendum non dubito pro* prudens.

IN CAP. LXV.

quæ mea epiſtola] *Perperam in excuſis omnibus,* quæ in ea epiſtola. *Alteram lectionem habent MS. quorum vnum legit* in mea.

vt ea quæ à me dicta ſunt euacuares] *Sic MS. & excuſa vetera pro* euacuaris.

ſed nihil te video refelliſſe] *Ex MS. adiecimus pronomen* te.

in eorum fronte configite] *Sic MS. & ſuprà Auguſt. lib. 1. contra Petilian. cap. 27.* B

& in ora coarctate] *In excuſis deſiderabatur præpoſitio* in, *quam addunt non ſolùm MS. ſed vetera quoque excuſa Amorb. ac Froben. quin legitur & ſuprà dicto capite lib. 1. contra Petilianum.*

eorum impudentiam cohibete] *MS. cum Amorb. legunt* imprudentiam: *ſed alterum rectius quadrat cum eo quod præceſſit,* in eorum fronte configite.

vt nihil vobis reſtet] *Perperam* nobis.

IN CAP. LXVI.

Palam nobis oſtendite] *Non rectè excuſa recentiora* oſtendit.

ſocietatem maiorum noſtrorum] *Sic MS. & Amorbach. pro* veſtrorum.

quòd non hæc vna Maximianenſium cauſa] *Ex MS. adiecimus voculam* hæc.

tot Chriſtianas gentes tam lata per mũdum Chriſtiana vnitate porrectas] *Ita rectè MS. & Amorb. vbi Frobeniana, pro* lata, *legẽtes* latè, *occaſionem dederunt & alteri quæ iam in vulgatis erat, deprauationi,* tam latè per mundum Chriſtiana vnita porrectas. C

*Annotationum in quatuor libros contra Creſconium Grammaticum finis.*

# ANNOTATIONES IN OPERIS B. AVGVSTINI QVOD BREVICVLVM INSCRIPSIT COLLATIONVM, PRÆFATIONEM.

*Ex collatione ad veteres Amorbachij & Frobenij, necnon Lutetianas editiones, deſtituentibus nos hic MS.*

CVM Catholici epiſcopi & partis Donati] *Donatiſtarum epiſcopi ad amicam frequenter collationem à Catholicis inuitati,* D *cùm ſuæ cauſæ diffidentes omnem ſemper congreſſum ac diſputationem detrectarent; Africani PP. in ſynodo quadam Carthaginienſi Theodoſio iuniore & Rumorido Conſ. decreuere vt ſinguli in ſuis quiſque ciuitatibus aduerſarios ſibi epiſcopos actis publicis conuenirent, criminum rationem exacturi quæ Catholicæ eccleſiæ paſſim obijcerent. idq́ eo conſilio, vt ſi facere id vellent, aut ſchiſma de medio tolleretur, calumnioſa eorum detegeretur improbitas; ſin nollent, mala eorum cauſa proderetur. Conuenti coram iudicibus, reſponderunt initio ſe facturos, idq́ iam dudum ſe optauiſſe vt fieret: ſed poſt cùm ſtare promiſſis vrgerentur, reſilierunt, licitum ſibi eſſe negantes cum traditoribus eorumq́ poſteritate in colloquium venire. Ergo Catholici poſt longam tandem moram, videntes ſine principali authoritate nihil cum eis agi poſſe, authore Auguſtino legationem ad Honorium Imperatorem miſere, vt Africanæ eccleſiæ tam indignè afflictæ ac diſcerptæ ſolita pietate ſuccurrere dignaretur; & quia nihil pacificè impetrari à Donatiſtis poſſet, iuberet vtriuſque partis epiſcopos Carthaginem conuenire, vbi mutua collatione veritas appareat, ſublatiſq́ diſſidiorum cauſis tandem aliquando pax & concordia reſtituatur.* A *Imperator Collationem indixit, & Marcellinum quendam, virum doctiſſimum religioſiſſimumq́ cauſæ cognitorem iudicemq́ conſtituit. Qui euocatis Carthaginem & Catholicorum & Donatiſtarum epiſcopis, poſt triduanam diſputationem, ſententiam pro Catholicis tulit, Donatiſtas omnium documentorũ manifeſtatione confutatos pronuncians. Eius Collationis acta ſeu geſta diligentiſſimè excepta, conſcripta collataq́ fuere, ac ſubſcriptionibus vtriuſq; partis firmata. Mortuo verò Marcellino cùm de robore eorum dubitari à quibuſdam cœpiſſet, Honorius edita lege quæ extat Cod. Theod. lib. 16. tit. 5. l. 55. rata firmaq́ eſſe iuſſit, ac æternitatis memoriæ conſecrauit. Catholicorum autem opera in varia exemplaria transfuſa per totam paſſim Africam longè lateq́ ſunt diuulgata: vnde & ad Orientales eccleſias peruenere; nam & citatur inde aliquid velut ex cap. 187. in Actis quibuſdam Conſtantinopol. concilij 2. quod Iuſtiniani Imperatoris tempore coijt, cuius fragmentum nuper ſeſe nactum ſcribit Franciſc. Bald. Refert autem Auguſtinus lib. De geſtis cum Emerito, Collationis huius acta ſolere annis ſingulis apud diligentiores celebrioreſq́ eccleſias per dies ieiunij quadrageſimalis vniuerſa per ordinem populo recitari, nominatim Carthagine, Conſtantina, Tagaſta, & Hippone ciuitatibus, idemq́ vt in Cæſarienſi Mauritaniæ eccleſia fiat, Deuterium eius loci epiſcopum conſtringit. Quanquam autem magna diligentia procuratum tunc ſit, vt ad poſteritatem tranſmitterẽtur, quodq́ futurum Auguſt. epiſt. 152. ſibi pollicetur, temporis tamen* B *iniuria, ac poſterorum negligentia, potiſſimum verò Vandalorum in Africam irruptione qui eam nonaginta plus minus annis oppreſſerunt, intercidêre. Nuper verò Franciſc. Bald. maiorem melioremq́ eorum nactus erat partem, ſed præmaturè abreptus edere non potuit; quæ cùm magno redempta optauiſſem, atque apud eius amicos ac hæredes inquiri iuſſiſſem, dilapſa neſcio quò, intellexi. Sed bene eſt, quod Auguſtini beneficio epitomen ac compendium ſaltem eorum habemus; nam is cùm multos videret nimia prolixitate ab eorum lectione deterreri, quibuſdam quoque non tantum eſſe otij vt perlegere vacaret, in compendium ea contraxit, quem librum Breuiculum ſeu Breuiarium Collationis Carthaginiẽſis appellauit. Meminit libri eius epiſtola 158. ad ipſum Marcellinum,* Fuit, *inquit,* mihi breuiatio Geſtorum Collationis noſtræ ſatis operoſa, cùm viderem neminem velle tanto aggeri literarum legendo ſe committere. *Et epiſt. 50. ad Bonifacium Africæ Comitem:* Quemadmodum autem, *inquit,* in ipſa Collatione modis omnibus victi ſint Donatiſtæ, quoniam valde prolixa ſunt geſta, & tibi aliis rebus Romanæ paci neceſſariis occupato multum eſt vt legantur, breuiarium eorum tibi legi forſitan poterit, C quod credo habere fratrem, & coëpiſcopum meum Optatum; aut ſi non habet, poteſt facillimè accipere de eccleſia Sitiphenſi, quandoquidem liber iſte iam ſua prolixitate curis tuis forſitan oneroſus eſt. *Idem egit Auguſtinus lib. poſt Collationem, & breuius quoq́ epiſt. 152. quam cõmuni epiſcoporum nomine ex Cirtenſi cõcilio ad vulgum Donatiſtarum conſcripſit. Sed de his hactenus.*

apud Tribunum & Notarium Marcellinum] *Marcellinus hic vir prudens fuit ac induſtrius, animiq́ cum primis religioſi, nec iuris modò ſed & omnium bonarum artium peritiſſimus; literarũ verò ſacrarum ac ſubtilium quoq́ in eis quæſtionum adeò ſtudioſus, vt in mediis etiam Reipub. curis ab earum inquiſitione animum non relaxaret. Teſtes ſunt non pauci libri à B. Auguſtino, quem vnicè colebat, ad eum ſcripti. In primis De peccatorum meritis ac remiſſione, deq́ baptiſmo paruulorum contra Pelagianos lib. 3. De ſpiritu & litera liber vnus; De ciuitate Dei lib. 22. Epiſtolæ quoq́ præter 158. & 159. quinta & ſeptima. Scribit ad eundem & B. Hieronymus De origine animæ, quem ille (vt refert etiam ipſe Auguſt. epiſt. 157. ad Optatum) ſuper hac quæſtione per literas conſuluerat. Meminit honorificè Marcellini eiuſdem & Oroſius lib. 7. cap. 42. vbi eum Heracliana ſcribit factione periſſe: vt autẽ addit Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, innocens ab hæreticis fuit interfectus;* D *corrupto, vt non eſt improbabile, à Donatiſtis Marino Comite. Qua de re plura in noſtro Commentario. Cæterùm Tribunorum & Notariorum magna fuit olim dignitas, eadem quæ nunc regiorum Secretariorũ: Agitur de his Cod. Theod. lib. 12. tit. 7. vbi variis honorum titulis beneficiiſq́ exornantur, & à ſordidis muneribus vindicantur. Huius ordinis fuit & Dulcitius ille, qui fuit Imperialium legum & iuſſionum aduerſus Donatiſtas poſt Collationem datarum executor, vt teſtatur Auguſtinus lib. 2. Retractat. cap. 59. Ad quem extat eiuſdem epiſtola 61. duæ item Gaudentij Thamugadenſis Donatiſtarum epiſcopi, quas refellit Auguſtinus. Diuerſum autem eſſe arbitror ad quem ſcriptus eſt libellus qui extat tomo 4. titulo, Ad octo Dulcitij quæſtiones. Tribunus Notariuſque fuit & Dalmatius, quem B. Ambroſius epiſtola 32. à Valentiniano iuniore ad ſe miſſum eſſe ait, qui ipſum ad conſiſtorium euocaret cum Auxentio Arriano diſputaturum.*

vt ad ſigna numerorum, quæ & in iſto breuiculo, & in ipſis geſtis annotantur] *Signa hæc Collat. diei primæ ac ſecundæ in capita conuerti, ſed Collat. tertiam quæ prolixiſſima eſt, & pauciſſimas habebat numerorũ notas, iis ſublatis in 25. cap. digeſſimus. Nam cùm intercidering*

ciderint maiora illa geſta, nec extent fortaſſe in iis ea ſigna ad quæ hic reſpexit Auguſtinus, nullo eis incommodo carebimus.

IN CAP. I.

Ingreſſis itaque] Perperam Ingreſſus.

primo loco recitatum eſt reſcriptum Imperatoris] Datum, vt inquit Bald. qui id legit, Rauennæ, pridie idus Octob. paulò poſt captam à Gotthis Romam.

vt ſuperſtitionem manifeſta ratio confutaret] Verba ſunt Honoriani reſcripti.

IN CAP. II.

vt conuenirentur vtriuſque partis epiſcopi] fortè conuenirẽt.

In eo edicto baſilicas ſine iuſſione Imperatoris reddidit Donatiſtis, qui ſe pollicerentur eſſe venturos, vt eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis inuitaret] Id ſi defendere placet, de iis erit eccleſiis intelligendum, quas ipſi proprias poſſederant ac ædificarant, nec Catholicæ vnquam fuerant vnitatis: Nam & has lex Theodoſij ſenioris eis ademerat: quas prius tamen eis fuiſſe permiſſas teſtis eſt Auguſt. lib. I. contra Parmen. ſub finem. Quanquam ſperabat eos hac Collatione ſanandos, & ad Catholicam eccleſiam rediturọs; quo facto, reſtitui eis ſanè poterant eorum baſilicæ.

In eodem etiam edicto obtulit eis, vt alium quem vellent cum illo iudicem conſtituerent] Id recuſaſſe Donatiſtas refert Auguſt. lib. poſt Collat. cap. 26.

IN CAP. III.

qui locus, & qui modus Collationis futurus eſſet] Locus Collationis delectus eſt in Thermis Gargilianis, vt infrà dicetur cap. 14.

& admonuit vt ei pars vtraque reſcriberet] Pariſ. minus rectè ſcriberet legunt.

vtrum placerent quæ comprehendit edicto] Amorbach. legit quos. Vetera Froben. & Lutet. quas. Nos primam lectionẽ retinuimus.

IN CAP. IIII.

Et recitata eſt notaria Donatiſtarum] Notaria ſeu potius Notoria eo ſeculo appellabatur ſcriptura quæ notum aliquid faciebat vel indicabat. Vtitur ea voce & infrà non ſemel Auguſt. cap. 6. 7. & 14. item Collat. 2. cap. 2. & 3. poſt Collat. cap. 24. Epiſt. 159. & 160.

IN CAP. V.

Quinto loco recitatæ ſunt literæ Catholicorum] Earum exemplum integrum habes libr. De geſtis cum Emerito, vnde id repetere licebit.

quod ſi in parte Donati] Illud quod, addebant vetera Amorb. & Froben. necnon Lutetiana omnia. Suprà autem ad lib. 2. contr. Parmen. cap. 13. admonuimus hæreticos ad eccleſiam reuertentes, iuxta veterem eccleſiæ diſciplinam, ad eccleſiaſticos honores etiam in quibus antè fuerant vel apud Catholicos vel hæreticos, admittendos non eſſe. Eum canonem, ſi vincerentur, ſubire Catholici non detrectabant, amore pacis; Donatiſtis verò, ſi ipſi ſuperarentur, remittebant ac relaxabant.

ſed conſilium eorum ſecuturos] Non concilium, vt liquet ex ipſis eorum literis, quas ſuprà in geſtis cum Emerito recitari diximus.

Quòd ſi plebes duos in vna eccleſia epiſcopos ferre nõ poſſent] Id ne fieret canonib. etiam cautum erat. Qua de re Damaſus papa epiſt. 4. & poſt ea tẽpora Hilarius pontifex epiſt. 2. Cabilon. cap. 4. Toletan. 12. cap. 4. ſed eccleſiæ pax & neceſſitas contra interdum facere cogit. Refert autem Auguſtinus in ſupradictis geſtis cum Emerito inſignem hiſtoriam ad hanc rem pertinentem, quam hic, niſi prolixior foret, tranſcribere cuperem: inde ergo qui eam cognoſcere volet, repetat licebit.

IN CAP. VII.

tota ipſa cauſa comprehenſa eſt] In Lutetianis deeſt ipſa.

& quia nihil ei præiudicarent] Primæ Amorb. & Frobenij excuſiones conſentientibus Lutetianis legunt ſed quia, ſed noſtram præferimus: nulla hic enim aduerſatiua ſignificatur, ſed enumeratio eſt eorum quæ in literis Catholicorum continebantur; vnde & ſequentia membra copulatiua nectuntur.

commemorata eſt etiam cauſa] In noſtris deerat verbum eſt.

quod eos, quibus dilationem] Excuſa cætera eis legunt, ſed non rectè.

IN CAP. VIII.

quia per hos oporteret agi omnia quæ agenda eſſent] Nam in publicis actionibus collegij ſeu ſocietatis alicuius certas perſonas deligi oportet per quas quod communiter agendum eſt, agatur & fiat. Non dubitaui autem locum hunc ita reſtituere, cùm prius editiones omnes haberent, per hoc.

quia dies præteriſſet] Prius erat etiã in cæteris excuſis, quin dies præteriſſet. Quod ſi legas, non habebit locum tergiuerſatio Donatiſtarum, qui lapſum iam eſſe tempus, vti reuera erat, cauillabantur. Vnde & mox ſequitur, ideò diem iam tranſiſſe dicebant; quod idem tum ex ipſa temporis ſupputatione, tum ex Collat. diei 2. cap. 3. ſatis eſt etiam manifeſtum. Quare pro quin, repoſuimus quia.

ſicut interrogatum reſpondit Officium] Officium inter cætera officiales ac miniſtros Magiſtratuum ac Præſidum ſignificat. Hinc Officium Proconſulare, Comitiale, Præfectoriale, Præſidale, quo poſtremo vtitur & Tertullian. lib. De fuga in perſecutione. Quibus autem perſonis officia ſingulorum conſtarent, docet liber cui titulus, Notitia Romani Imperij. Marcellini ergo Cognitoris quibus in hoc iudicio vtebatur, officiales ſignificantur.

Sed ad hoc eis reſpondit ipſe Cognitor] Qui enim pro tribunali cognoſcit, nonnunquam tempus iudicati prorogat, inquit Iurecõſultus.

IN CAP. IX.

Nono loco quoniam Cognitor] Pro quoniam, non rectè Lutetiana quem.

non epiſcopalis, ſed forenſis potius eſſe obiectionis] Suſtulimus verbum eſſe, quod excuſa hic omnia initio legebant, nihilominus et pòſt repetentes, ſic enim habebant, non eſſe epiſcopalis, ſed forenſis potius eſſe obiectionis.

Et aliquandiu conflictio producta eſt] Infrà Collat. diei 3. cap. 17. habet conflictatio.

IN CAP. X.

qui vel ignorantur] In omnibus impreſſis erat, qui vel ignoranter: ſed ignorantur, legendum docent ſequentia. Nam tolerantia non eſt niſi cognitorum malorum.

quem in concilio ſuo criminoſius accuſauerant] Loquitur de Carthaginienſi contra Cæcilianum concilio, in quo Felicem eius ordinatorem fontem malorum omnium dixerunt. Teſtis eſt Auguſt. infrà Collat. diei 3. cap. 14. & lib. 3. contra Creſc. cap. 6.

audienda & diſcutienda differrentur] Ita rectè poſteriora Frobeniana. Nam priora cum Amorbachianis legebant differreretur, quod Lutetiani caſtigare volentes, fecerunt differeretur.

in conſcriptione geſtorum legenda remaneret] Perperam excuſa omnia remanerent; refertur enim ad id quod præcedit, Eccleſiæ cauſa.

IN CAP. XI.

per quem prorſus abrũperetur ipſa Collatio] Ita rectius reliqua excuſa quàm hæc noſtra, per quem rurſus.

quia Catholici non ea pompa qua illi Carthaginem fuerant ingreſſi] Sic lib. poſt Collat. cap. 25. Congregantur, inquit, ex vniuerſa Africa tot epiſcopi, ingrediũtur Carthaginem cum tãta ſpecioſi agminis pompa, vt tam magnæ ciuitatis oculos in ſe intentioneḿq; conuertant.

IN CAP. XIII.

Cognitor obtulit petens, vt conſidentes potius agerẽt, quàm ſtantes: Donatiſtæ autem recuſauerunt] Eundem conſeſſum iterum eis offert Collat. diei 2. cap. 1. quem cùm iterum recuſarent, etiam ipſe Cognitor ſtando ſe cogniturum reſpondit. Recuſationis cauſam ibi adferunt; quòd prohibitum ſibi eſſet cum talibus ſedere, Catholicis videlicet, quia ſcriptum eſſet Pſal. 25. Non ſedi in concilio impiorum. Sed ad quod rectè eſt eis à Catholicis reſponſum Collat. diei 3. cap. 9. non ergo cum eis vel intrare in concilij locum debuiſſe, quandoquidem in eodem Pſalmo ſequatur, & cum iniqua gerentibus non introibo. Idem tractat lib. poſt Collat. cap. 5.

& in laudem ipſius Cognitoris] quem tamen poſtea tot calumniis proſciderunt.

IN CAP. XIIII.

Quartodecimo loco mandatum etiam Donatiſtarum] Ita rectè Amorb. pro quo cæteri, Quartodecimo hoc mandatum.

quod ſe magna intentione] Malim contentione.

In ea ſanè recitatione] Familiaria ſunt hæreticorum arma, doli & mendacia.

ſed poſtea reſponderunt] Ita rectè Amorb. pro ſed potius.

quãdo preſens præſentibus] Perperã cætera omnia, præſentes.

Reſpondit Officium nomina Donatiſtarum epiſcoporum eſſe 279.] Lib. poſt Collat. cap. 24. vbi idem tractat Auguſt. recenſebãtur in vulgatis tantum 273. ſed cùm prior numerus infrà hic idem repetatur, eum putauimus præferendum.

In loco ergo Collationis, hoc eſt in Thermis Gargilianis] In cæteris eſt Gargilionis. Annotat Balduinus in Actis ipſis ſcriptum eſſe, hanc Collationem habitam in ſecretario Thermarum Gargilianarum, quod videri ait fuiſſe nobile aliquod Carthagine auditorium. Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 25. in vrbe media fuiſſe indicat: Locus etiam, inquit, re tanta dignus in vrbe media procuratur. Cap. verò vltimo, locum ſpatioſum, lucidum, & refrigerantem fuiſſe narrat.

Quoniam itaque ſe Donatiſtæ de numeroſitate iactabant] Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 24. iactitaſſe eos refert, pluſquam quadringentos ſe per Africam epiſcopos eſſe. Certè Bagaienſi concilio quod annis non amplius quàm ſeptẽdecim Collationem hanc præceſſerat, conuenerant Donatiſtarum 310. epiſcopi; qui ſi Maximianenſes ſuos, qui contra Primianum plures quàm centum coierant, addi ſibi paterentur, erat eorum certè iam numerus amplius quàm quadringentorum: adeò ſchiſma illud per Africam ſuccreuerat.

diuerſis



diuerſis neceſſitatibus impediti] Deeſt aliquid; fortè eſſent, vel tenerentur.

remanentibus eis quos neceſſarios vtrique delegerant] Cognitor ſeptem vtrinque deligendos præſcripſerat qui inter ſe diſputarent, ac totidem qui conſilio ſi opus eſſet adhiberentur. Eos, qui fuerint, non recenſet hic Auguſtinus, ex aliis tamen eius locis quos reperire potui, ex parte Catholicorum quidem fuit Aurelius Carthaginienſis, Alipius Tagaſtenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Euodius Vſalenſis, & Poſſidius Calamenſis epiſcopi. Ex Donatiſtarum verò parte Primianus Carthaginienſis, Petilianus Conſtantinienſis ſeu Cirtenſis, Emeritus Cæſarienſis, Gaudentius Thamugadenſis epiſcopi. Reliquos prolixiora Geſta vbi in lucem venerint, edocebunt. Dicemus de his plura in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum. Cæterùm perperam Lutetiana & vetera Frobeniana, in quos neceſſarios, niſi pro delegerant, legas conſenſerant. Nobiſcum facit Amorbachius.

## IN COLLATIONIS DIEI SECVNDI CAP. II.

vt ſibi mandatum Catholicorum ederetur] Ita rectè & Amorbach. Perperam verò Lutet. & veter. Frob. quæ pro ſibi, legunt ſi.

& reſponſio Cognitoris] In cæteris editionibus omnibus deprauatè cognitorum, nam vnicus hic Cognitor præfuit Marcellinus.

IN CAP. III.

illi ſe multum moueri dixerunt, quòd hoc conſuetudo non haberet] Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 11. videri ait ideò ſubſcribere noluiſſe vt negare ſe poſſent dixiſſe quod dixerant, & de geſtis corruptis iudici calumniari.

eis recitaretur] Prius erat in omnibus exemplarib. recitarentur: ſed ſingularis numeri verbum exigit quod præcedit, quod eorum notarij exceperant.

& inde iam fuerat primo die tranſitum] Duriuſcula locutio, quali vtitur & Collat. diei 3. cap. 20. tranſitum eſt aliquantum, inquit. Cui ſimile eſt quod habet eiuſdem Collat. cap. 3. Peruentum eſt. Nec procul abſcedit quod ait in Pſal. 57. quando exitum fuerit ex hac vita, quomodo loquitur & Optatus lib. 1. ſic exitum eſt foras.

in edicto Cognitoris Kalendarum Iuniarum dies cõſtitutus legeretur] Hoc die Collationem inchoatam teſtatur etiam Franc. Balduinus, qui hoc in Geſtis initium fuiſſe ait, Poſt Conſulatum Varanis Kalend. Iuniis, qui fuit annus à natò Chriſto 411. proximus poſt captam à Gotthis Romam.

Dictum eſt etiam, ipſum Primianum ad Kalend. Iunias ſe pollicitum occurrere] Nimirum in reſcripto eius ad Cognitorem Marcellinum, nam alioqui præſens ipſe iam hic aderat.

cùm geſta edita fuerint] Mendoſè prius, congeſta edita.

## IN COLLATIONIS DIEI TERTII CAP. II.

cœperunt perſonas quærere petitorũ] Id malim quã cœperãt.

Peruentum eſt, vt Imperatoris præceptum] Non caret locus mendæ ſuſpicione, legendum fortè, Obtentum eſt, vel Tandem eò peruentum eſt.

Collationem petiſſe Catholicos declaratum eſt] Occaſionem habes infrà eodem hoc cap. Plura de hac re diximus ſuprà ad lib. huius præfationem, eadem latius in hiſtoria noſtra tractaturi.

in pragmatico reſcripto preces inſeri non ſolere] Pragmaticum reſcriptum ſeu ſanctio pragmatica dicitur, quæ adhibita diligenti cauſæ cognitione ex omnium procerum, aut concilij totius cõſenſu in modum ſententiæ ad vniuerſitatis alicuius preces cõceditur, aut fertur. Quæ quia legis vim habet, rectè ait Cognitor huiuſmodi reſcriptis inſeri preces non ſolere, quod tunc demum fit, quando parti reſpondendi locus conceditur; id quod cauſa plenè ventilata, cognita, ac perſpecta fieri non debet, nec poteſt. Ergo quia Imperatori eiusq; concilio liquidò conſtitit iuſtiſſimas eſſe cauſas compellendi Donatiſtas ad faciendam cum Catholicis collationem, ita id iuſſum & mandatum eſt, vt nullus eis exceptionis, tergiuerſationis, aut excuſationis locus relinqueretur.

eoſdemque legatos quos ad hoc impetrandum miſerãt] Horum nomina inuenio in Græcis Carthaginienſium conciliorum Canonibus, quos nuper nobis dedit Guilielmus Morelius: tres autem fuiſſe dicũtur, Florentinus, Poſſidius & Melanthius, Carthaginiẽſis concilij decreto ad Honorium imperatorem miſſi, poſt conſulatum Honorij octauum & Theodoſij iunioris tertium, 17. Kalend. Iulias, qui Rauẽnam, vbi tunc ob metum Gotthorum agebat imperator, profecti, Collationem impetrarunt pridie Idus Octobres.

IN CAP. III.

Dicerent Donatiſtæ apud ſe potius eſſe Catholicam] Commune fuit omnibus ſemper hæreticis, vt Catholicæ eccleſiæ titulum ſibi vindicarent, ſeq; verè Catholicos eſſe contenderent. Author Lactantius lib. 4. cap. 30. Auguſt. De vtilitate credendi cap. 7. Contra epiſt. Manichæi cap. 4. & De vera religione cap. 7. Nominatim autem Donatiſtæ vt præter hunc locum liquet ex lib. 2. contra Gaudent. cap. 2. Epiſt. 48. & lib. 2. contra Petilian. cap. 38. Arriani quoq; Vandali in Africa, quos Victor Vticenſis lib. 3. perſecutionis Vandalicæ, infremuiſſe refert, quòd Homouſiani Catholicos ſe auſi eſſent appellare.

vel mandato quod eis iniunctum eſt] In cæteris excuſis erat, vel à mandato: ſed redundat præpoſitio.

vel mandato quod eis datũ eſt, manifeſtando] Reliqua impreſſa omnia legunt manifeſtando falſum. Sed videtur illud falſum, ex margine in textum irrepſiſſe, vbi quiſpiam ſignificare volens Donatiſtas falſum Catholicis obijcere, adſcripſerat, falſum.

Tunc Cognitor cùm reſponſionẽ à Donatiſtis exigeret, reſponderunt, Afros] Vulgata cætera & vetera, & recentiora legunt reſpondit, vt ad Cognitorem referatur; ſed non rectè: clarum eſt enim verba quæ ſequuntur, non Cognitoris, ſed Donatiſtarum eſſe. Vide & lib. poſt Collat. cap. 28. vnde hic locus non parum quoq; illuſtratur.

Donatiſtæ autem reſponderunt, non Catholicum nomen ex vniuerſitate gentium, ſed ex plenitudine ſacramentorum inſtitutum] Catholicorum appellationem cùm vt paulò antè diximus, hæretici certatim ad ſe omnes rapiant, neceſſe habent reiecta veteri ac germana eius interpretatione nouam comminiſci. Ita hic Donatiſtæ, Catholicum nomen non ex vniuerſitate gentium, ſed ex plenitudine ſacramentorum inſtitutum dicunt. Quod repetens Auguſtinus epiſtola 48. ad Vincentium Rogatiſtam, Acutum, inquit, aliquid videris dicere, cùm Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris; ſed ex obſeruatione præceptorum omnium diuinorum, atq; omnium ſacramẽtorum. Quam interpretationem videri queant à Paciano mutuati, vt & alteram illam Petiliani, qua Catholicum idem eſſe dicebat quod vnicum ſiue totum, refertq; Auguſt. lib. cõtra eum 2. cap. 38. Hæc enim Paciani ſunt verba epiſt. 1. ad Sympronianum. Chriſtianus, inquit, mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, iſtud oſtendit; hoc probor, illo ſignificor. Et ſi reddenda poſtremò Catholici nominis ratio eſt, & exprimenda de Græco interpretatione Romana, Catholicus vbiq; vnum, vel, vt doctiores putant; obedientia omnium nuncupatur, mandatorum ſcilicet Dei. Vnde Apoſtolus ſi in omnibus obedientes eſtis. Et mox: Ergo qui Catholicus, idem obediens; qui obediens, idem & Chriſtianus, atque ita Catholicus Chriſtianus eſt. Quare ab hæretico nomine noſter populus hac appellatione diuiditur, cùm Catholicus nuncupatur. Sed & ſi Catholicus vbiq; vnum eſt, ſicut ſuperiores putant, idipſum Dauid indicat dicens, Aſtitit regina in veſte deaurata, & varietate; hoc eſt vna in omnibus: Additq; teſtimonium ex Cantico canticorum, vbi vna prædicatur eccleſia; & poſtea concludens, Ergo, inquit, in omnibus vna, & vna ſuper omnia, ſi rationem nominis quæris, apparet. Idem repetit epiſtola 2. mirificum eſſe dicens Catholicum nomen, cuius vis nominis ſit, vnum in omnibus, vnum ſuper omnia, vel deniq; filius regis inquit. Sed hæc ille, non animo ſtudioq; malo, ſed Græcæ linguæ ignoratione. Alias atque alias interpretationes commenti ſunt noſtri temporis hæretici. Caluinus Catholicam dici ait eccleſiam, quia electos omnes contineat. Brentius, quia non ſit alligata ad certum aliquem locum, gentem, aut hominum genus. Melanchthon, admonitus quòd in Auguſtana confeſſione nihil de eccleſia Catholica dixiſſet, in Apologia tribus id verbis attingens, referri hoc ait non ad omnes gentes, ſed ad homines in orbe ſparſos. Nimirum fabulæ quiſque ſuæ ſubſeruiens: Donatiſtæ, vt in eccleſia non niſi boni ac iuſti, quales ſe ſolos prædicabant, eſſe viderentur. Caluinus, vt ſolos in ea prædeſtinatos reperiri doceret. Brentius, vt eam ſignificaret non eſſe Romanæ eccleſiæ, pontificiq; neceſſariò coniunctam. Deniq; Melanchthon, vt eam inuiſibilem faceret. Neq; verò procul à Donatiſtarum interpretatione recedunt, qui Catholicam ſpectandam ex eo eſſe docebãt, quòd euangelium in ea Chriſti ſincerè prædicetur, & iuxta eius inſtitutionem ſacramenta adminiſtrentur. Nam ea & ſchiſmaticis competit, & ita generalis eſt, vt eam omnes hæreſes vindicare poſſint.

Cæterùm longè aliter vocem eam accipiendam docet Auguſtinus non vno in loco, quæ ſuprà citauimus ad lib. 2. contra Petilian. cap. 38. Cui & cæteri patres ſuffragantur. In primis verò Cyprianus lib. De vnitate eccleſiæ Catholicæ, cuius verba repetit tractatq; idem Auguſt. lib. 2. contra Gaudentium cap. 2. quem locum concludens ita ait, Per totum dicit, & per vniuerſam terram porrigi extendiq; Catholicam, Græco eius nomini ac definitioni cõſentiens. Et Optatus lib. 2. Inde, inquit, dicta Catholica eſt, quòd ſit nationabilis (ſic enim legendum, non rationabilis) & vbiq; diffuſa. Et aliquanto pòſt, Ea, inquit, Catholica eſt, quæ in toto eſt terrarum orbe diffuſa. Hieron. quoque in illud Matth. 24. ſicut fulgur exit ab Oriente. Nec non Cyrillus Hieroſol. catecheſi 18. Vincẽtius præterea Lyrinenſis libello aduerſus profanas hæreſes. Similiter & Iſidorus lib. 1. Officior. cap. 1. Sed & Beda in 6. caput Cantici canticorum. Iulij verò pontificis

A *tificis ſententiam citat Iuonis decretum parte 3. cap. 3. Deniq; Pacianus quoque ipſe, qui quanquam interpretationem habet cum Donatiſtis cõſentientem, tamen ſub finem epiſt. 3. ſeu tractatus contra Nouatianos, haud obſcurè cæterorum accedit definitioni; vt in prioribus epiſtolis ex aliorum potius ſententia, quàm ſua locutus videatur. Quanquam in Catholicæ interpretatione, non ita locorum omnium gentiumq; vniuerſitatem vrgemus, vt ſacramentorum, præceptorum, doctrinæ, virtutumq; plenitudinem ſimul quoq; ſignificari poſſe negemus: nam omnes has ſimul rationes coniungit Cyrillus & Iulius locis prædictis; explicatq; Ioannes de Turre cremata eccleſiaſticæ ſummæ lib. 1. cap. 13. nec reclamare videtur Auguſtinus epiſtola 48. Sed hanc præcipuam, propriamq; eſſe dicimus; quàm vnam quia deeſſe ſibi vident hæretici, peſſimè oderũt, ac perſequuntur. Cæterùm Vincentius Lyrinenſis in eruditiſſimo illo libello aduerſus hæreſeon omnium nouitates, acutiſſimè vidit, non à locorum gentiumq; tantùm, ſed temporum etiam omnium plenitudine, Catholicum eſſe dictum; vt eccleſia fideſq; Catholica ea demum ſit, quæ tum per orbem totum genteſq; omnes, tum per omnia tempora & ætates præteritas futuraſq; ſeſe extendat ac diffundatur. Id quod nullis hæreticorum conuenticulis, nulli hæreſi, nulli ſchiſmati conuenire poteſt. Sed de his hactenus: nunc ad caſtigationes reuertamur.*

quod legatis iniunctum edi ſibi petiuerant] *Perperam in impreſſis reliquis,* iniunctum eſt. B

In cap. IIII.

collationem petitam conceſſamque conſtabat] *Ita rectè excuſa cætera, pro eo quod prius hic erat,* confeſſamque.

ſicut res ipſa vel ſero poſtea patefecit] *Mendosè pro* vel, *in reliquis* vt *legebatur.*

ſe ab vnitate diuiſerint] *Pro* diuiſerunt, *quod habebant cætera.*

non vbi obiicerent diluenda] *Perperam in reliquis omnibus* obiicienda.

& quamuis tunc conferre noluiſſet] *Pro eo quod apud omnes erat* noluiſſent: *refertur enim ad ſolum Primianum.*

tamen in iudicio Præfectorum] *Vicarij videlicet Præfectorum, cuius acta initio capitis ſequentis, vicariæ vocat præfecturæ.*

etiam Donatiſtas Collationem petiſſe] *Et tamen nihil minus quàm conferre volebant. O ſuperbiam hæreticam!*

illi contra ab initio] *Neſcio an nihil hic mendæ ſubſit, nam illud* ab initio, *parum hic rectè quadrat.*

In cap. V.

longè antè, quàm ipſam Collationẽ ab Imperatore petiuiſſent] C *Concilium Carthaginiẽſe quo id à ſingulis fieri placuerat, in Græcis Canonibus celebratum ſcribitur Theodoſio Iuniore & Rumorido Cõſſ. qui fuit ante Collat. Carthag. annus octauus.*

per Anulinum Proconſulem accuſando miſerunt] *Proconſulis relationem habes apud Auguſt. epiſt. 68. Partem libelli Donatiſtarum apud Optatum lib. 1. De quibus latius in Comment. noſtro rerum Donatiſticarum. Cæterùm pro* Anulinum, *ſeu* Annulinum, *vt legitur apud Optatum lib. 3. perperam erat* Amillinum; *& vt quadam,* Mercillinum. *Rectè autem ſcriptum habes hoc nomen apud Auguſtinum etiam in excuſis, epiſt. 48. 68. & 167. Item lib. De vnico baptiſmo cap. 16. Apud Euſebium lib. 10. extant Conſtantini ad eundem epiſtolæ duæ, vbi apud interpretem Chriſtophorſonum* Anilinus *dicitur. Anulinum ſcripſiſſe debebat, Græca enim habent* Ανυλῖνος: *notum eſt autem quomodo Græcorum* υ, *per* v, *noſtrum ſæpe vertatur. Duplicatum eſt autem hoc mendum typographorum incuria, dum* u, *pro* n, *legentes,* Auilinus *fecerunt. Similis eſt ſcribarum error in S. Aurelio, vbi Diocletianum Amilini ex liberto Senatoris filium fuiſſe ait; rectius apud Pomponium Lætum vbi Anulini, ſcriptum legis. Anulinum habes in faſtis etiam conſularibus, ante conſulatum Diocletian. VI. & Conſtantij Cæſ. II. Fuit autem Anulinus iſte Africæ Proconſul, homo ethnicus, & Chriſtianorum* D *per ſuam prouinciam ſub Diocletiano perſecutor grauiſſimus, vt tum ex Optati lib. 3. tum ex variis Martyrum geſtis cognoſci poteſt.*

vt ſi propter ea geſta] *Diuiſis, non coniunctis dictionib.* propterea.

Iſta ergo ne recitarentur] *Perperam* nec.

Dicentes quòd ſenſim, id eſt paulatim, inducerentur in cauſam, & ad cauſæ interna deducerentur] *Ex libri poſt Collat. cap. 24. diſcimus verba hæc Donatiſtarum, quæ hic Auguſtinus coniungit, non vno contextu eodemq; ſimul loco ab eis eſſe dicta. Quod ideò admonemus, ne quis in his verbis ſupereſſe aliquid opinetur.*

vt ea quæ à Catholicis offerebantur] *In reliquis excuſis omnibus deſiderabatur præpoſitio* a.

quod vtique optare deberent] *Redundat* vt, *quod hic in cæteris editionibus præponebatur.*

In cap. VII.

Lecta eſt relatio Anulini] *Et hic erat in omnibus* Amilini.

neſcio quas ſicut iactabatur calumnias præparantes] *De quib. ſuprà lib. 3. contra Petilian. cap. 16. & lib. 3. contra Creſc. cap. 80.*

A Vbi cum eis intrepidè reſponderet à Megalio ſe ordinatum] *Vnico, non geminato* l, *vt in cæteris.*

qui tunc fuerit primas epiſcoporum in Numidia] *Calamenſis illic epiſcopus; vt eſt apud Poſsidium in vita B. Auguſt. cap. 8. qui defunctus refertur epiſtola 149. Pro* primas, *mendosè legebant cætera excuſa* primatus. *Principem appellat Creſconius apud Auguſtinum lib. contra eum 3. cap. 80.*

In cap. VIII.

Data notoria Donatiſtæ] *Hic legis* notoria; *conſentientibus excuſis omnibus.*

per quas primitus dilatata eſt] *Ita rectè Lutetiana. in cæteris erat* dilata, *niſi malis* delata.

quo aſſererent eccleſiam partis Donati] *Pro* quod; *quomodo legebant cætera.*

ſicut tam multa Catholici protulerunt] *Ita rectè & Amorb. Non rectè prima Froben. & Lutetian.* multi.

quodcunque dixerunt] *id eſt, quicquid potuerunt.*

Illi auferunt aliena, nos intermittimus ablata] *In Catholicos hoc dixit Primianus, quia per leges imperatorias Baſilicæ eorum & quæ eccleſiæ titulo poſsidebant, Catholicis donabantur: quæ intermittere, hoc eſt negligere, contemnere, non repoſcere ſuos ait, quia nimirum recuperare non poſſent: quanquam non omnia quæ vel Catholicorum prius fuerant, reddiderunt.* B

veritatem in iniquitate detineri] *Rectè cætera præpoſitionem hæc addebant, nam & paulò antè hic legitur,* Veritatem in iniquitate detinent.

ſiue omnia quæ non pro communione Donati] *Locus videtur corruptus aut mutilus. fortè pro* omnia, *legendum* damna.

quamuis iam intra retia] *Pro* infra.

In cap. IX.

Tunc Donatiſtæ interrumpentes dixerũt, quod de area non legeretur in euangelio ſcriptum] *Emeritum Cæſarienſem id dixiſſe refert Auguſt. lib. 2. contra Gaudent. cap. 4. Nónne tibi venit in mẽtem, inquit, de palea Dominicæ areæ, id eſt, eccleſiæ, vſq; ad tempus ventilationis in vna permixtione toleranda, diſputantibus, cùm Emeritus vrgeretur, negaſſe illum atq; dixiſſe, Non legis aream. Qui cùm & à ſuis ſecretius admoneretur, & à nobis apertius commemorantibus ex euangelio, Dominum eſſe venturum ferentem ventilabrum in manu ſua, quã mundabit aream ſuam, & frumentum recondet in horreo, paleam verò* C *comburet igni inextinguibili; continuò correxiſſe obliuionis errorem, quo negauerat ſcriptum, &c.*

rurſus interrumpendo] *Pro* irrumpendo.

Inde inter ſtrepitus & interruptiones] *Ita rectè Amorb. pro eo quod erat* interruptores; *quomodo & vetera & recentiora Frobenij, & Lutetiana.*

quibus in bono mundi nomen eſſe poſitum oſtenderetur] *In cæteris excuſis omnibus perperam erat* nomine.

malos in eccleſia nunc ſic eſſe permixtos] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, cùm prius eſſet,* malos in eccleſia non ſic. *nam eum ſenſum ſequentia flagitant; atq; ita legis infrà cap. 10.* nõ eam eccleſiam quæ nunc habet permixtos malos.

Hæc duo tempora eccleſiæ] *ſic excuſa reliqua, pro quo erat in noſtris* tempore.

Vna ante reſurrectionem Chriſti] *ſic rectè legebat Amorb. Id naſutulus quiſpiam peruertit in* Vnum, *ad tempus referri exiſtimans, cùm manifeſtè ad piſcationem pertineat.*

in eccleſia futuros] *Pro* futuras.

vbi vlterius hæreſes & ſchiſmata] *Pro eo quod erat* alterius.

quia tunc non erunt] *Fortè,* quæ tunc.

D De Prophetis etiam, quia dixerant Donatiſtæ in literis ſuis, non eos communicare illis, in quos mala tanta dixerũt, Reſpõderunt Catholici, quod vnum templum fuerit, quo vniuerſi vtebantur.] *Id de Prophetis iis eſt intelligendum, qui habitabant in tribu Iuda, non autem in decem tribubus: nam templa & ſacrificia ibi tunc omnia idololatrica erant, ad quæ ſine dubio non conueniebant Prophetæ Domini: quanquam nec extra Hieroſolymitanum templum ſacrificare fas erat, nec vero quidem Deo. Diſtinguẽdum ergo hic erat inter Iudam & Iſraëlẽ, interq; Hieruſalẽ, & Samariam, interq; ſacrificia quæ vtrobique offerebantur: quod perturbantibus ſemper Donatiſtis Catholici non ſatis hic obſeruarũt. Latius ac plenius hæc perſequitur Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 20. qui locus cum hoc eſt conferendus.*

ad peccata parentum etiam filios pertinere] *Videri poterat legendum,* peccata par[e]ntum etiam ad filios pertinere: *niſi ita loqueretur Auguſt. & Pſ. [...] contra partem Donati,* Scriptum eſt, ad peccata patrum filio[s n]o[n] pertinere. *Ita enim legendus eſt locus ille.*

*Apparet autem [...] [de]eſſe hic aliquid; nam Catholicorum reſponſio videtur non ſatis cu[...]*

Cùm



A Cùm tanta in illum populum] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod legebatur in omnibus,* Cùm tantum.

& acerba dicta ſint] *deeſſe videtur vocula,* tam.

Non ſedi in concilio impiorum] *Non rectè cætera* conſilio, *eſt enim hic Græcè* συνέδρων.

In cap. X.

vnam quæ nunc habet permixtos malos] *Et hic non dubitauimus pro* non habet, *quomodo legebant excuſa omnia, reponere* nunc habent. *Idem mendum erat & ſuprà cap. 9.*

vt hinc appareret] *Pariſ. non rectè* apparet.

Ad hæc Donatiſtæ rurſus eadem replicare non deſtiterunt] *In reliquis excuſis erat* eandem.

In cap. XI.

dicentes huius cauſæ Chriſtum iudicem eſſe debere, & inuidiam facientes Catholicis, quòd hominem petiuerant iudicem] *Donatiſtas imitantur hac in parte noſtri temporis hæretici, qui ſi quid in ſcripturis ambiguum aut controuerſum occurrit, non ad SS. eccleſiæ PP. qui ex hac vita deceſſerunt, non ad illorum qui eis ſucceſſerũt, ſed ad eius tantum tribunal, quem in ſymbolo iudicem viuorum & mortuorum profitemur, referri patiuntur. Cuiuſmodi nuper & Brentij declinatoriæ tergiuerſati reſpondens R. D. Cardinalis Hoſius: Quid autem* B *aliud, inquit, lib. 3. optarint omnes parricidæ, ſicarij, venefici, fures, latrones, & quotquot ſunt criminis rei capitalis, quàm vt nullus eſſet in terris iudex alius præter eum quem profitemur è cælo venturum iudicem viuorum & mortuorum, vt illis interea liceret in quorumuis fortunas & capita liberè graſſari? Atqui multis modis vos iſtis eſtis ſceleratiores, qui non in corpora, verùm in animas piorum graſſamini, ac dum eis peſtiferum doctrinæ veſtræ virus aſſlatis, in ima tartara miſeras præcipitatis. Et mox, Sed verè dictum eſt illud, Qui malè agit, odit lucem. Si te bonam habere cauſam Brenti conſideres, legitimum eccleſiæ iudicium non defugeres. Quoniam verò ipſe tibi conſcius es impiæ doctrinæ, ſacrilegæq; ſeparationis tuæ, præſtabilius tibi videtur, vt ſit anarchia quædam inter Chriſtianos; nec ſit quiſquam qui vel cognoſcat de ſacrilegiis veſtris, vel conuictos debitis pœnis afficiat, quò ſic vobis omnia impune licere queãt.*

quod calce & aceto humanos oculos perſecuti ſint] *De hac Circumcellionum crudelitate plura in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum.*

ex ipſis quos damnauerunt] *ita rectius, quàm cum cæteris* damnauerant; *ſequitur enim,* & perſecuti ſunt.

quam & iudici inferre conati ſunt] *Perperam* inferri.

Cumque his Donatiſtæ reſpondentes] *Ita rectè Amorb. In cæteris erat* Donatiſtis. C

malam eſſe arborem iactitantes] *Pro* iactantes.

de vna & immortali eccleſia] *Copulam adiecimus ex reliquis excuſis. nam duplex hic erat Donatiſtarum calumnia, primùm quòd mortalem Catholici facerent Chriſti eccleſiam, deinde quòd duas facerent, quæ vna tantum eſſet, eaq; immortalis, vt liquet ſuprà ex cap. 10.*

Ex hoc iam cœpit agi] *Pro quo non rectè Lutetiana,* Et hoc.

In cap. XII.

Recitatæ ſunt duæ relationes Anulini] *Pro* Amillini.

Vna quæ iam ſuperius erat recitata] *Videlicet cap. 7. Vbi annotauimus eam extare apud Auguſt. epiſt. 68.*

de parte Maiorini] *pro quo perperam in cæteris excuſis,* de parte maiorum: *vt liquet etiam ex epiſtola 68. Apud Optatum eſt,* de parte Donati, *lib. 1. & 3.*

Altera autem qua oſtendit] *Eam necdum inueni.*

Tum deinde lectæ ſunt etiam literæ ſupradicti Imperatoris ad epiſcopos datæ, vbi eis cauſam Cęciliani iniunxit audiendã] D *Extat ſuper hoc argumẽto epiſtola eius ad Melchiadem pontificem apud Euſebium lib. 10. cap. 5. quam ille neſciens vt apparet quò pertineret, in extremam operis ſui partem reiecit. Meminit ibidem Imperator literarũ ad Gallicanos epiſcopos miſſarum; & earum quas ab Anulino reperit, quarum exemplar & hic paulò antè lectum ſignificatur.*

Epiſcopale iudicium Melchiadis Romani epiſcopi] *Id extat apud Optatum lib. 1. ſed breuiter commemoratum, cuius plenior cognitio tum ex hoc loco, tum ex epiſt. 162. peti poteſt. De quo & nos plura in Commentario noſtro.*

vbi etiam promiſerunt] *Redundat accuſatiuus* ſe, *qui in cæteris hic addebatur.*

Duas itaque ob res illa voluiſſe recitari] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod erat in exemplaribus omnibus,* ob res illas. *Sermo eſt enim de Geſtis Romani iudicij.*

& vt petitoris perſona conſtaret] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod erat,* & vt petitori conſtaret. *Propius acceſſit Amorbachius, apud quem erat,* & vt petitoris conſtaret: *vbi vocem* perſona, *deſiderari ex præcedentibus intelligi poteſt: nam & paulò antè,* cùm ageretur, *inquit,* de perſona petitoris.

A quoniam legi cœpta fuerant] *Videtur deeſſe aliquid, fortè pronomen* quæ.

In cap. XIII.

poſtea ſuggeſſiſſe Proconſuli] *Anulinus hic fuit, de quo huius lib. cap. 7. & 12. Id diſcimus ex Optati lib. 3. & geſtis Martyrum illius temporis.*

ad Chriſtianorum ſcripturas auferendas] *In reliquis erat non rectè* offerendas.

& vltrò dicerent ſe habere ſcripturas] *Non dubitaui quin ita legendum ſit, cùm in omnibus eſſet* vltra.

& ab eis honorandis eum prohibuiſſe Chriſtianos] *Hinc nata videtur fabulæ occaſio, cuius paulò pòſt faciemus mentionem, cap. 14. & 17.*

facinoroſi arguebantur, & fiſci debitores] *Deerat in cæteris copula* &, *quam tamen ſequentia poſtulare videntur.*

miſſos à Curatore & Ordine Centurionem & Beneficiariũ] Curatorem, *ciuitatis ſeu Reipub. præfectum intelligit; quo nomine Munacius quidam ſuprà lib. 3. contra Creſcon. cap. 29. & lib. 4. cap. 56. in Cirtenſi colonia appellatur.* Ordo, *collegium hic Senatorum ſeu Curiam ſignificat.* Centurio *autem quis hic appelletur, an in re militari,* B *qui centum militibus præſit, an in ſchola vt dicunt, ſeu collegio Agentium in rebus, qui centum ſcholares habeat ſubiectos, qui & Centenarij dicebantur; non ita certum eſt. Qui verò ſint Agentes in rebus, quive in eorum ſchola gradus ac ordines, à Iureconſultis repetendum ad lib. 12. Cod. vbi crebra eſt horum mentio. Meminit eorum & Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 6. Porro ſuprà ad lib. 3. contra Creſcon. cap. 70. annotauimus Centurionem ab Auguſtino dici, quẽ Optatus lib. 1. Superſtationarium appellat, qui ſanè ex cohortalibus & præſidiariis erant. Centurionis filium fuiſſe Tertullianum, ſed proconſularis, teſtis eſt Hieron. in Catalogo. Centurionum aliquot meminit etiam Euſeb. lib. 6. cap. 34. & lib. 7. cap. 14. ſed quos militares fuiſſe certum eſt. Nam poſteriore loco explicans quid ſibi nomen hoc velit, Eſt quidam honos, inquit, apud Romanos, qui* κλῆμα *appellatur; quem qui adipiſcuntur, eos Centuriones fieri aiunt.* Κλῆμα *autem, hoc eſt vitis ſeu palmes, Centurionum erat militarium inſigne; quemadmodum faſces Conſſ. ſed hoc diſcrimine, quòd faſces illæ virgarum Conſſ. præferebantur, vitis à Centurionibus geſtabatur: illis per lictores nuda terga damnatorum ad palum religatorum cædebantur, hac Centuriones per ſe, non certam, ſed quamcunq; veſtiti corporis partem ſolutorum militum qui deliquiſſent, verberabant, vt liquet ex lib. 50. ff.* C *de re militari. Plutarcho in Galba. Lucano lib. 7. Iuuenali ſatyra 7. Plinio lib. 14. cap. 1. Hinc & ipſa dignitas ac officium* κλῆμα, *ſeu vitis appellabatur: quomodò hic accipit Euſebius, & Spartianus in Adriano: Vitem, inquit, nulli niſi robuſto, & bonæ famæ dedit. Cæterùm Beneficiarij fuiſſe videntur, qui certa quædam vectigalia ſeu penſiones, cuiuſmodi iam preces ſeu precaria veluti beneficia appellamus, Imperatoris nomine recipiebant: id quod ex Tertulliano cognoſci poteſt, qui lib. De fuga in perſecutione ita ſub finem habet: Neſcio an dolendum an erubeſcendum ſit, cùm in matricibus (libelli ſunt in quibus Cæſareo fiſco penſitãtes deſcripti continebantur) Beneficiariorum & Curioſorum inter tabernarios & lanios & fures balnearum, & aleones & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur. Aliâs Beneficiarij appellãtur qui à militaribus muneribus eſſent immunes, quod ex Feſto annotauit Alciatus lib. De verborum ſignificationibus. Qui ijdem eſſe videntur quorum Plinius lib. 10. epiſt. non ſemel meminit.*

eiſque reſpondiſſe, Chriſtianus ſum & epiſcopus, non traditor] *Imitatus, vt videri voluit, Cyprianum, qui diis ſacrificare iuſſus,* Chriſtianus ſum, *inquit,* & epiſcopus; *vt habes in Actis paſſionis eius, cuius initium, Imperatore Valeriano.*

D Et cùm ab eo vellent aliqua ecbola, vel quodcunque accipere, neque hoc eis dediſſe] *Ecbola quæ hic dicantur, non ita clarum ac expeditum eſt, faciliuſq; omnino eſt intelligere quid ſibi hic Auguſtinus velit, quàm verbis exprimere. Significare autem vox ea videtur tranſſumptum, tranſcriptum, extractum, ſeu copiam vt vocant & exemplum, aut certè fragmentum aliquod; vt ſenſus ſit, perſecutores contentos fuiſſe futuros, ſi vel partem aliquam ſanctarum ſcripturarum, aut ſchedas inde aliquas acciperent, vel quiduis etiam aliud, modò ſacrum aliquid traditum videretur. Id enim & ſequentia verba ſignificant, vbi ait Secundus, noluiſſe exemplo ſe Eleazari fingere vel ſimulare. Quò facit quod infrà cap. 15. vocem eandem repetẽs Auguſtinus addit ei,* quodcunque, vel quæcunque ecbola, *inquit. Et lib. 1. contra Gaudentium cap. 37. ponit pro ea nihil aliud quàm* quodcunque.

exemplo Eleazari Machabæi] *Id eſt, de quo in hiſtoria Machabæorum.*

In cap. XIIII.

& quia cùm eſſet diaconus, victum adferti martyribus in cuſtodia conſtitutis, prohibuiſſe dicebatur] *Id legitur etiamnum hodie in geſtis Martyrum Saturnini presbyteri, Datiui, Felicis, Ampolij & aliorum ſub Anulino Proconſule in Africa coronatorum; quæ extant apud*

Lau[r]en-

*Laurentium Surium tom.2. De vitis Sanctorum Febr. 12. feciſſeq; hoc dicitur iuſſus ab epiſcopo ſuo Menſurio, poſt commiſſum ab vtroque crimen traditionis. Sed certum eſt eam fabulam à Donatiſtis confictam, vt & alias huius generis non paucas; quas alio fortaßis oportuniore loco refutabimus. Vnde rectè factum quòd idem Surius præfatione in tomum 6. iubet poſteriorem eorum Geſtorum partem reſecari, quanquam & prior eiuſdem authoris eſt. Cæterùm pro* victũ, *perperam erat in cæteris excuſis* vinctum.

Nominati ſunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui traditores aſſerebantur publicis geſtis, quæ tamen geſta non legebantur] *Exprimũtur eorum nomina lib. poſt Collat. cap. 22. vocanturq; Nouellus Tizicenſis, & Fauſtinus Tuburbitanus.*

ſed hinc ſe nullum crimen obiicere] *Certum eſt veram eſſe hãc lectionem, pro qua deprauatiſſimè in omnibus erat excuſis,* ſed hinc ſe in illum crimen. *Mendoſitas ex tranſlatis tantùm apicibus nata. Similis locus eſt paulò infrà cap. proximo, Sed de hac re Catholici nullum Secundo crimen obiecerunt.*

IN CAP. XV.

legeretur etiam de concilio Carthaginienſi nomẽ eius velut traditoris, in Cæciliani cauſa damnati] *Hæc quid ſibi velint non intelligo. Nam Secundus Tigiſitanus, quem hic pronomen* eius *reſpicere videtur, Carthaginienſi concilio præſidens Cæcilianum traditionis condemnauit, non ipſe eſt in eius cauſa damnatus: niſi quatenus in falſo Cæciliani verum ipſe crimen ſuum damnauit. Quare conſulenda ſunt vetera* MS. *ex quibus reſtitui fortè locus hic poterit.*

qui cũ tradere noluiſſent] *In cæteris perperam*, qui eũ tradere.

quomodo ipſe detentus] *Amorb. & Froben. vetera cum Lutetianis legebant* quo ipſe, *hinc natum* quod ipſe. *Sed legendum vti reſtituimus, nihil dubito.*

non quoſlibet infimos] *Cætera perperam legebant* infirmos.

cùm hoc idem perſecutoribus reſpondiſſent] *Sic Amorbach. pro quo alij* iidem.

quod ei Purpurius obiecit] *Pro* quid.

IN CAP. XVI.

Hoc autem recitato, petierunt Catholici vt etiam illa quæ dilata fuerant, legerentur de concilio Carthaginienſi] *Locus corruptus aut mutilus, nam Carthaginienſe cõcilium ſuprà cap. 14. lectum iam fuerat. Quod autem dilatum erat ac interruptum cap. 12. iudicium erat Melchiadis, de quo quod reſtabat recitatum ſignificatur infrà cap. 17.*

Hoc illud concilium quia Catholici recitauerant relationes Anulini Proconſulis] *Et hic locus deprauatus ac mutilus eſt.*

Hic Donatiſtæ de Maximiani cauſa coarctati dixerunt, nec cauſam cauſæ, nec perſonam præiudicare perſonæ] *Quomodo id poſtea conati ſint Donatiſtæ tueri, habes infrà lib. poſt Collat. cap. 19.*

quia & Dominus Chriſtus Iudæos de factis eorum conuincens, perducebat ad verum] *Sic licitum eſſe Sabbathis hominem curare, factis & exemplis eorum conuincit, quia bouem, aſinum, aut ouem in foueam delapſam, eodem die educant; Matth. 12. & Lucæ 14. Item quia ſabbatho boues ac aſinos ſoluant de præſepio, & ducant adaquatum; Lucæ 13. Rurſus quia circumcidãt homines in ſabbatho; Ioannis 7.*

epiſcopum eccleſiæ Carthaginis] *Lutetian. non rectè* epiſcoporum *legunt.*

Hoc autem dicentes, de ſua conſuetudine, quã neſcio quando inſtituerunt] *Vt nimirum locus eſſet calumniæ aduerſus Cæcilianũ.*

Eccleſiæ Catholicæ præiudicare conabantur] *Perperam in cæteris* prædicare.

Quod quidem ſi dictum eſt] *Pro* ſic dictum eſt, *quomodo reliqua excuſa.*

ideò dici potuit ad illos irridendos] *Non rectè* irridentes, *quod legunt cætera impreſſa.*

vbi probari rectè potuiſſet] *Id rectius quàm* potuiſſent, *vt habent editiones aliæ; præcedit enim,* vt innocentia eorum probanda reſtaret.

Ad hæc, & ſi qua alia] *In cæteris deeſt copula* &.

cui eandem cauſam mittendam duxerunt] *Ita hunc locum corrigendum cenſui, reclamãtibus excuſis omnibus, in quibus erat* dixerũt.

omnibus moratum vmbraculis amputatis] *Perperam* maiorum vmbraculis.

vtrum prius eſſet factum Carthaginiẽſe concilium] *Id tum ex Optato, tum ex Commentario noſtro plenius cognoſci poterit.*

in eo cauſam ſuam conſtituerant] *In noſtris deerat* ſuam.

quando ad vtrunque reſponderant] *Pariſienſ. legunt* reſponderent. *ſed placet magis altera lectio, nam ea de re iam paulò antè reſponderant.*

IN CAP. XVII.

Dixerunt tempore perſecutionis congregari non potuiſſe concilium] *Ita rectè Amorbach. pro* congregare.

Tunc Donatiſtæ protulerunt martyrum geſta, vbi auditi & pro confeſſione paſſi ſunt] *Videri queant geſta hæc eadem illa eſſe, quæ ſuprà cap. 14. ex vitis Sanctorum Laurentij Surij mentionem fecimus. Nam inprimis conuenit argumentum ipſum, ac tempus, quod perſecutione flagraſſe probant hinc Donatiſtæ. Conſentit quoque, quod vt oſtendant Catholici perſecutionis tempore paucos Antiſtites ad eligẽdum epiſcopum in priuatam domum conuenire potuiſſe, iiſdem illis geſtis quæ proferebant Donatiſtæ vtentes, dicant conuentus illic deſcribi Chriſtianorum qui in priuatam domum colligendi cauſa conuenerint, qui & in tormentis conſtituti profeßi ſint Collectam ſe illic & Dominicum egiſſe. Quæ totidem ſanè verbis in illis apud Surium geſtis continentur. Obſtat tamen quòd illa à Donatiſtis producta diem & Conſſ. habeant quibus confecta ſignificantur Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conſſ. pridie Idus Februarias, vt eſt apud Auguſt. eodem hoc cap. Altera verò illa nihil aliud habent quàm perſecutionem à Diocletiano & Maximiano indictam: vnde nullum certum tempus colligi poteſt. Ad hæc in Surianis iſtis, Menſurius & Cæcilianus manifeſtis verbis traditores referuntur, & hic præterea ab altero miſſus ad obſidendas carceris fores, ne quis concluſis illic martyribus cibum deferret, eoq; fame enectos fuiſſe. quod cùm ſuprà Donatiſtæ obiiciant, hinc tamen non probant, neutiquam ſanè omiſſuri, ſi in geſtis quæ allegabant, ſcriptum id fuiſſet, cũ proferrent priuatas etiam literas Menſurij & Secundi. Vnde ſuſpicor Geſta ea quæ hîc proferunt Donatiſtæ, vera & authentica fuiſſe, ac ex publicis archiuis petita: altera verò à Donatiſta quopiam in ſectæ ipſius fauorem, cauſæ huic aduerſus Menſurium & Cæcilianum accommodata, aſſutis aſperſiſq; fabulis ac mendaciis quotquot libuit. Tempus verò ac Conſules ideò ab eo omiſſos, ne fraus deprehenderetur: quem eorum fuiſſe morem ſatis oſtendit Auguſt. cap. hoc 17. & ſuprà 15. & 16.*

Reſponſio autẽ computantis Officij] *Perperam* cõputationis.

poſt illorum martyrum paſſionem] *Id certè Optatus apertiſſimis verbis ſcripſerat lib. 1. Poſt perſecutionem, inquit, apud Cirtam ciuitatem, &c. Quin & Auguſt. ipſe lib. 3. contra Creſcon. cap. 27. De veſtris, inquit, maioribus extat Secundi Tigiſitani concilium cum paucißimis quidem, factum apud Cirtam poſt perſecutionem codicum tradendorum, vt illic in locum defuncti ordinaretur epiſcopus.*

poſt conſulatum autem non aduertit, vbi annus iam alius agebatur] *Vt nunc per annos Chriſti, põtificatus, regni, aut adminiſtrationis tempora in actis publicis notantur; ita olim per Conſules, quorum erat annua Romæ poteſtas. Cæterùm euoluto anno vbi renunciatum nõdum erat, qui in priorum locum ſucceßiſſent, hac formula vtebãtur, Poſt conſulatum horum vel illorum qui priore anno Conſſ. fuerant; vbi verò de electis conſtitiſſet, eorum etiam nomina addebantur. Quoniam verò poſt diuiſum imperium alter Conſtantinopoli, alter Romæ ſolet cõſul deſignari, vbi de altero nondum conſtabat, in temporis notatione, vnius tantum nomen exprimebatur cum huiuſmodi additione, & qui fuerit nunciatus. Vt videre eſt Cod. Theod. lib. 16. tit. 5. l. 66. Et l. 1. De Confirmatione Cod. Theod. & Nouellarum eiuſdem.*

in domum priuatam cõueniſſe] *Ideò in domum priuatam, quia, vt inquit Optatus lib. 1. baſilicæ nondum erant reſtitutæ: Iuſſerat enim Diocletianus omnes per totum Chriſtianum orbem euerti.*

ſicut ipſis geſtis martyrum monſtrabatur, qui confitebantur in paſſionib. ſuis ſe Collectam & Dominicum egiſſe] *Id eſt ad Miſſæ ſacrificium conueniſſe.*

Hæc cùm aſſiduè] *pendet ſententia hæc vſq; ad finem cap.*

dicerentur & reſponderẽtur] *Non rectè in cæteris* reſpõderent.

ſicut in quibuſdam geſtis martyrum legebatur] *Sic rectè Amorb. pro* loquebatur. *Geſta autem hæc alia fuiſſe à ſuperioribus lib. poſt Collationem cap. 14. ait Auguſt. alioqui idem & in illis inuenitur.*

in carcere doceantur baptizati martyres] *Lutetiana legebant non rectè* baptizari.

IN CAP. XVIII.

cauſa conſiſteret] *In Lutetianis eſt* cauſam, *quomodo legebant priora etiam Froben.*

quaſi non iam iudicio eius adſiſterent, & reſponderent ſe in Cæcilianum non habere quod dicerent] *Locus deprauatus; fortè pro* non, *legendum* modò, *vel* nunc, *qualis corruptela fuit ſuprà cap. 9. & 10. Vt ſenſus ſit, Donatiſtas omiſſo hic Cæciliano, in Melchiadem criminationem conuertiſſe, idem fere dicentes quod olim (vt habet epiſt. 162.) producti teſtes in Melchiadis iudicio dixerãt, nihil ſe habere quod in Cæcilianum dicerent. Aut quod facilius fuerit,* quaſi non cum iudicio eius aſſiſterent, reſponderint ſe in Cæcilianum non habere quod dicerent, *vt refellat quod dixerant Donatiſtæ, maiores ipſorum Melchiadis iudicium refugiſſe. Cæterùm pro* reſponderent, *quod eſt in noſtris, vetera Amorb. & Froben. cum Lutetianis legunt* reſponderãt.

cuiuſmodi eſſet apparebat] *Pro* apparebit.

in quibus legebatur Melchiades miſiſſe diaconos cũ literis Maxentij



imperatoris] *Is enim à prætorianis militibus Romæ imperator creatus, beneuolentiam initio ſimulans Chriſtianorum perſecutionem adhuc feruentem inhiberi iuſſerat. Quod annotauit & Optatus lib. 1. Cæterùm ſi vera hæc geſta ſunt quæ protulere Donatiſtæ, longè diutius præfuit Melchiades quàm vulgus hiſtoricorum ſcribit, annos ei tres tantum ac duos menſes attribuens. Nam Maxentius imperium inuaſit anno Domini plus minus 306. Obijt autem Melchiades anno Chriſti 313. quarto idus Decembres.*

& literis præfecti prætorij] *Malim* prætorio; *ſic enim vocabatur.*

In proſecutione autem ſua dixerunt Melchiadem tertium pontificem fuiſſe ab illo, qui tunc erat cùm traditio illa facta eſſet] *Imò quartus fuit: nam eum præceſſere, quos Diocletiana perſecutio ſuſtulit, Marcellinus, Marcellus, & Euſebius Romani pontifices.*

à gentilibus perſecutorib.] *Sic rectius Amorb. quàm quod habebant cætera* gẽtibus: *nam alterum habes etiam bis paulò poſt repetitũ.*

iſte autem alius Straton] *Ita legit & Amorbachius; & infrà poſt Collat. cap. 13.*

niſi fortè ipſis licuiſſet Caſenſem à Donato Carthaginienſi diſtinguere] *Perperam cætera* Caſſienſem, *alibi vocatur* à Caſis nigris, *quæ Numidiæ ciuitas fuit.*

ne maior author ipſorum] *Hoc eſt maioris famæ & nominis: de quo aliàs plura.*

IN CAP. XIX.

ad Eumalium vicarium Africæ] *vel* Eumelium, *vt legebãt excuſa omnia; de qua lectione plura in lib. 3. contra Creſcon. cap. 71. vbi & verba quædam epiſtolæ Imperatoriæ recitantur. Copulam autem quæ hic addebatur ſuſtulimus, tametſi nullo ſuffragante exemplari.*

reliquis adhuc reſilientibus] *Malim* reſiſtentibus, *quanquam nec alterum reiiciam.*

reſponderunt etiam imperatorias aures prauis ſuggeſtionibus inflatas] *Lib. 1. contra Parmen. cap. 6. & lib. 3. contra Creſc. cap. 61. iactitaſſe quoq; referuntur, Imperatorem gratia fuiſſe corruptum.*

cœperũt de conſule memoratis Imperialibus literis calumniari, quòd ſine conſule fuerant recitatæ] *Reſpicientes ad Conſtãtini legem quæ eſt in Cod. Theod. Cuiacij prima omnium, Probiano & Iuliano VV. CC. Conſſ. quæ ſic habet: Si qua poſt hæc edicta ſiue conſtitutiones ſine die & conſule fuerint deprehenſa, authoritate careant.*

Cognitor etiam interlocutus eſt, euidentiſſimis legibus definitum, imperialia conſtituta, etiamſi conſules non legerẽtur, in dubium non vocari] *Inter huiuſmodi conſtituta, quæ die & Conſſ. careant, vnum illud eſt quod à Diocleт. & Maximian. Impp. ſcriptum legitur Cod. Inſtit. lib. 10. tit. 31. l. 2. vbi annotat Cuiacius & alia huiuſmodi plura reperiri, citans quoque hunc ipſum Auguſtini locum. Huiuſmodi conſtitutiones in dubium non reuocandas decreuit & Iuſtinian. l. vnic. § quibus. C. de nouo Codice faciendo. Cæterùm ſuperiorem illam Conſtantini legem ad perſonalia beneficia reſtringendam, liquet ex l. ſi qua beneficia, C. de diuerſis reſcriptis.*

poſſe enim archiua conquiri] *In cæteris erat* poſſent.

IN CAP. XX.

idem Donatus petiit] *Sic Optatus lib. 1. conſentiẽte Amorbachio; pro* petit.

tunc à Philomeno ſuffragatore eius Imperatori ſuggeſtum eſt] *Pro* ſuffragatore, *in excuſis omnibus erat* ſuggeſtore. *Sed clarum eſt rectiorem eſſe alteram illam lectionem quam ex Optato repoſuimus. Suffragator autem idem hic eſt quod patronus, qui auxilium & patrocinium præſtat. Cæterùm minutius eſt, quod pro* Philomeno; *quod habemus, Optatus legit* Philumino.

vt bono pacis Cæcilianus Brixiæ teneretur] *Sic Optatus lib. 1. & alibi etiam excuſa, vt lib. poſt Collat. cap. 31. pro* Brixæ, *quod & infrà non ſemel legebatur.*

Et ex Officio recitatum eſt] *Id eſt ab Officio, ab aliquo ex Officialibus Cognitoris. De voce Officij ſuprà diximus in cap. 8. Collat. diei 1.*

omnium ſupramemoratorum ſententiis] *In exemplaribus noſtris omnibus deerat* ſententiis; *quod ex Optato adiecimus.*

ſtomachantes aduerſus eos qui riſum tenere non potuerant] *dicentes, vt habes infrà lib. poſt Collat. cap. 31.* Audiant qui riſerunt. *Vide & epiſtolam 152.*

IN CAP. XXI.

Deinde quia Conſtantini literis] *Perperam excuſa cætera* qui à, *diuiſis vocibus.*

petierunt libellum ſuum eſſe recitandum] *Eiuſdem libelli meminit epiſtola quoque 152.*

IN CAP. XXII.

ſe iuſſiſſe inſinuans vt de exilio remearent] *vt Deo iudice, ſicut cœperant, punirentur, vt habes epiſtola 152.*

In quibus literis ſic eos Conſtantinus deteſtatur] *Homines peßimos, & Chriſtianæ pacis inimicos appellans.*

IN CAP. XXIII.

quæ quidem conſules non habebant] *Conſiderata temporis ratione ſcriptæ fuiſſe videntur literæ illæ imperatoris Conſtantino III. & Licinio IIII. Conſſ. Exemplar autem earum habes epiſtola 68. & lib. 3. contra Creſcon. cap. 70.*

vt ad ſe Ingentius mitteretur] *In exemplaribus noſtris omnibus nec vno in loco, erat* Vigentius, *qui error natus eſt ex apicis vitiosa tranſlatione. Germanam eſſe lectionem alteram ex Optato didicimus; quam habes & apud Auguſt. non ſemel etiam in excuſis, lib. 3. contra Creſc. cap. 70.*

quas ad Probianum proconſulẽ datas recitauerunt] *Sic rectè Amorb. pro* recitauerint.

tanta contra ſe legerint] *Ita & hic Amorb. pro* legerunt.

ſeque innocentium perſecutores apud imperatorem extitiſſe docuerunt] *Pro* apud, *mendoſiſſimè in cæteris legebatur* atq; *contra & Auguſtini mentem, & hiſtoriæ fidem.*

IN CAP. XXIIII.

& quid poſtea geſtum eſſet] *Ita rectè Amorb. pro eo quod legebant cætera omnia* geſtum eſt.

non poterant conſiderati conſules] *Malim* conſiderare. *Ordinem conſulum ac temporum expendit lib. poſt Collat. cap. 33.*

IN CAP. XXV.

quoniam legibus prohibetur ſemiplenam proferre ſententiam] *Legendum videtur* prohibeatur, *vel* prohiberetur.

*Annotationum in Breuiculum Collationum cum Donatiſtis finis.*

# ANNOTATIONES IN EPISTOLAM BEATI AVGVSTINI, NOMINE CIRTENSIS CONCILII AD DONATISTAS POST COLLATIONEM SCRIPTAM.

EPISTOLÆ *huius meminit Auguſtinus non tantùm lib. 2. Retractat. cap. 40. ſed epiſt. quoq; 158. quæ eſt ad Marcellinum, eundem qui Collationis huius Cognitor fuit: Satis operoſa, inquit, mihi fuit etiam epiſtola ad ipſos laicos Donatiſtas de hac eadem Collatione noſtra, quam modò aliquot lucubrationibus terminaui. Eã licet extaret tomo 2. numero 152. viſum eſt tamen hoc loco inſerere, tum quòd id fiat ex Auguſtini ſententia, qui eam ſupradicto lib. Retract. negat inter epiſtolas ſuas eſſe; tum quòd in primis editionibus hunc etiam locum habuerit Eraſmo inde ſubmota; deniq; quod ad operis ſuperioris intelligẽtiam non parum conducat.*

Syluanus ſenex, Valentinus, Aurelius] *Senis titulum Primatibus ſuis addidiſſe videntur eccleſiæ Africanæ: ſic enim Aurelius Carthaginienſis epiſcopus totius Africæ primas, ab Auguſt. appellatur epiſt. 105. ad Sixtum: Sic Megalius Numidiæ primas epiſtola 149. Sic Xanthippus epiſt. 217. & in Græcis canonibus Carthaginienſ. canon. 104. & præfatione canonis 94. Sic Donatianus primas Byzacij can. 128. Quin & ipſe Romanus pontifex Innocentius, ibidem canon. 101. Cæterùm* Aurelij *nomen non legunt* MS. *cap. 4 lib. 2. Retract. quod libro poſt Collationem præfigunt: ſed quia in epiſtola additur, vnaq; cum duobus præcedentibus legitur in ſubſcriptionibus Mileuitani concilij quòd in Numidia fuit aliquot poſt annis celebratum; non putaui omittendum. Diuerſum tamen eſſe oportet à Carthaginienſi illo; nam is & alterius fuit prouinciæ, & præſens primum ſanè hic locum obtinuiſſet.*

de concilio Citrenſi ad Donatiſtas] *Mendoſè paßim* Zertenſi *legebatur, non hoc tantùm loco: Cirta enim eſt ciuitas in qua concilium hoc celebratum, quæ & Conſtantina dicta fuit, non procul ab Hippone, inter vtranque Calamã interiecta. Hic Petilianus erat Donatiſtarum epiſcopus.*

Carthagine redeuntem] *ita rectius quàm* à Carthagine, *tametſi ita habeant excuſa omnia: nam ſine præpoſitione legit codex* MS. *collegij noſtri Theolog.*

& indignum eſſe dicebant, in vnum conuenimus] *Reſpicit ad verba Primiani quæ apud acta Carthagine dici mandarat, repeturq; Collat. diei 3. cap. 4. & lib. poſt Collat. cap. 1. & 23. Indignum eſt, inquit, vt in vnum conueniant filij martyrum & progenies traditorum.*

innotuerint omnibus] *Diximus ſuprà ad initium lib. Collationũ, procuratũ à Catholicis fuiſſe, vt acta iſta longè lateq; per totam Africam diffunderentur: quin eadem diebus ieiuniorum ante Paſcha de loco edi-*





*tiore per*

tiore per celebriores eccleſias annis ſingulis à capite ad calcem perlegi ſolita, vt refert ipſe Auguſt. lib. De geſtis cum Emerito.

ſic etiam ad poſteros confirmata veritas perdurabit] *At nunc intercidere ea Geſta, nec quicquam præter epitomen eorum extat libro ſuperiore comprehenſam.*

in tanta collectione ] *Malim* Collatione, *tametſi nec alterum reijcio.*

Nihil ergo acturi?] *Quanquam ita legant excuſa quæ vidi omnia, & MS. quod ſuprà citaui, putarim tamen ſcriptum ab Auguſtino fuiſſe,* Nihil ergo actum?

Quiſquis ergo ab hac Catholica] *Inſignis & grauis ſententia, vt ſe quiſque in eccleſiæ Catholicæ vnitate contineat.*

quoniam eum in Maximiani cauſa] *Lutet. pro* eum, *perperam legunt* enim.

quia non habebant quod dicerent] *Amorb. & Frobenij vetera mendosè* qui, *pro* quia *legunt.*

quia eccleſiæ cauſam apud Imperatores agimus ] *Donatiſtæ quia Catholici Imperatorum legibus contra ipſos vterentur, odioſe illis obijcere ſolent, Quid Chriſtianis cum regibus? quid epiſcopis cum palatio? Quid eſt Imperatori cum Eccleſia? vt author eſt Optatus lib. 1. & 3. Sic Petilianus apud Auguſt. lib. 2. cap. 92. Quid vobis eſt cum regibus ſeculi, quos nunquam Chriſtianitas niſi inuidos ſenſit? Et Primianus lib. poſt Collat. cap. 31. Illi portant multorum Imperatorum ſacras, nos ſola portamus euangelia. Sed bellè reſpondet eis Auguſt. ſupradicto loco contra Petilian.*

de quorum nominibus gloriantur ] *Perperam Lutetiana*, de quorum omnibus.

& propterea dicit eos relaxandos, & furori ſuo dimittendos, quia iam Deus in illos cœperat vindicare] *Ad locum hunc intelligendum non parum conducit Euſebius lib. 1. De vita Conſtantini cap. 38. cuius verba hic adſcribere viſum eſt. Iam verò, inquit, quoſdam ſua ſponte acerbè incitatos toleranter ac moderatè tulit; placido & manſueto ſermone hortatus, vt modeſtè ſe gerere, ac neutiquam ſeditionem concitare ſtuderent. Ex quibus alij eius adhortationes cum reuerentia amplexati, diſceſſerunt; alios quorum animi ad modeſtiam videbantur propè inſanabiles, Deo curandos permiſit, ac nihil omnino contra quenquam mente concepit acerbitatis. Inde, vt eſt veriſimile, ſeditioſi in Africa eo audaciæ fortè proruperunt & crudelitatis, vt facinora nefaria molirentur, dæmone, vt videbatur, affluentiam præſentium bonorum Chriſtianis inuidente, viroſq; ad abſurdos & importunos conatus inſtigante, quò imperatoris animum contra eos commoueret. Verùm inuido illi res parum proceſſit ex ſententia; quandoquidem Imperator ea quæ geſta erãt, pro ridiculis putauit; inquiens, ſe perditi dæmonis impulſionem facilè intellexiſſe. Nam facinora illa non modeſtorum, & ſobriorum hominum eſſe, ſed eorum qui vel mente penitus excidiſſent, vel eſſent improbi & impij dæmonis tanquam œſtro perciti: quos miſerari oportere potius, quàm ſupplicio afficere aſſeruit. Vt enim, inquit, ſummæ clementiæ eſt eorum vicem dolere; ſic hominibus cùm mente capti ſunt, pœnas infligere, extremæ dementiæ eſt & inſcitiæ. Hæc quin ad Donatiſtas pertineant, nihil dubitandum, nam & Conſtantinus in epiſtola ſua furorem eorũ notat. Quis verò hic furor, quæ inſania fuerit, diſcimus ex Auguſt. epiſt. 50. Propria, inquit, de illis pœnas poſcebat inſania, cùm alij prouocandis in ſe gladiis hominum, quos, vt ab eis ferirentur, morte terrebant, alij per varia præcipitia, alij per aquas, alij per ignes ſe in mortes voluntarias vſquequaq; mittebant, & animas ferales à ſe ſibi illatis ſuppliciis proijciebant. Quod etſi de poſteriori tempore dicat, id tamen ab initio factitatum ab eis fuiſſe, in eadem epiſtola & aliis compluribus locis teſtatur, & ex Optato non vno loco ſignificatur. Lib. 1. contra Gaudent. cap. 28. ait eos agminatim ad ſacrificia idolorum profectos, vt illic à gẽtilibus trucidarentur, adeò vt velut feræ venabulis & gladiis eorum ſeſe ingererent. Id autem tanquam martyrij amore faciebant, vt poſt mortem pro martyribus colerentur, quem honorem apud ſuos etiam promeruerunt. Idem habet epiſtola 50. ſuprà citata, quæ longè lateq; hunc eorum furorem enarrat. Ergo Conſtantinus videns homines vltrò ſeipſos in perniciem & exitium præcipitare, tentare voluit, num ſoluto exilio ad ſaniorem mentem reuocari poſſent. Sed quàm nihil profecerit, latiùs explicabimus in Commentario noſtro.*

vt Deo iudice, ſicut iam cœperant, punirentur] *Veteres Amorbach. & Froben. editiones,* cœperat *legunt, ſed non rectè.*

vbi ad Proconſulem ſcripſit] *Probianus dictus is fuit, vt liquet cum ex aliis locis, tum ex Collat. diei 3. cap. 23.*

vt ad comitatum ſuum mitteret Ingentium] *Iam dicto Collat. loco annotauimus* Ingentium, *non* Vigentium *legendum, vbicunque hoc vocabulum occurrit.*

contra Cæcilianum potuerit iudicare] *Pro quo perperam in excuſis omnibus, ac MS. quem videre contigit,* protulerit.

fruſtra eos Cæciliano ] *Excuſa omnia legebant præpoſita copula, ſed eam redundare conſtat ex Collat. diei 3. cap. 23. Poſt Collat. cap. 32. Lib. 3. contra Creſc. cap. 70. Epiſt. deniq; 68. quibus locis omnibus eadem hæc repetuntur, nec vſquam legitur coniunctio.*

Nam & ordinem conſulum & dierum ] *Eum pertractat diligenter infrà lib. poſt Collat. cap. 33.*

Cæcilianum epiſcopali iudicio] *Perperam Lutet.* Cæciliano.

Hæc ad vos ſcripſimus octauo decimo Kalendas Iulias, piiſſimo Honorio Auguſto IX. Conſ. ] *Diu me locus iſte torſit. In excuſis omnibus erat,* piiſſimo Honorio Auguſto imperante. *quæ temporis notatio cùm generalis admodum eſſet ac incerta, meritò ſuſpecta mihi viſa eſt: quare MS. deſtitutus, ad Lipſij in tomum 2. Caſtigationes, quas amicus quidam nobis exhibuit, confugi, apud quem annotatum inueni, pro* imperante, *in MS. legi* VIII. Conſ. *Sed conſultis Faſtis cõſularibus, ea lectio magis etiam perplexum me fecit. Nam Collatio Carthaginienſis, vti ſuprà annotauimus, habita eſt anno poſt occupatam à Gotthis Romam proximo: atqui Honorius octauùm conſul fuit, priore ante captam vrbem anno. Cirtenſe autem concilium, cuius hæc epiſtola eſt, vt minimum altero poſt Collationem anno habitum fuit, quando Honorius in Occidente nonùm iam conſul deſignatus ſcribitur. Quare conſtare hæc lectio nullo modo poterat, qua & ipſa offenſos arbitror qui pro ea* imperante, *ſuppoſuerunt. Memineram autem ex Cod. Theod. Contij, nonum numerum apud veteres hoc pacto* VIIII. *annotari ſolitum; incidit ergo, ita ſcriptum apud Auguſt. fuiſſe,* piiſſimo Honorio Auguſto VIIII. Conſ. *ſcribas autem poſteriores veterum notarum ignaros, mendum exiſtimantes, alterum Iota ſuſtuliſſe, hincq; natum* octauùm Conſule. *Itaq; auidus cognoſcendi quid hic legerent MS. quibus vſi erant, qui epiſtolis caſtigandis præfuerant, literas ea de re ad typographum dedi, vt inſpecto 2. tomo, de loci huius Caſtigatione certiores nos faceret, & ſi quidem* nonus *illic cõſulatus ſcriptus eſſet, eundem & tomo 7. adſcriberet; ſin minus, veterem excuſorum lectionem relinqueret. Reſcripſit repoſitum illic eſſe* VIII. Conſ. *id quod hic & ad latus annotandum putauit. Vnde factum, vt altera illa impreſſorum lectio retineretur. Cæterùm paulò antequam has ſcribere annotationes, adſecutus ſum aliquando neſcio quò dilapſum MS. Collegij noſtri codicem Auguſtini epiſtolas continentem, qui me hoc ſcrupulo tandem liberauit; in eo enim manifeſtis diſertiſq; verbis ſcriptum inuenio,* piiſſimo Honorio Auguſto nono Conſule. *Quæ nimirum vera eſt ac germana temporis notatio. Quare tum hoc ſeptimi tomi loco, tum epiſt. 152. tom. 2. ita certiſſimè legendum eſt,* piiſſimo Honorio Auguſto IX. *aut* VIIII. *vel ne quis in poſterum error naſcatur,* nonùm Cõſ. *Mendum eſt enim ſuprà in MS. noſtro ex ſcribarum inſcitia ortum, vbi* nono, *pro* nonùm, *ſcriptum legitur. Diſcimus ergo ex iſto loco Cirtẽſe hoc in Numidia concilium, proximo poſt Collationem Carthaginienſem anno celebratum, quo fuiſſe Conſules ſcribuntur AA. Honorius IX. & Theodoſius V. qui fuit annus à Chriſto nato 412.*

*Annotationum in Epiſtolam nomine Cirtenſis concilij finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI LIBRVM AD DONATISTAS POST COLLATIONEM.

*Ex collatione ad MS. monaſteriorum BB. Amandi, & Martini iuxta Tornacum, atque Cambronenſis: necnon ad veteres Amorb. & Froben. editiones.*

## IN CAP. I.

Cùm vobis dicunt, iudicem præmio fuiſſe corruptum] *Prima hæc eſt Donatiſtarum aduerſus Marcellinum & eius ſententiam ac iudicium, calumnia; reliquæ infrà ſuo loco proponentur ac refutabuntur: quas in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum breuiter collectas proponemus.*

& ad hoc primùm vobis reſpondeãt, ſi poſſunt] *Illud* ſi poſſunt, *ex MS. adiecimus.*

Iam ante aliquot annos conueneramus eos publicè ] *ex decreto concilij cuiuſdam Carthaginienſis, de quo ſuprà ad lib. 4. contra Creſcon. cap. 3.*

indignum eſt, vt in vnum conueniant] *Excuſa per infinitiuum efferebant; altera conſtans eſt MS. lectio.*

& in vnum poſtea nobiſcum conuenerunt ] *ſic manuſcr. pro* conuenerint.

Non enim ligati adducti ſunt] *Perperam* litigati.

& à diacono ſuo] *Ex MS. adiecimus* ſuo.





indignum eſt quidem] *In excuſis deerat* quidem.

## IN CAP. II.

per multa documenta] *Non* permulta, *vocibus coniunctis.*

& fines terræ quouſque fuerat peruentura ] *In impreſſis erat* finis, *& deſiderabatur* fuerat. *Amorb. in priori parte conſentit MS.*

manifeſtata ſunt nomina ciuitatum] *Ita rectius MS. quàm* manifeſta, *quomodo vulgata omnia.*

quod eorum contagione perierint] *Pro* perierunt.

## IN CAP. III.

Protulerunt enim ibi ſeptuaginta & quod excurrit, epiſcopos, qui abſentem damnauerunt Cæcilianum] *MS. conſtanter ſic legunt;* Protulerunt enim, vbi ſeptuaginta, & quod excurrit, epiſcopi abſentem damnauerant Cæcilianum. *Vt ſenſus ſit, Protulerunt concilium in quo, &c. Amorb. conſentit cum excuſis, quorum lectionem reliquimus.*

cùm proferantur non minus] *MS. legunt* plus minus.

quod reſponderent] *ſic MS. pro* quid.

in ore habet Catholica eccleſia] *In excuſis erat,* vniuerſa Catholica eccleſia, *ſed nulla legunt MS.*

Quis ergo hæc ſine triſtitia perferat graui] *fortè* proferat.

## IN CAP. IIII.

ad quas B. Petrus apoſtolus ſcribit] *Sic MS. ſic & infrà per verbum præſentis temporis.*

veruntamen qualiſcunq; ille fuit] *Nouam hic excuſa periodum inchoarant, quod ſenſum perturbabat, pendet enim adhuc ſententia.*

nec tamen ab eis qui in ipſa eccleſia] *Ita rectè cum MS. excuſa vetera. in poſterioribus loco* ab, *legebatur* in: *loco* in, *erat* ab, *ordine perturbato.*

Dicant ergo & iſtæ] *Eccleſiæ videlicet. perperam ergo excuſa omnia* iſti.

perſona Muſtitani Feliciani] *Ex MS. adiecimus* perſona.

tam longè mittantur] *ſic MS. pro* præmittantur.

vt nobis præiudicet] *MS. pro* vt, *legunt* aut: *ſed rectior eſt excuſorum lectio.*

numeroſiore concilio damnauerunt] *Redundat præpoſitio* in, *quæ hic addebatur.*

nec cauſa cauſæ præiudicat] *Deerat verbum* præiudicat.

Felicianum damnaſti, & eum poſtea ſicut erat, epiſcopũ Primiano tibique ſociaſti. Si tantum valet] *Ita hic locus ex MS. caſtigandus, pro quo in excuſis ita legebatur,* damnati, & ſicut erat epiſcopi tibique ſociati, ſi tantum valet.

qui vobis adhuc iactant inania] *Perperam* nobis.

& tanti apud vos meriti epiſcopum] *Mendosè* nos. *Loquitur enim de Primiano, vel Petiliano.*

qualiſcunque ille fuerit] *Ex MS. adiecimus* ille.

quam Deus ſuis ſanctis teſtimoniis] *Illud* ſanctis, *in omnibus erat manuſcr.*

non pertinere monſtraretur] *In MS. erat* oſtenderetur.

Hoc agebamus etiam] *In excuſis deerat* etiam.

non præiudicaret] *Pro* præiudicet.

cæteriſque coërcitionibus] *ſic MS. omnia cum Amorb. non* coërtionibus. *de qua lectione ſuprà ad lib. 1. contra Parmen. cap. 8.*

## IN CAP. V.

conſentiẽdo cõmunicant] *ſic MS. & Amorb. pro* cõmunicauit.

Qui dicunt, Noli me tangere, quoniam mundus ſum; hi fumus indignationis meæ] *Locus eſt Eſaiæ 65. ſecundum ſeptuaginta, vbi nos legimus, Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Iſti fumus erunt in furore meo. Id parum obſeruarũt qui in excuſis pro* mundus, *ſcripſerant* immundus, *locum ad noſtram vulgatam verſionem accommodantes; quãquam ea ſecundam perſonam habet, non primam. Torquet eundem locum & alias Auguſtinus tum contra Donatiſtas, tum contra Pelagianos, qui & ipſi ſuam iuſtitiã præferebant, vt lib. 2. contra Gaudent. cap. 9. Epiſtola 255. ad Macrobium in fine. Lib. 50. homil. 23. Et Hieron. epiſt. ad Cteſiphontem. Cõtra Nouatianos Ambroſ. lib. 1. De pœnitent. cap. 7. & Nazianzenus oratione in ſancta lumina, ſub finem.*

quod in Pſalmo poſitum eſt] *Pro* in pſalmis.

Et cum iniqua gerentibus] *Cùm ita legant non ſolùm MS. ſed vetera quoq; Amorb. & Frobenij excuſa, atque ſic ſuprà Collat. 3. diei cap. 9. ſcriptum fuerit; miror quis hic* agentibus, *pro* gerentibus, *reponendum putarit.*

Si ergo quia nos iniquos vel nouerant vel putabant ] *Ita rectius MS. quàm,* ſi ergo nos, quia iniquos.

ſanctas ſcripturas non intelligendo] *In excuſis noſtris deſiderabatur negatio, quam prima tamen Amorb. & Frobenij legebant.*

## IN CAP. VI.

ne conuertatur in zizaniorum ſterilitatem] *Pro* in, *erat* ad; *cùm tamen & vetera excuſa MS. conſentiant.*

Quæ enim participatio iuſtitiæ ad iniquitatem?] *MS. conſtanter legunt* cum iniquitate. *Sed varia eſt apud Auguſt. loci huius lectio, de qua nonnihil ſuprà lib. 2. contra Parmen. cap. 18. & lib. 7. contra Donatiſt. cap. 11.*

Nullam habent cum bonis mali ſocietatem regni] *MS. legunt* cum malis boni.

pariter diuina ſacramenta percipiunt] *Pro* percipiant.

quoniam miſericordiam & iudicium] *Illud* & iudicium, *nulla legunt MS. ſed legendum admonet non modò Pſalm. ipſe 100. ſed & Auguſt. qui infrà cap. 20. locum hunc ita repetens, ait ſe ſuprà eundem commemoraſſe.*

Siue ergo exeant] *Longum eſt hic hyperbaton, pendendo ſententia vſq; ad initium cap. 7.*

ſiue intus videantur eſſe] *ſic rectè MS. pro* iudicantur, *vt liquet ex ſequentibus Cypriani verbis, & initio cap. 7. vbi per regreſſionem hæc verba repetuntur.*

Nos autem mundum pro eccleſiæ ſignificatione ] *Non rectè excuſa* eccleſia.

quia per totum mundum futura prænunciabatur eccleſia] *ſic MS. quomodo & paulò antè,* quod non in eccleſia prædicta ſint futura zizania, *& infrà in extremo cap. 7.* non qualis nũc eſt illis teſtimoniis prænunciabatur; *& cap. 10.* manifeſti mali bonis permixti in ea prænunciarentur futuri. *In excuſis erat* præfigurabatur eccleſia. *Sed verbis & teſtimoniis ſcripturæ ſacræ prædictionem rectius, quàm præfigurationem tribuimus.*

& commemorabamus inter alia] *Poſtrema duo verba ex manuſcr. adiecimus.*

## IN CAP. VII.

propriam ſarcinam portent] *pro* portant, *præceſſit enim* obſint.

niſi eum fuerit] *Perperam* cùm fuerit.

ipſa moriatur] *ſic MS. quem modum & ſuperiora poſtulant.*

Cùm ergo quiſque malis conſentit] *In excuſis deerat* quiſque.

Epiſcopi veſtri] *Pro* noſtri.

ſed qualis poſt iſtam mortalitatem ] *Ita legebant non MS. modò ſed vetera quoq; excuſa tum Amorb. tum Froben. vnde mirum quis* immortalitatem *nobis hic ſcripſerit.*

quos meritò, parentum imitando malitiam ] *MS. conſtanter legunt* merita, *ſed iam redundat* malitiam.

vnã cum eis cauſam habere voluerunt] *Mendosè* noluerunt.

ſed ſicut contra nos, ita etiã volebant] *Prius erat non rectè* contra noſipſi etiam.

## IN CAP. VIII.

& illud quod ſcriptum eſt] *Ex MS. adiecimus* quod.

quæ ſola per eum Deo reconciliata ſaluator ] *Neſcio quid deprauatoribus iſtis in mentem veniat, vt contra MS. fidem, & reclamantibus excuſis veteribus Amorb. & Frobenij, pro* ſaluantur, *reponendum putarint* ſeruantur.

intra eadem retia permixti] *In vulgatis deſiderabatur* permixti.

à piſcatoribus intra retia non videntur ] *In ijſdem deerat* intra retia.

non niſi in futuro ſeculo] *Pro* in, *erat* de, *in omnib. impreſſis.*

O violentia veritatis] *Epiphonema eſt, cuiuſmodi habes & infrà in fine cap. 24. quare non rectè excuſa neglecta exclamandi voce ſuperioribus hæc connectebant.*

vt eam confiteantur inuiti] *Perperam impreſſa,* vt etiam confiteantur.

## IN CAP. IX.

non eam nunc eſſe talem] *Amorb. legebat* non tam, *inde natum* non iam. *Sed veram lectionem oſtendunt MS.*

qui malos occultos ] *ſic manuſcr. pro* quàm malos, *niſi malis* quando, *vel* quoniam.

permixtos eſſe dixerunt] *Mendosè excuſa nullo ſenſu* permixtos eſſe. Sed dixerunt.

## IN CAP. X.

Si enim Dominus propterea] *Aberat in excuſis* Dominus.

mali bonis permixti in ea prænunciarentur futuri] *Ita MS. cui lectioni fauet quod infrà eodem hoc cap. ſequitur,* ſic iſti ante ventilabrum bonis in eccleſia miſceantur. *Et ſuprà cap. 9. mixtionis bonorum & malorum frequens mentio. In excuſis erat,* mali cum bonis in ea prænunciarentur futuri.

quia & ipſam inter cæteras] *Perperam* intra.

Quanquam Hieremias cùm hoc diceret, non agebat] *MS. ſic legunt,* Quanquam Hieremias cùm hoc ageret, non dicebat; *ſed non rectè.*

ad id ſe conuerterunt] *ſic MS. pro* ad idem.

quia non manifeſtos, ſed latentes in ea malos] *In excuſis deſiderabatur* malos, *& pro* ea, *erat* eo.

à Domino propoſita eſt: aut certè ſingulis rebus propriæ ſimilitudi-

militudines datæ ſunt; de piſcibus, propter occultos; de area, propter manifeſtos malos.] *Totum hoc in excuſis deſiderabatur.*

vt in area paleam] *ſic* MS. *pro* in areæ palea. *Reſpondet quod ſequitur*, in eccleſia malos.

qui piſces reprobos] *Illud* reprobos, *adiecimus ex* MS.

& in iſta area nō eis noceat permixta palea] *Mendoſè* noceāt.

IN CAP. XI.

actum eſt pro ſalute veſtra] *Sic rectius* MS. *pro* noſtra.

& rurſus alia] *In impreſſis non erat copula.*

& de geſtis corruptis iudici calumniari] *Ita olim & Amorb.* MS. *conſentiens, pro quo perperam excuſa cætera* corrupti iudicis.

qui vt contra illos iudicaret] *Amorb. pro* qui, *legebat*, quia vt: *hinc ortus alter error* quod vt.

nihil ſe aliud vindicare nolendo ſubſcribere] *ſic* MS. *omnia, quod tametſi non careat ſuſpicione, malui tamen quàm quod legebant excuſa*, nihil ſibi adiudicari nolendo ſubſcribere.

ne ſibi legerentur] *Pro* vt ſibi.

ſe peius implicent] *Perperam excuſa*, ſe prius implicent.

Nam poſt Collationem poſteaquam victi appellare voluerunt, obiecta ſunt eis hæc verba] *Admiſſam tamen fuiſſe eorum appellationem dicere videtur Poſſidius in vita Auguſtini cap.* 13. *Poſt eorum, inquit, appellationem, piiſſimi regis reſponſo, iuſtè inter hæreticos condemnati ſunt.*

intelligatis eos omnimodo eſſe ſuperatos] *ſic* MS. *qua voce gaudet magis Auguſt. quàm* omnino, *quod hic erat in impreſſis.*

IN CAP. XII.

Quis enim ferat victos homines conqueri quòd nocte cōtra eos eſt prolata ſentētia] *Altera hæc eſt Donatiſtarum aduerſus Marcellinum & iudicium eius querela & criminatio, quòd ſententia nocte eſſet pronunciata. Nimirum cauillando diem totum conſumpſerant, vt in tenebris euaderent. Hoc eis effugium Petilianus, vt arbitror, oſtendit, cauſidicus olim, & in fori captionibus exercitatiſſimus. Et ſanè ad tollendas ſuſpiciones legibus olim cautum erat, ne iudicia noctibus agitarētur: ſed eas non ſemper fuiſſe obſeruatas, vel vna lex illa §. de Feriis, docere poteſt. More Romano, inquit, dies à media nocte incipit, & ſequētis noctis media parte finitur. Itaq; quod in his viginti quatuor horis, id eſt, duabus dimidiatis noctibus & luce media actū eſt, perinde eſt, quaſi quauis hora lucis actum eſſet. Et quanquam in eccleſiaſticis iudiciis noluit Pontifex ciuilem hanc legem locum habere cap. Conſuluit, extra de officio & poteſtate iudicis delegati: tamen etiam nobiliſſimi commentatores non paucas recenſent exceptiones quib. caput hoc limitandum docent: inter cæteras autem quæ ad rem pertinēt, ſi partes ſint præſentes, & non contradicant aut excipiant, eo enim caſu ratam eſſe ſententiam in cauſa eccleſiaſtica etiam noctu latam. Id quod ſanè videtur æquiſſimum, ac naturali rationi conſentaneum; iam enim accedit tacitus partiū conſenſus. Quare cùm Donatiſtæ præſentes hic fuerint, & conſumptis omnibus nihil præterea habuerint quod dicerent, ſententiam ferri ipſi quoq; flagitarint, eam vt Cognitor dictaret, auditorium ſimul cum Catholicis exierint, reuocati ſimul ſint iterum ingreſſi, vtriq; Cognitorem pronunciantem ad extremum vſque audierint: fruſtra peracto iam iudicio, de nocturna ſententia exceptionem opponunt.*

vt vſque ad multam partem noctis] MS. *duo legebant* vſq; ad vltimam partem. *Nos alteram lectionem retinuimus.*

Per diem mandauit Dominus miſericordiam ſuam] *Ex* MS. *adiecimus* ſuam, *quod legunt & Græca.*

At quod dixerunt, nocte veniſſe ad Dominum tenendum perſecutores] *Argumentum eſt Donatiſtarum, quo etiam ex ſacris literis nocturnam Cognitoris ſententiam improbare conantur.*

non attendentes] *Sic* MS. *omnia conſentientibus veteribus excuſis Amorb. & Froben. pro* attendunt: *ſic enim & infrà*, nec intelligētes.

nec aduertere voluerunt] *pro* volunt.

niſi quantum timuerint] *Ita rectius* MS. *quàm* timuerunt.

IN CAP. XIII.

& præfecti prætorij] *Et hic malim* prætorio.

crimen nullum penitus appareret] *Ex* MS. *adiecimus* penitus.

vt non ſolùm duo, ſed etiam plures homines, vno nomine vocitentur] *Prius erat*, vt non ſolùm duos, ſed etiam plures vno nomine vocitent.

damnatus putaretur eſſe] *Infinitiuum addebant* MS.

quaſi Straton ſolus cognominalem habere potuerit] *Eadem voce vtitur & ſuprà lib. 3. contra Petilian. cap.* 16. *pro qua in vulgatis erat* cognomen tale. *cui deprauationi occaſionem præbuit Amorb. legens* cognominale.

quales euangelica veritas patitur] *Perperam* qualis.

ſicut iſti putantes] *In excuſis erat* ſic iſti.

quia non ſolum nomen] *Pro* cùm non ſolum.

IN CAP. XIIII.

vnde recitauimus] *ſic* MS. *omnia, pro* vbi recitauimus.

& in carcere fuiſſe martyres baptizatos] *In excuſis deerat* martyres, *nam legebatur & ſuprà Collat. diei* 3. *cap.* 17.

IN CAP. XV.

quas nos conabamur auertere] *Id totū deſiderabatur in excuſis.*

aut poſſent etiam ipſi] *Pro* poſſunt.

Fieri enim poteſt] *ſic rectius* MS. *quàm*, Fieri autem poteſt.

vt in codicibus ſit iſta varietas] *Ex* MS. *adiecimus* iſta.

alij tanquam ſuperfluum prætermittunt] *Illud* tanquam, *non legebant impreſſa.*

alius autem quem contra eorum calumnias poſtea protulimus, habebat] *Deerant & iſta in excuſis omnibus.*

Quia etiam illi inuidioſiſſimè proclamauerant] *ſic cōmodius* MS. *quàm excuſa*, Quo etiam illi inuidioſiſſimè proclamauerūt. *Quanquam nondum plenè mihi ea lectio ſatisfacit.*

vt vobis ſaltem oculos aperiamus] *Pro his erat in* MS. vt vos ſaltem oculos aperiatis.

cognitioni iudicis obiecerunt] *Perperam excuſa omnia* cogitationi iudicis.

IN CAP. XVI.

Leguntur actis apud Carthaginis magiſtratum expreſſa verba] *Pro* in actis, *quam præpoſitionem Frobenius primus adiecit; nam non legit nec Amorbachius quidem.*

Dicunt in literis ſuis, communionem ſuam eſſe eccleſiā veritatis, quæ perſecutionem patitur, non quæ facit] *Agit de literis Donatiſtarum quibus Catholicorū mandato reſpondere conati ſunt Collat. 3. diei cap. 8. tametſi hæc ibi verba non recitentur.*

quia noctem cordis ipſorum] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat*, in corde ipſorum. *Vetera & Amorb. & Froben.* corde ipſorum legebant; *quo poſteriores offenſi, præpoſitionem addiderunt.*

Donatum illum, illum inquam Donatum, quem dixerūt eccleſię Carthaginienſis ornamentum, & martyrialis glorię virū] *Secundus hic fuit Carthaginienſis Donatiſtarum epiſcopus, quem refert Hieronymus in exilium tandem fuiſſe miſſum, & ſatis indicat Primianus ad capitis huius initium, vbi ait parentes & maiores eorum variis fuiſſe à Catholicis vexatos exiliis. Hinc eū Donatiſtæ pro martyre coluerunt: & omnino vereor ne non ille ſit qui in Martyrologio ſub iudice Vrſacio & Marcellino tribuno Kalendis Martiis Carthagine paſſus ſcribitur. quam putidiſſimam & ineptiſſimam fabulam nos alio loco refutabimus.*

Ille ergo vir gloriæ martyrialis] *In excuſis hæc per accuſatiuum efferebantur, quod facere coëgit defectus verborum quorundam, quorum iam faciemus mentionem.*

reum conſtituit & aſſeruit Cæcilianum, ipſamque cognitionem] *Hæc deerant in excuſis.*

falſum eſſe conuicimus] *In Collatione videlicet, perperam ergo* conuincimus.

prolatas de archiuo publico] *Præpoſitionem ex* MS. *addidimus.*

& ad eas confirmandas] *Coniunctionem non habebant impreſſa.*

ab Imperatore damnabatur?] *ſic conſentienter manuſcr. pro* damnatus eſt.

Vbi eſt nunc illa definitiua regula ipſorum, communionem Donati] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat*, vbi eſt nunc illa definitiua regula ipſorum communionis Donati, *vt liquet ex initio cap. vbi verba eadem repetuntur. quanquam nec cohæret excuſorum lectio. Errorem peperit Amorb. qui pro* cōionem, *legebat* cōionum.

falſitatem quæ vobis offundebatur] *Mendoſè prius* quæ nobis oſtendebatur.

IN CAP. XVII.

hinc ſe quaſi oſtendentes eccleſiam veritatis] MS. *conſtanter legunt* eſſe in eccleſia veritatis; *ſed alterum cum ſuperiori cap. magis conſentit.*

quare hoc Catholica parti Donati non faciat] *Addebant excuſa*, eccleſia, *ſed non legunt* MS. *& rectius abeſt.*

qui hoc eis eſſe faciendum] *Ex* MS. *adiecimus* eis.

Et ſi fortè Imperator permotus, mentis ſacrilegæ pertinaciā] *Ita rectè* MS. *pro quo erat in excuſis omnibus*, permotus mente, ſacrilegam pertinaciam.

Interim ergo quamuis non poſſit oſtendi] *Primarum hic duarum vocularum defectus magnas in excuſis tenebras pepererat. Addebant autem* MS. *duo; tertium pro* Interim, *legebat* Iterū, *ſed mendoſè.*

Reſtat ergo vobis errore depulſo, eccleſiam Chriſti videre, & tenere Catholicam, non vt in ea eligatis quia perſecutionem patitur.] *Hæc addebant* MS. *& ſine iis omnino eſt imperfecta ſentētia; quanquā videtur adhuc deeſſe quippiam, fortè*, ſed quia propter iuſtitiam, *quod additum legis apud Auguſtinum cùm alibi tum epiſt. 50. Nos*



*enim dicimus, inquit, ideò illum (de Cæciliano loquitur) ad veram eccleſiam pertinuiſſe, non quia perſecutionem patiebatur, ſed quia propter iuſtitiam patiebatur. Cæterùm pro* vt in ea, *rectius fortè fuerit*, non vt eam; *deniq; loco* vobis, *duo manuſcr. legebant* nobis, *ſed germana eſt tertij lectio.*

ipſi cæſi, laniati, excæcati] *Ita* MS. *In excuſis loco* cæſi, *erat* etiam, *quod fortè ſimul vtrunq; legendum.*

quamuis ſit mitius huic luci morientem] *Ita commodius* MS. *quàm quomodo impreſſa*, huic luci mori.

ſed tantùm vt iſta paterētur] *ſic* MS. *& Amorb. pro* ſed tamen.

quæ more latronū immani furore] *Amorb. pro* immani, *legebat ex apicum peruerſa tranſlatione* ruinam, *pro quo Frobeniana fecerant* ruentes.

Victi & confuſi] *Redundat quod in excuſis addebatur*, itaque.

IN CAP. XVIII.

cui non cōmunicat pars Donati] *Illud* cui *non legebāt impreſſa.*

IN CAP. XIX.

à nobis inquiunt, dictum eſſe] *Non rectè hic nouum caput ſtatuebatur, & pro* nobis, *erat* vobis.

ſed alloquimur] MS. *conſtanter legunt*, ſed ad locum; *quod ſenſum idoneum non habet, niſi addas*, eum dicimus.

qui à nobis vel reiecti ſunt] *ſic* MS. *conſentiente Amorb. pro eo quod erat* vobis: *eſt enim ſermo de Maximianiſtis, quos damnarant Donatiſtæ.*

quemadmodùm non poſſint] *pro* poſſunt.

tam in proximo] *Illud* tam, *legebant* MS. *omnia.*

Sed illis non præiudicat] MS. *legunt*, Si illis: *verùm alterū aptius cum ſequentibus conuenit.*

Non pręiudicat Maximianus Feliciano à quo damnatus eſt] *Locus hic deprauatus eſt: Felicianus enim cum Maximiano, non ab eo damnatus eſt; quemadmodum docere poterant vel ea quæ proximè antecedunt. Legendum putarim* cum quo damnatus eſt, *quod videntur ſuperiora poſtulare.*

Non præiudicāt Maximianus & Felicianus Primiano à quibus damnatus eſt] *Perperam* à quo; *Primianus enim eſt qui à Maximiano & collegis eius damnatus fuit. Vnde rectius* præiudicant, *quàm* præiudicat.

qui ſemel damnatus eſt abſens, quomodo Primianus; & ter abſolutus eſt pręſens, quomodo nō Primianus] *Nam ſemel prædamnatus, & pòſt damnatus, ſemel abſolutus. Cæterùm deprauata erat excuſorum lectio, in quibus erat*, qui ſemel damnatus eſt abſens? Quomodo Primianus ter abſolutus eſt pręſens, quomodo non Primianus?

& in ſui cordis nocte palpantes] *Pro* in ſui, *legebant excuſa omnia* viſu: *mendum ex tranſlatis apicibus ortum.*

IN CAP. XX.

vbi erant, ſicut dicit Apoſtolus] *Ex* MS. *adiecimus*, vbi erant.

ad omne opus bonum, ſemper parata] *Aduerbium temporis addebant manuſcr. omnia.*

quam mox fuerat extincturus] *Ex iiſdem adiecimus* mox.

non illi qui inuitauerant] *Pro* inuitauerunt.

quomodo à piſcatoribus videri non poterat] *In excuſis addebatur* piſcis, *ſed non legunt* MS. *& redundat; nam præcedit paulò antè.*

ſimul manducantes & bibētes corpus & ſanguinem Domini] *Valet hic locus contra hodiernas hæreſes, qui corpus ſanguinemq; Domini negāt à malis corporaliter in ſacramēto ſumi, ſed à bonis tantū.*

illi autem non habent veſtem nuptialem, hoc eſt, fidiſſimam ſponſi charitatem] *At Lutherus veſtem nuptialem in hac Domini parabola, non charitatem, ſed fidem intelligendam contendit. Cæterùm pro* fidiſſimam, *erat* fideliſſimam.

Neque enim à populo Dei ſeparamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigemus] *Vel de minori agit excommunicatione, vel ſeparationem intelligit, cuiuſmodi erat illa Chriſti proiicientis in tenebras exteriores, ſine vlla videlicet ſpe ſalutis ac reditus. Nam alioqui excommunicatio illa quam maiorē dicimus, verè ſeparat & præſcindit à Chriſti corpore, quod eſt eccleſia, et ethnicis ac publicanis adæquat. Cæterùm pro* pœnitendi, *perperam erat* pœnitendo.

Et vbi hoc facere pacis & tranquillitatis eccleſiæ gratia non permittimur, non tamen ideò eccleſiam negligimus] *Locus vt apparet mutilus ac deprauatus, quod & ex* MS. *facile intelligi poteſt, quæ pro eo quod habemus*, eccleſiam negligimus, *legunt conſtanter*, eccleſiæ perſecutionem refutamus.

& aliquos coëpiſcopos eius] *Pro* epiſcopos.

vt nihil ibi alimentorum tangeret] *In vulgatis deerat* alimētorum; *quod legebant tamen etiam Amorb. & Froben. vetera.*

Neque enim in eccleſia] *ſic* MS. *pro quo in excuſis erat* Nun-

*Appendix tom.* 7.

quid; *quod retinuiſſem, niſi paulò pòſt ſequeretur.*

Nunquid tamen ideò etiam plebis diſciſſio facienda eſt] *Sic B. Amandi* MS: *quod malim, quàm quod habebant excuſa* diſceſſio; *natum vt apparet ex aliorum* MS. *deprauata lectione, quorum vnum habebat* diſcuſſio, *alterum* diſcutio.

etiamſi nobis ſint cognita] MS. *legunt* vobis: *ſed non rectè; loquitur enim de ſuis maioribus, quos paulò antè ait rectiſſimè toleraturos fuiſſe Cæcilianum & aliquos coëpiſcopos eius, ſi fortè malos eos eſſe nouiſſent, & probare non poſſent.*

Nam in ipſa Samaria & Helias & Heliſeus erant, & ſi ipſi in ſolitudine, non tamen deuitandorum ſacramentorum cauſa, ſed quia perſecutionem ab impiis regibus patiebantur] *Catholici in Carthaginienſi Collatione aduerſus Donatiſtarum errorem, quo volebāt bonos improborum ſocietate contaminari, etiamſi vitia eorum nec imitarentur, neq; eis conſenſum præberent, coq; corporalem faciendam eſſe receſſionem, prophetas inter cætera exempla produxerant; qui cùm in populum Iſraëliticum tam grauia & acerba dicerent, non ſe tamen ab eis ſepararint. Donatiſtæ Prophetas illos in medio populi verſatos agnoſcebant, sed commorationis non communionis hoc fuiſſe, habitaſſe quidem inter eos, ſed nec iiſdem ſacramentis nec ſacrificiis communicaſſe, eoq; deuitandorum eorum cauſa in deſerta & ſolitudines ſeceſſiſſe; quod Heliæ ac Heliſei eorumq; diſcipulorum exemplis confirmabant. Reſponderunt Catholici eoſdem illos prophetas cum illo populo nō habitaſſe tantùm, ſed iiſdem etiam ſacramentis communicaſſe. Non enim aliud ſibi templum erexiſſe, non alios ſacerdotes, non aliud altare, non alia ſacramenta vel ſacrificia ſtatuiſſe. In ſolitudine autem verſatos, nō ſacramentorum, ſed perſecutionis deuitandæ cauſa, quam ab impiis regibus patiebantur. Reſponſio hæc ſine dubio non ſatis exacta eſt. Nam quod de Helia & Heliſeo ac cæteris prophetis in Samaria vel decem tribubus habitantibus dicebant Donatiſtæ, id ſanè verum erat; neq; enim alia ibi templa, ſacramenta, ſacrificia niſi ſacrilega eſſe poterant, imò idololatrica erant omnia, quibus ſanè prophetæ illi non vtebantur, imò apertiſſimè damnabant, & populum ab iis abſtrahere ſtudebant. Diſtinguendum ergo erat inter Iudam & Iſraëlem, inter horum ac illorum ſacrificia, inter prophetas vtrobique habitantes. Etenim Hieroſolymis legitimū erat templum, legitima ibi ſacrificia & ſacramenta, quæ non alibi quàm eo loco fas erat offerre: iis vtebantur prophetæ, iiſdem communicabant cū ſacerdotibus & populo, tametſi impio ac ſcelerato. Secus erat de regno decem tribuum, in quo ſacrilega erant templa omnia, ſacramenta, ſacrificia, ſacerdotes idolorum cultibus deputati. Hæc frequentare, iis vti ac communicare non licebat, hæc fugiebant prophetæ ac pij omnes, horum vitandorum cauſa in ſolitudinibus & deſertis verſabantur. Itaque prophetarum exemplum contra Donatiſtas valebat ex eorum parte qui in Iuda verſabantur; non autem qui in decem tribubus, in quos ſolos intuendos Catholicorum conſiderationem Donatiſtæ abducebāt. Quod quo minus tunc illi animaduerterent, fecit aduerſariorum improbitas, qui tergiuerſationibus, digreſſionibus, clamoribus omnia perturbabant confundebantq;. Idem attigimus & ſuprà Collat. diei 3. cap. 9.*

Denique inter prædipuos ſanctos habitus Samuel] *manuſcr.* *legunt* ſanctus.

euidentius tamen ſoluat Aggæus] *Pro* ſoluit.

pro omnibus iactent] *Ita rectius quàm* præ omnibus: *ſignificat enim id iam ſolum eos in ore habuiſſe, idq; vnum ſemper obiectaſſe.*

Sic enim eadem ſcriptura dicit] *Pro*, Sicut enim.

quarta & viceſima menſis ſexti, ſecundo anno ſub Dario rege] *In regiis Bibliis Græca numerum hunc à ſuperioribus auellūt, nouum caput hinc auſpicantes.*

non erat immundus] *In impreſſis deſiderabatur*, non erat.

Et ſuſcitauerat ſpiritum eorum ad bene operādum in domo ſua] *Hæc addebant* MS. *leguntur q; in Græcis.*

contexit enim eadem ſcriptura & dicit] *ſic* MS. *pro* contexuit.

& ad Ieſum filium Ioſedec] *Excuſa non legebant* Ieſum.

qui vidit domum hanc] *Ita* MS. *Vulgata non habent* qui.

in claritate ſua priſtina] MS. *addebant* ſua, *quod legunt & Græca.*

tanquam non ſit in conſpectu veſtro?] *Pro* tanquā, *erat* cum.

quæ de Domini noſtri Ieſu Chriſti temporibus rectius intelligi ſolent] *Hiulca erat excuſorum lectio*, quæ Domini noſtri Ieſu Chriſti rectius intelligi ſolent. *Similis locus infrà ſequitur*, quæ huic populo de Chriſti temporibus annunciata eſt.

ſed in eis ſolis] *Perperam excuſa*, ſed etiam in eis.

in his verbis prophetæ] *ſic excuſa, loco* prophetiæ.

conſequenter ſcriptura contexat] *pro* contexit.

Interroga ſacerdotes legem] *In excuſis addebatur* Domini, *ſed non legunt nec* MS. *nec Græca.*

& attigerit ſummum veſtimenti eius] *Ita rectius manuſcr. quàm impreſſa*, veſtimenti ſui. *Græca quia reciproco carent, ad vtranque eſt ambigua.*

 in ani-

in anima aliquid horum] ſic MS. pro aliqua.

quicunque acceſſerit illo] Ita manuſcr. non ad illum, quomodo infrà non ſemel eodem hoc cap.

propter præſumptiones eorum] Septuaginta legunt ἕνεκεν τῶν λημμάτων, quod rectius vertunt Regia, atque adeò Hieronymus ipſe, propter munera.

à facie laborũ ſuorum] Perperam excuſa labiorum, Græcis eſt πονηρίᾳ, quod pro labore interdum ponitur: propriè tamen malitiã ſignificat, quomodo locum hunc interpretantur & Regia noſtra, & Hieronymus in Commentariis.

Duo igitur erant] Ita MS. pro erunt, quomodo & mox excuſa, Si ergo duo erant.

tanquam omnes diſplicuerint Deo] Pro diſplicerent.

Sic alij ad alios non accedebant] In excuſis erat, Sicut alij.

Veruntamen & ipſum & ſanctum Dauid vnum Dei tabernaculum intrantes, inter eadem ſacrificia videbat] MS. legunt, Veruntamen inter ipſum, & pro videbat, habent viuebat: ſed magis placet quod legunt excuſa.

Sic & Aggæus] Pro Sicut &.

Vitium notauit, quò accedi prohibuit] Excuſa legunt notat.

priuſquam poneretur lapis] Pro ponatur. Sic enim & Græca.

& intrabitis in torcular] Excuſa per ablatiuũ efferebãt torculari.

permixti quidem corporali tactu] Ita commodius MS. quàm excuſa, quæ legunt permixti quippe: ſequitur enim aduerſatiua autẽ.

victi ſcripſiſſe dicuntur] Pro ſubſcripſiſſe.

vnde nos commemorant] Ex MS. adiecimus nos, quod habes & infrà cap. 21. niſi vt nos commemorent.

euidentius probare quod dicimus] ſic præter manuſcr. etiam Amorb. non probari.

hominibus diſſimili voluntate viuentibus] Perperam hactenus, voluntate in mentibus.

IN CAP. XXI.

rectè intelligerentur] plurali, non ſingulari numero.

In eodem quippe ipſo populo] Pro his erat in excuſis, In eo quippe populo.

ſed ad veteris conſuetudinem] Perperam in impreſſis cõſummationem, vt ex præcedentibus liquet.

ſi autem Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit] ſic MS. & Amorb. pro reſurrexerit.

Neque enim poſſet de Chriſti reſurrectione] In excuſis deſiderabatur enim.

ne fortè ſi plebs à plebe ſeparetur] Ex MS. adiecimus ſi plebs.

non corporaliter Apoſtolus ſeparat, ſed tamen ſpiritaliter ſeparare non ceſſat] In impreſſis deſiderabatur Apoſtolus, & tamen.

reſurrectionem mortuorum non credebant] manuſcr. addebant mortuorum.

quis tam ferreus cordis ſomnus non excutiatur, poſſitque aliquando ſentire] Pro his legebant vulgata, quis tam ferreus cordis ſomnus poſſet non aliquando ſentire.

paulò antè inuicem damnatorum] Felicianus enim Primianum damnauit; Primianus autem Felicianum. In excuſis autem deerat inuicem.

IN CAP. XXII.

Fuerint quidam] Potentiali modo; alioqui enim falſum id erit ſi legas cum excuſis, Fuerunt quidem.

ipſi ſe contra iſtas calumnias] Perperam ipſique.

clamarentque fidenter & dicerent] Pro fideliter.

quem nemo rectè intelligens] Pro quem, erat eum.

cui dicit in Apocalypſi ſpirit⁹] Illud ſpiritus, deerat in impreſſis.

Sic illi laudantur] Non Sicut.

aliis demonſtrari] Ita commodius MS. quàm monſtrari.

& ab eis auelli ſepararique non poſſet] Pro eo quod erat, & ab eis velle ſeparari non poſſet.

in illo concilio] Perperam nullo concilio. Agit enim de Carthaginienſi concilio in quo abſens damnatus eſt Cæcilianus.

Nouelli Tyſicenzis] Pro Tyricenſis.

Fauſtini Tuburbitani] Pro Tuturbitani.

nec vniuerſæ Proconſulari prouinciæ] Carthaginiẽſi videlicet.

Ecce quorum piſciculorum] Perperam diſcipulorum.

& ille purgari potuit] Intelligit Felicem Abtungenſem Cæciliani ordinatorem.

in concilij illius inimica conſpiratione dixerunt] Ita rectius manuſcr. quàm concilio.

IN CAP. XXIII.

ſi nec cauſa cauſæ] Redundat vocula vel, quæ hic in excuſis antecedit.

quod indignum eſſe dixerunt] Infinitiuum addebant MS.

ſatis apertè monſtrarẽt] Mẽdoſè impreſſa apparere mõſtrarent,

nos eccleſiæ catholicæ] Deeſt aliquid, fortè cauſam, vt infrà cap. 27. & ſuprà Collat. diei 3. cap. 2.

ſubſcriptionum noſtrarum] Vitium eſt typographicum, vbi legunt excuſa, ſubſcriptionem.

quod alij pro aliis ſubſcribere potuerunt?] Pro eo quod erat, quod alij ſubſcribere non potuerunt? vel vt Amorb. quod aliis ſubſcribere non potuerunt.

Sic enim peruẽtum eſt] duriuſcula locutio, de qua ſuprà in Collat. diei 2. cap. 3.

in eorum mandato] In excuſis deerat præpoſitio.

Deinde ſub diuina teſtificatione] Ita rectius quàm deniq; ſub. Neq; enim multa præceſſerunt, quibus hoc velut poſtremum ſubijciatur.

quid ſi & alius ſe pro eodem appoſuit] MS. legebant oppoſuit. Sed alterum legitur & ſuprà Collat. diei 1. cap. 14.

in ſuo mandato apparuiſſe] manuſcr. legebant mendacio, ſed non rectè.

claruiſſe firmarent?] Pro firmarunt; pendet enim ſententia ab illo loco, Quanti emere debuimus, vt &c.

IN CAP. XXIIII.

etiam in hoc mendacia ſua proderent] Non prodiderunt.

ſicut etiam nunc pluſquam quadringẽtos per totam Africam ſe eſſe iactantes] De numeroſitate Donatiſtarum epiſcoporum diximus aliquid ſuprà ad Collat. 1. diei cap. 14.

ducentæ ſeptuaginta nouem] Pro ducẽti: quem numerum habes citato iam Collat. loco bis omnino expreſſum. Vnde non dubitaui locum hunc ad alterum caſtigare, cùm legeretur, ſeptuaginta tres.

non potuerint venire Carthaginem] pro potuerunt.

Sic autem à Primate ſuo per tractoriam fuerunt euocati] Tractoria iuris vocabulum eſt, ſignificans diploma ſeu inſtrumentum euectionis curſusq; publici, hoc eſt quo ius & poteſtas dabatur equos, vehicula, & viaticum petendi de publico. Qua de re titulus eſt in Cod. lib. 12. alter de Curſu publico, alter de Tractoriis. Idem ferè ſignificat Euectio, qua voce vtitur & Auguſt. lib. 5. Confeſſ. cap. 13. vbi ait Mediolanenſes rhetoricæ profeſſorem à præfecto vrbis Romæ petiſſe, impartita etiam euectione publica. Extat eadem & epiſtola apud eũ 55. Cæterùm tractoriæ dictionem & alibi apud eundem reperimus, vt epiſtola 217. non ſemel, ſed vbi alia videtur eius eſſe ſignificatio. Etenim quemadmodum conſtat ex præfati lib. 12. l. 9. ius dandarum euectionum non cuiuis conceſſum erat; nam neq; iudicibus, neq; præſulibus, nec vicariis aut ducibus, nec magiſtris militum, neque ipſi præfecto vrbis, ſed ſolis poſt principem præfecto prætorio, & magiſtro officiorum. Priuati ergo epiſcopi nihil hac in re iuris habebant, non ergo huius generis tractorias dare potuerunt. Videtur autem tractoria nihil ibi aliud eſſe, vti fortaſſe nec hoc loco, quàm epiſtola citatoria ſeu euocatoria, qua iubetur quiſpiam certo loco & tempore præſentẽ ſe ſiſtere, & veluti trahitur ſeu euocatur quopiam. Ab huiuſmodi verò tractoria, diuerſa eſſe videtur tractatoria; cuius, niſi fortè mendoſi ſunt codices, mentio fit epiſt. 162. & conc. 2. in Pſal. 36. accipiturq; pro literis quibus de quopiam aliquid inſinuamus, aut publicè declaramus, vt hunc vel illum excommunicatum, damnatũ aut abſolutum eſſe. Quod ſi non fecerint, inquit epiſt. 162. ibi etiam eorum prauitas & peruerſitas innoteſcet; miſſaq; tractoria (ſic enim & aliis locis legendum, non tractatoria) ſuper eorum nomine per totum orbem terrarum, quacunque iam Chriſti eccleſia dilatata eſt, ab omnibus eccleſiis eorum communio præcidetur, ne aliquis error in cathedra eccleſiæ Carthaginienſis oriatur. Et conc. 2. in Pſal. 36. Ergo primò tractatoriam de illo miſerunt, conquerentes quia noluit ad illos exire.

quò prætermiſſis omnibus properarent conuenire Carthaginem] ſic rectè MS. pro quo erat, cũ illis prætermiſſis properarẽt.

vt ſcirent ſe decepiſſe quod haberent optimum in cauſa] Neſcio an locus hic ſatis integer ſit; nam pro decepiſſe, videri queat legendum decerpſiſſe, vel diſſipaſſe.

quicunque venire noluiſſent. Hoc erat videlicet optimum in cauſa] Omnia hæc deerant in excuſis.

quærentium multitudo cæcorum] ſic rectè manuſcr. pro multitudo eorum.

pridie per notariam peterent] Perperam excuſa omnia notarium, quanquam malim notoriam; de qua voce ſuprà eſt à nobis aliquid dictum ad Collat. diei 1. cap. 4.

quamuis iniuſtam peterent, acciperent dilationem] ſic MS. omnia. quæ lectio viſa eſt cum ſequentibus magis conſentire, quàm excuſorum, quamuis iniuſtè petentes. Nam paulò pòſt, Quid enim iuſtius, inquit, quàm petere dilationem tanta veritatis firmitate conturbatos? Et mox, Iuſtè itaque dilationem petebant. Vt ſenſus ſit, iniuſtam quidem eos dilationem, iuſtè tamen ob timorem petiſſe. quanquam nondum id nobis ſatisfacit: nam illud, Quid enim iuſtius &c. quomodo rectè ſuperiorib. hæret, vbi nulla iuſtæ petitionis facta eſt mentio? Niſi fortè referre placeat ad illud, Quanti emere debuimus. cùm con-



cùm conuincerentur tamen contra ſuos venire conſenſus] ſic rectè MS. pro eo quod erat, cùm vincerentur, tamen contra ſuos venere conſenſus. quanquam Amorb. venire habebat.

& ipſo actionis die rurſus de ipſis exceptoribus, quia nõ occurrerant, velle cauſari. Quid eos ad hoc compulit, niſi vehemens perturbatio, cùm viderent ſic à nobis eſſe actam cauſam in conſcriptione mandati, vt reſponſionem inuenire non poſſent?] Omnia hæc deſiderabãtur in excuſis; ſcribarum errore præterita.

vt nemo poſſet] Pro poſſit.

noſtro reſpondere mandato] Perperam mandato dato.

Peruidet, inquiunt, poteſtas tua] Non autem Prouidet.

IN CAP. XXV.

Congregantur ex vniuerſa Africa tot epiſcopi] ex manuſcr. adiecimus tot.

conſcripſiſſe cõfeſſi ſunt] In excuſis deſiderabatur, cõſcripſiſſe.

in medium ſubito mitteret cauſam] ſic MS. ſic & vetera excuſa, pro quo noſtra mendoſè, in mediam.

vel ſero agi nolebant] Pro volebant.

donis largiſſimis ditaret] MS. legebant ditaremus, & mox pro torqueret, torqueremus. Sed viſa eſt altera lectio commodior, quam habet etiam Amorbach.

quò eos petiuimus conueniri] Pro petimus conuenire, vt liquet ex Collat. 3. diei cap. 5.

quam modo ab Imperatore] Ita rectius MS. quàm quod.

propter hoc quippe hæretici] Voculam quippe, addebant MS.

apud præfectos collationẽ petiuerant] Perperam protulerãt.

quia geſta illa præfectoria tempore præcedebat] Mẽdoſè præcedebant; ad libellum enim hoc refertur, vt geſta præfectoria, accuſatiui ſint caſus.

vbi ipſi apud Imperatorem Conſtantinum per Anulinum] In excuſis deprauatè legebatur, vbi ipſum, & Amillinum.

Peruidet poteſtas tua] Non, Prouidet, vt cap. ſuperiori.

in cauſæ interna deduci] Pro interiora: nam alterum legis cap. 24. & 25. & Collat. diei 3. cap. 5.

quando enim dæmon ſic exorciſtam timeret] Exorcizare eccleſiaſtico vſu idem eſt quod per diuina adiurando vim inimicam expellere. Duplex autem eſt dæmonum in hominem poteſtas, interior & exterior; quando videlicet animam vitiis & peccatis captam & obnoxiam tenent, vel ſenſus exteriores interioresq; perturbant, & furorem quendam inferunt. Ergo qui malis iſtis curandis ſiue catechumenorum, ſiue energumenorum in eccleſia præſunt, Exorciſtæ vocantur; preces ipſæ & adiurationes, exorciſmi. Qua de re vide Auguſtinum lib. De vita beata ſub finem diſputat. ſecundæ diei, & Iſidorum lib. 8. etymol. cap. 12. De diuina verò exorciſtarum in dæmones poteſtate, qua eos de obſeſſorum corporibus exire compellant, torqueant, flagellent, vrãt, pulchrè Tertull. lib. ad Scapulam, & in Apolog. Cyprianus tract. ad Demetrianum, & lib. 1. epiſt. 6. & lib. 2. epiſt. 2. Minutius Felix in Octauio, Arnobius lib. contra Gentes. Lactant. lib. 2. cap. 5. & lib. 5. cap. 21. Iuſtinus martyr oratione ad Gẽtes, & contra Tryphonem de verit. Chriſtianæ religionis.

Quando, vel quanto pretio] Excuſa nihil aliud hic legebant, quàm, Vel quanto pretio.

Quis tam idoneus index inueniri poteſt animi eorum] Ita rectius quàm iudex. Sic enim & in fine capitis ſequentis, iſte indicauit quid in eorum cordibus ageretur.

nec ſilentio tegerent] Amorb. legebat tegerint, vt & paulò pòſt loco proderent, habebat proderint: vnde pòſt natum texerint, & prodiderint.

Sed cùm legerentur ea quibus oſtendebatur] MS. legebant, Si non legerentur. ſed nos alteram prætulimus lectionem.

tergiuerſatoriè necterentur] Pro tergiuerſatione.

recitanda prolata eſt] Id eſt, vt recitaretur, quomodo infrà cap. 27. quæ prolata fuerant recitanda. Cui ſimile eſt quod habes ſuprà lib. 1. contra Petilian. cap. 10. decernenda recitata eſt.

IN CAP. XXVI.

Ille iudicauit ſtando] nolentibus ſedere Donatiſtis, de quo ſuprà Collat. diei 2. cap. 1.

puto quòd melius dicerent] Locus corruptus. MS. legunt dicebant, ſed nihil nos id adiuuat; fortè dicerem.

litigatorum timor] ſic rectè MS. ſequitur enim, eorũ chartulis & eorum cordibus. In excuſis erat litigatoris.

Ille quærebat quid ex eorum chartulis legeretur, iſte indicauit quid in eorum cordibus ageretur] Confundit differentiam inter ille & iſte. Cæterùm pro indicauit, MS. cũ Amorb. legunt iudicauit: ſed alteram lectionem prætulimus, quam habent etiam vetera Froben.

IN CAP. XXVII.

vbi nos eccleſiæ cauſam ſcripturarum teſtimoniis egiſſe confeſſi ſunt, ſimiliter ſe ſcripturarum teſtimoniis reſponſuros] Ita hunc locum ex MS. caſtigauimus, pro quo legebat Amorb. vbi nos eccleſiæ cauſam ſcripturarum teſtimoniis reſpõſuros, vno nimirum verſu omiſſo. quam lacunam Froben. ſuppleri poſſe admonebat additionẽ vocis agimus, quam poſteriores in contextum retulerunt.

ſic illis aſſiduè ſua inania] Illud ſua, conſtanter addebant MS. imò & vetera Amorb. ac Frobenij.

& ad illa quæ protuleramus] Pro vt ad illa.

ſuperatosque conſtrinxit] Pro conſtrinxerit.

ſi autem obiicerent] Perperam obiecerint.

IN CAP. XXVIII.

Iam verò illud] Ex MS. adiecimus illud.

contra quã veſtri epiſcopi] Ita rectius MS. quàm ipſi epiſcopi.

vt eos ſibi qui vicerint copulet] Illud ſibi, deerat in vulgatis; legebant tamen etiam Amorb. & Frobenij primæ editiones.

eos ſibi copulare] Id eſt, vt eos ſibi copulet, vt in præcedentibus verbis. Excuſa poſteriora per paſſiuum verbum legebant copulari. Nam Amorb. & Frobenij vetera etiam hic MS. conſentiebant.

Nam ſi ab eis aliena non eſt, etiam ipſa rea victa cum victis, quomodo ſibi eſt copulatura victores?] Totum hoc in vulgatis deſiderabatur.

qui eidem communione cohæremus] Mendoſè communioni: nam illud eidem, ad eccleſiam pertinet tranſmarinam, cui ait Catholicos ſocietatis communione cohærere.

Nam ſi propter iſtam communionẽ] Ex MS. adiecimus iſtam.

ſed ipſam confeſſi ſunt] ſic MS. quomodo paulò pòſt, & ſicut iam confeſſi ſunt. Excuſa legebant profeſſi, quod tamen nec reijcimus.

quamuis ei ſacramentorum communione ſocientur] Afri videlicet eccleſiæ tranſmarinæ. Mendoſè ergò excuſa eis, niſi legas ſociētur. Sed MS. conſentit etiam Amorb. & vetera Froben.

ſibi & Catholico nomini adiungat] ſic MS. cum Amorbach. & Frobenij vetuſtioribus, pro nomine.

Ille ergo tunc vicit] In excuſis deerat tunc.

multo magis vincimus] Amorb. legebat vincimur, hinc fecerant Frobeniana euincimus. Sed vincẽdi vocabulum ſuprà eodem hoc capite frequentiſſimè repetitur.

hinc oſtendentes] Ex MS. addidimus huic.

IN CAP. XXIX.

nec attingere omnino literis ſuis voluerunt] Illud omnino literis ſuis, in impreſſis deſiderabatur.

per notariam poſtulantibus] Mendoſè notarium.

Et cũ iam ſeptẽ eſſent delecti] Ita commodius MS. quàm electi.

& nos eiſdem literis eorum] Loco eorum erat ipſis.

toto terrarum orbe diffundi] Præpoſitionem in, quam addebant excuſa, nulla habebant MS.

authoritati eius non cedere] Ita MS. quod commodius eſſe viſum eſt, quàm quod habebant excuſa obedire.

ſolent eius placita vel decreta proferre] Illud eius placita vel decreta, in impreſſis deerat.

& non iam erat] MS. legebant, & non fuit iam. Sed nos veterem lectionem reliquimus.

in eadem diuerſitate permanſit] Neſcio an ſatis integer hic locus ſit.

& eos inde quos damnauerunt] ſic MS. Amorb. cum primis Froben. legunt & eos quos, omiſſa voce inde. Poſteriora & eos qui.

etiam hoc ergo cùm in noſtro mandato legerent] Ex MS. adiecimus etiam.

tacendum potius & prætereundum] ita rectius cum manuſcr. quàm prætermittendum.

quàm vlla contradictione refricandum eſſe cenſuerunt] Ita malim quàm cum excuſis refutandum eſſe.

præter reſponſionem] ſic etiam vetera Amorb. Froben. & Lutet. id eſt nec adhibita noſtra reſponſione: pro prætereà.

IN CAP. XXX.

quando emere poſſemus] Mendoſè quanto.

quia cùm à nobis] ſic & vetera excuſa. Recentiora qui cum.

IN CAP. XXXI.

quod maiores ſuos apud Imperatorem Conſtantinum perſecutos Cæcilianum non confiteri tantùm, verùm etiam profiteri atque gloriari minimè dubitarunt] Hanc eorum gloriationem Auguſtinus in Breuiculum ſuum apertè non retulit; attingitur Collat. diei 3. cap. 16. ac 20. & hoc poſt Collat. lib. cap. 16. item epiſt. 152. Cæterùm pro perſecutos, perperam legebant vulgata perſecutus.

Leguntur proſecutiones eorum] Pro perſecutiones.

quia leguntur etiam ſubſcriptiones eorum] Illud etiam, legebant conſtanter MS.

Hoc cùm facere omnino non poſſent] In excuſis addebatur enim, ſed non erat in MS. & rectius abeſt.

declarandamque delecti] deſiderabatur in excuſis vox delecti.

quod inimicis ſancti Danielis] Pro inimici. Priorem lectionem inuenire adhuc eſt in veteribus excuſis Amorb. & Froben.

quod pati voluerant innocentem] Ex MS. hæc verba adiecimus.

vbi eos grauiter deteſtatur] MS. legunt deteſtatus; ſed altera lectio magis conſentit cum aliis locis vbi hæc eadem repetuntur.

& pœnam illorum deteſtabili indulgentia fuiſſe firmatam] Sic rectè MS. pro eo quod erat, & pœnam illorum, & deteſtabilem indulgentiam fuiſſe firmatam.

vnde nobis gratis dari non poſſent] Mendosè dare, cùm alterum tamen eſſet in primis excuſis.

quolibet præmio] ſic MS. omnia, pro per quelibet præmia.

IN CAP. XXXII.

Etiam hæc ergo cauſa] Pro, Cauſa ergo hæc.

vbi liquidiſſimè innocentia Felicis apparuit] In excuſis deſiderabatur apparuit, vnde addidit quiſpiam præpoſitionem de innocētia.

Sed quoniam quidam Ingentius, qui eidem iudicio contra Felicem] Hæc aberant in excuſis.

nec puniri facilè debuit, vbi cauſa epiſcopi vertebatur] Aliis locis vbi hoc idem tractat argumentum, cur tortus non ſit, hanc reddit cauſam, quia decurio fuerit ciuitatis Ziquenſis.

vt ad eius comitatum idem Ingentius] Suprà admonuimus vbicunq; Vigentius legitur, Ingentius eſſe ſcribendum. quod ſemel hic repetiſſe ſufficiat.

vt perſecutio quæ per maiores eorum] Loco proſecutio.

apud Imperatores] Redundat noſtros, quod addunt hic excuſa.

& eorum calumniæ ſuperatæ cumulatius appareret] Pro calumnia ſuperata, & apparuerit.

Conſcriptę ſunt eorum proſecutiones, tenentur ſubſcriptiones] Ita paſſim ſuprà eodem hoc libro, pro quo excuſa ſubſcriptæ.

Ipſi inquam recitauerunt Cōſtantinum ſcripſiſſe, quod Ælianus proconſul] Ita hunc locum ex MS. reſtituimus, cùm prius eſſet, Ipſi inquam recitauerunt Conſtantinum ſubſcripſiſſe, quod Æliano proconſuli, vel, vt habet Amorb. proconſule.

& intimare poſſit] Ita rectius quàm poſſet, quomodo aliis paſſim locis, vt lib. 3. contra Creſcon. cap. 70. Epiſt. 68. Collat. 3. cap. 23.

quis noſtrum hoc auderet optare] Sic MS. pro quis noſtrum hoc non audire optaret.

vt quos iniquitas fecerat noſtros impugnatores] Pro fecerit. Cæterùm pro impugnatores, manuſcr. legebant accuſatores. Sed nihil putauimus immutandum.

IN CAP. XXXIII.

Sicut autem ordo conſulum oſtendit] Pendet ſententia vſque ad vndecimum verſum, quo loco perperam initium cap. ſtatuebatur.

Et magis vtique ipſi protuliſſent] Excuſa, Quod magis vtique: ſed magis quadrat MS. lectio.

proconſulari iudicio] ſic & aliàs paſſim, pro proconſulis.

deinde poſt quatuor annos] MS. legebant poſt quot annos. Excuſa poſt annum; ſed legēdum, vt ſcripſimus, liquet ex ſubiecta Auguſtini ſupputatione.

Conſtātino tertium & Licinio iterum Conſſ.] Optatus lib. 1. habet, Licinio III. Conſ. Quin & Faſti conſulares annotant Conſtantinum & Licinium vnà fuiſſe tertium conſules: ſed reliqui Auguſtini lectionem, nam in numeris facilior lapſus, quàm in voce iterum, niſi quis & hic tertium fuiſſe ſcriptum ſuſpicetur. Cæterùm pro Licinio, perperam erat Luciano.

ſexto nonas Octobres] ita rectè MS. conſentiente etiam Optato, qui addit, feriam ſextam fuiſſe. In excuſis autem erat, Nonis Octob.

Conſtantinus ad Eumalium vicarium] Ita legendum oſtendimus ſuprà ad lib. 3. contra Creſc. cap. 71. In MS. diuiſis dictionibus ſcriptum erat eum alium. Excuſa legebant Romalium.

Et idem Imperator ad Valerium vicarium] Hic ſuprà cap. 31. Item Collat. 3. diei cap. 22. & 24. Rurſus epiſtola 152. Verinus appellatur, quare & hic Verinum legendū cenſeo, niſi fortè prænomen ei vel cognomen Valerij donemus; quanquam in Cod. Theod. Locrius Verinus dictus videtur, de quo nonnihil ſuprà lib. 3. contra Creſc. cap. 70. ad illud Verus vicarius præfectorum.

& eorum furore Deo vindici dimittendo] ſic manuſcr. pro remittendo.

ſine miſſo ad comitatum Ingentio] In excuſis deſiderabatur Ingentio.

imò eum iudiciis quoque Imperialibus] ſic manuſcr. qua voce libentius video vſum Auguſt. quàm Imperatoriis: vt ſuprà Collat. 3. diei cap. 4. 19. & 20. vbi literas & edicta imperialia quinquies habes repetita.

IN CAP. XXXIIII.

totiens improbata, totiens calumnioſa] Ex MS. iſta adiecimus.

quaſi vox alia victis eſſe cōſueuerit] Amorb. legebat, quaſi vox illa victis. Hinc fecit Froben. quaſi non vox illa.

quæ iudicem cogerent] Pro coëgerunt.

nos in illum talem ſuſpicionem dirigere deberemus] Pro quo deprauatiſſimè, nos nullā talem ſuſpicionē diligere deberemus.

& nos ad eadem totiens conuicta] Mendosè conficta.

Hinc tamen ſolùm cauſam tam peſſimam] Pro ſolum, vulgata ſuam legebant: error natus ex Amorb. apud quem erat ſolam.

vtcunque adiuuare potuerunt, quam potius deſerere debuerunt] Ita legebat & Amorb. excepto quòd loco debuerunt, habebat potuerunt. Vnde Froben. fecerunt, vtcunq; adiuuare potius, quàm deſerere debuerunt.

vt tot proſecutionibus] Mendosè perſecutionibus.

ne quod actum eſt facilè legeretur] Perperam excuſa omnia gereretur.

nec ipſis nec nobis iurantibus forſitan crederetur] Mendosè crederentur.

IN CAP. XXXV.

Quapropter fratres, ſi tamen non iraſcimini quia fratres vocamus: illi enim cùm hoc à nobis audirent, iniuriam ſibi fieri apud acta dixerunt] Loquitur de actis Collat. Carthaginienſis, licet hoc in Breuiculo ſuo prætererit. Expreſſius rei eiuſdem meminit lib. 2. contra Gaudent. cap. 11. & ſermone de Geſtis cum Emerito. Quod nomen, & ſuo tempore Donatiſtas reieciſſe teſtis eſt Optatus libr. 1. Cauſam autem cur Catholicos pro fratribus agnoſcere nollēt, nec eo nomine vellent ab eis compellari, oſtendit Auguſt. conc. 2. in Pſal. 32. Doleamus illos fratres, inquit, tanquam fratres noſtros. Velint nolint fratres noſtri ſunt: tunc eſſe deſinent fratres noſtri, ſi deſinent dicere, Pater noſter. Dixit de quibuſdam Propheta, His qui dicunt vobis, Nō eſtis fratres noſtri, dicite, Fratres noſtri eſtis. Circumſpicite de quibus hoc dicere potuerit; nunquid de Paganis? Non: neque enim dicimus eos fratres noſtros ſecundum ſcripturas, & eccleſiaſticum loquendi morem. Nunquid de Iudæis qui in Chriſtum non crediderunt? Legite Apoſtolum, & videte quia fratres; quando dicit Apoſtolus ſine aliquo additamento, non vult intelligere niſi Chriſtianos. Non eſt autem ſubiectus, inquit, frater aut ſoror huiuſmodi: cùm diceret de coniugio: fratrem & ſororem dixit Chriſtianum vel Chriſtianam. Iterum dicit, Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quid ſpernis fratrem tuum? Et alio loco, Vos, inquit, iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Iſti ergo qui dicunt, Non eſtis fratres noſtri, paganos nos dicunt: ideò enim & rebaptizare nos volunt, dicentes nos non habere quod dant. Vnde conſequens eſt error ipſorum, vt negent nos fratres ſuos eſſe. Sed quare nobis dixit propheta, Vos dicite illis, fratres noſtri eſtis; niſi quia nos in eis agnoſcimus, quod nō repetimus. Illi ergo non agnoſcendo baptiſmum noſtrum, negant nos eſſe fratres; nos autem non repetendo ipſorum, ſed agnoſcendo noſtrum, dicimus eis, Fratres noſtri eſtis. Eundem hunc Eſaiæ 66. cap. locum citat eis Auguſt. epiſtola etiam 203. quæ eſt ad Maximinum Donatiſtam. Conc. item quoddam Carthaginienſe in formula quadam congreſſionis cum Donatiſtis, quæ extat in Græcis canonibus, numero 95.

Dicite, Fratres noſtri eſtis, his qui vos oderūt, & qui vos deteſtantur, vt nomen Domini honorificetur, & appareat illis in iocunditate, ipſi autem erubeſcant] Sic MS. In excuſis deſiderabatur his, & erat, vt nomen Domini honorificè appareat, & erubeſcebant. Sed alteram lectionem habes eodem hoc cap. etiam in impreſſis repetitam. Locus eſt autem Eſaiæ cap. 66. ſecundum 70. vbi nos legimus, Dixerunt fratres veſtri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum, Glorificetur Dominus, & videbimus in lętitia veſtra, ipſi autem confundentur. Quanquam nec Græca noſtra cum Auguſtini lectione conſentiunt; ſic enim habent Regia: Dicite fratribus veſtris odientibus vos & abominantibus, vt nomen Domini glorificetur, & appareat in lætitia eorum, et illi confundentur: quomodo penè & Hieronymus vertit, niſi quòd legit confundantur. Sed non videntur nec Africana olim exemplaria inter ſe conueniſſe; nam Optatus lib. 1. ita hunc locum producit: Hi qui vos odio habent & execrātur, & nolunt ſe dici fratres noſtros, vos tamen dicite eis, Fratres noſtri eſtis. Quomodo ferè citat & Auguſt. conc. 2. in Pſal. 32. vt ex præcedentis loci annotatione cognoſci poteſt. In cæteris quæ ibidem annotantur, eadem eſt quæ huius capitis lectio.

& cujus vtrique ſacramentum portamus] MS. legunt ſacramenta, ſed malo numerum ſingularem: de baptiſmo enim loquitur, à quo ſacramento fratres vocamur.

quem poſſideant liberandi] Pro poſſidebant.

& in caſtris Imperatoris redactis] Fortè reductis: quanquam nec alterum diſplicet.

Incluſos & tanquam in carcere ſe fuiſſe conqueſti ſunt] Altera hæc eſt Donatiſtarum contra Marcellinum & Collationem criminatio. Siquidem Marcellinus, vim à Donatiſtis & eorum fortè Circumcellionibus



cellionibus metuens, locum eum armata apparitione munierat, vt ex Geſtis Collationis ſcribit Balduinus.

Sed quomodo dicemus iniuriam] Pro dicamus.

qui ſimul intus eramus. Ipſi vnde ſciūt] Hæc deerāt in excuſis.

niſi quia fugere] pro ſed qui fugere.

Sed quis nō videat, quòd iſta inania] Apud Amorb. ita hæc mutilata legebantur, Sed qui non vi quòd iſta inania. Quæ cùm abſurda eſſet lectio, Frobenius reſectis prioribus, retinuit tantùm, Iſta inania.

Scimus quàm multi veſtrum & fortè omnes aut penè omnes dicere ſoleatis, O ſi in vnum locum conuenirent! ô ſi aliquando cōferrent, atque illis diſputantibus veritas appareret!] Idem & ſui temporis publicum fuiſſe votum, teſtatur Optatus lib. 1. A multis, inquit, deſideratum eſt, vt ad eruendam veritatem ab aliquibus defenſoribus partium conflictus haberetur: & fieri potuit. Sed & acceſſum prohibent, & aditus intercludunt, & conſeſſum vitant, & colloquium denegant.

Deus, qui nos redemit vnus eſt] Nec iſta in excuſis reperiebātur.

qui nos ſociare debet vnus eſt ſpiritus] Pro vnus eſt Chriſtus, hoc enim iam præceſſit.

*Annotationum in librum ad Donatiſtas poſt Collationem finis.*

# ANNOTATIONES IN LIBRVM B. AVGVSTINI DE GESTIS CVM EMERITO Cæſarienſi Donatiſtarum epiſcopo.

*Ex collatione veterum excuſorum Amorbachij, Frobenij & Lutetianorum, nam MS. hic fuimus deſtituti.*

GLORIOSISSIMIS Imperatoribus Honorio duodecimùm, & Theodoſio octauùm Conſulibus, duodecimo Kalendas Octobres Cæſariæ in eccleſia maiori] Lib. 2. Retract. cap. 51. ait Auguſt. actionem hanc & collocutionem factam aliquanto poſt Collationem Carthaginienſem; & hic certius tempus exprimitur. Incidit autem conſulatus iſte in annum Domini 418. annis videlicet ſeptem poſt præfatam Collationem. Quæ autem profectionis huius tā longinquæ fuerit Auguſtino cauſa, & neceſſitas, vt ait illo Retractat. loco, attingit Poſſidius in eius vita cap. 14. vbi eum refert ſedis Apoſtolicæ literis vnà cum aliis quibuſdam epiſcopis (inter quos & ipſe Poſſidius fuit) in Mauritaniam abire compulſum, ad terminandas quaſdam illic eccleſiæ neceſſitates. Et Auguſtinus ipſe epiſtola 157. mox poſt initium: Literæ, inquit, quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſariam præſente venerunt, quò nos iniuncta nobis à venerabili papa Zoſimo Apoſtolicæ ſedis epiſcopo eccleſiaſtica neceſſitas traxerat. Quæ verò hæc cauſa fuerit, nec Auguſt. nec Poſſidius expreſſerunt; nam cum Emerito oblata eſt tantum occaſio congreſſus. Auguſtinus lib. 4. De Doctrina Chriſtiana cap. 24. aliud quiddam refert ibidem à ſe actum. quem locum viſum eſt huc totum tranſcribere. Cùm apud Cæſariam, inquit, Mauritaniæ, populo diſſuaderem pugnam ciuilem, vel potius pluſquam ciuilem, quam cateruam vocabant; neque enim ciues tantummodo, verùm etiam propinqui & fratres, poſtremò parentes ac filij lapidibus inter ſe in duas partes diuiſi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni ſollemniter dimicabant, & quiſque vt quemque poterat occidebat: egi quidem granditer quātum valui, vt tam crudele atque inueteratum malum, de cordibus & moribus eorum auellerem, pelleremq́; dicendo: Non tamen egiſſe aliquid me putaui cùm eos audirem acclamantes, ſed cùm flentes viderem: acclamationibus quippe ſe doceri & delectari, flecti autem lachrymis indicabant. Quas vbi aſpexi, immanem illam conſuetudinem, à patribus & auis, longeq́; à maioribus traditam, quæ pectora eorum hoſtiliter obſidebat, vel potius poſſidebat, deuictam, antequam re ipſa id oſtenderent, crèdidi. Moxq́; ſermone finito, ad agendas Deo gratias corda atque ora conuerti. Et ecce iam ferme octo vel amplius anni ſunt propitio Chriſto, ex quo illic nihil tale tentatum eſt. hactenus ille. vbi ne quem poſtrema hæc verba moueant, vt arbitretur id multo antè actum, in alia priore aliqua profectione; meminerit, libros illos De Doctrina Chriſtiana inchoatos quidem fuiſſe paulò poſt epiſcopatus ipſius exordium, ſed abſolutos demum, multis ad librum tertiū, & toto quarto adiecto, aliquanto ante conſcriptos libros Retractationum, quemadmodum ipſe ait Retract. lib. 2. cap. 4. Verū nec illa videtur fuiſſe profectionis illius cauſa. In concilij Africani canonibus Græcis canone 101. agitur de Primoſo quodam in Mauritania, cuius cauſa tractari iuſſa ſit, mandato & Innocentij pontificis & Honorij Imperatoris, qui ad concilium tamen euocatus non comparuerit, & quæſitus per Mauritaniam non ſit inuentus: qua de re legatio decernitur ad Imperatorem, & Innocentium vnà cum literis totius ſynodi. Sed cū ea celebrata videatur Honorio VII. & Theodoſio iterum Conſſ. longius eſt hoc ad Zoſimum vſque tempus, quàm vt hoc negotium per tot annos productum videri queat. Ergo quia nihil certi adferre poſſumus, ad Geſta cum Emerito tranſeamus. Fuit autem Emeritus iſte, vt & hic refert Auguſt. in Cæſarieſi Mauritania Cæſariæ Donatiſtarum epiſcopus, inter eos haud poſtremus; nam & in Bagaitano concilio ſententiam contra Maximianum & collegas eius ipſe dictauit, & in Collatione Carthaginienſi de ſeptem delectis, qui cōmuni nomine contra Catholicos diſputarēt, vel præcipuus fuit. Extat Auguſtini ad eum epiſtola 164. qua eum ad colloquium & epiſtolarem diſputationem inuitat, in qua meminit & alterius cuiuſdam, cui necdum ille reſponderit. Scripſit ad eundem & poſt Collationem Carthaginienſem, vt refert ipſe lib. 2. Retract. cap. 46. ſed non extat is liber. Cæterùm actionis huius & congreſſionis Cæſarienſis occaſione, ſparſus rumor fuit Emeritum Auguſtini opera conuerſum, & Catholicum factum; ſed falſus, nam licet victus, in hæreſi tamen ſua obduratus permanſit, vt teſtatur Auguſtinus lib. 1. contra Gaudentium cap. 14. vbi totam rei geſtæ hiſtoriam breuiter repetit.

Deuterius epiſcopus Metropolitanus Cæſarienſis] Hunc ait infrà Emerito etiam genere fuiſſe coniunctum. Idem autem videtur ad quem eſt 74. epiſt. Auguſtini.

ſed à Donatiſtis huius ciuitatis ordinatus] Amorb. non legit præpoſitionem à, & neſcio an ſcripſerit Auguſtinus; nam à plebe & clero illic Donatiſtarum eligi potuit in epiſcopum, ordinari autem niſi ab epiſcopis non potuit.

Quos Donatiſtas in nomine Chriſti in gremiū Catholicum iam magna ex parte ſuſcepimus, ita vt penè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus] Sic epiſt. 50. Maximè poſt Collationem quæ inter nos & epiſcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti ſunt. Vide & lib. 1. contra Gaudent. cap. 24. & 29. Et lib. 1. contra Creſcon. cap. 5.

quidam verò non ſaltem dubitant] Id eſt, ne vel dubitant quidem, apud vtros veritas ſit, apud Catholicos an Donatiſtas; ſed certò perſuaſum habent apud hos, non apud illos eſſe.

noui quid dicebatur vobis, nos Cognitoris emiſſe ſententiam; noui dictum eſſe vobis, quòd ille fuerit cōmunionis noſtræ, & propterea iſtos loqui omnia quæ vellent minimè permiſit; & eos poteſtate potius oppreſſit, quàm probitate; quod loquebantur nō accepit] Calumniæ ſunt Donatiſtarū de Marcellino Cognitore, quas repetit etiam Poſſidius cap. 14. Poſt illam, inquit, quæ cum Donatiſtis facta eſt Collationem, non defuerunt qui dicerent permiſſos non fuiſſe eoſdem epiſcopos apud poteſtatem quæ cauſam audiuit, dicere omnia pro ſuis partibus, quoniam Catholicæ communionis Cognitor ſuæ fauebat eccleſiæ. Cæterū pro eo quod legimus probitate, ſuſpicor ſcriptum fuiſſe veritate, quomodo habes infrà: Tunc enim victus es, ſi veritate victus es. Si autem videris victus poteſtate, & viciſti veritate. Et mox, Si veritate victus ſum, aut veritate oppreſſus ſum.

Audiant ciues tui, vnde te victorem præſumis eſſe] Refert Poſſidius cap. illo 14. Inſtanter à parentibus & ciuibus ſuis rogatum fuiſſe Emeritum, vt pro cauſæ ſuæ defenſione diſputationem cum Auguſtino iniret, promiſiſſeq́; ſi ſuperaret, ad eius ſe cōmunionem redituros, etiam cum iactura fortunarum & vitæ diſcrimine; ſed diſſiſum noluiſſe.

Veruntamen quoniam geſta Collationis noſtræ commemorauit] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, cùm prius eſſet, geſta communionis. Cæterùm pro commemorauit, perperā erat commemorauerit. Alteram enim lectionem habent vetera Amorbachij & Frobenij.

Vt annis omnibus per ieiuniorum dies] Vide & epiſcoporum diligentiam, & populi patientiam.

Honorabili ac dilectiſſimo filio, viro clariſſimo & ſpectabili tribuno & notario Marcellino] Epiſtola hæc breuiter commemoratur Collat. diei 1. cap. 5. atq; vtinam & cæteras omnes quarum illic fit mentio, totas ac integras legere poſſemus.

illos autem violentos & calumnioſos eſſe iudicatos] Perperam Lutet. indicatos.

Dicam charitati veſtræ & commemorem rem dulciſſimam & ſuauiſſimam] Inſignis narratio de duobus epiſcopis cathedris ſuis ſi fortè ſuccumberent, cedere detrectantibus.

Propter nos nihil ſufficientius, quàm Chriſtiani fideles & obedientes ſimus] Clarius dixiſſet, quàm vt. Senſus autem hic eſt: Priuatim aliud à nobis nihil exigitur quàm vt verè Chriſtiani ſimus.

hoc ergo ſemper ſumus] Malim ſimus, quemadmodum in altero membro, hoc de noſtro epiſcopatu faciamus, & paulò poſt ſemper eſſe debemus.

Propter

Propter vos hoc debemus eſſe quod vos] *Legendum videtur*, Propter nos, *vt ex ſubiectis verbis liquet: cui etiam reſpondet quod præceßit*, Propter nos nihil ſufficientius.

Voluerunt qui venerunt multi epiſcopi] *Confert inter ſe Primiani & Cæciliani cauſam.*

quæ aduerſus Primianum dicebantur] *Vel pro* Primianum, *legendum* Maximianum; *aut loco* dicebantur, *reponendum* dixerāt, *aut addendum* ſtatuiſſe, *vel* moliti, *aut ſimile quippiam.*

poſt multas eis illatas perſecutiones iudiciariis proſecutionibus] *Ita legendum haud dubiè, non* perſecutionibus, *id enim ibi antecedit. Proſecutio hic autem actionem vel tractatum ſignificat, quo ſenſu vox ea ſuperioribus libris nuſquam non obuia fuit.*

ferme per triennium] *Hinc colligimus ſchiſma Maximianiſtarum toto triennio exarſiſſe: nam nec poſt illud tempus prorſus ſublatum fuit, ſed diminutum tantummodo. Certè & ipſi obtulerunt ſe Carthagini ad Collationem cum Catholicis ineundam, licet ab vtriſque reiecti ſint, vt author eſt Auguſt. lib. 3. contra Iulian. cap. 1.*

ab iſto Emerito eſt dictata ſententia vbi illi damnati ſunt] *Obſeruandus hic locus eſt vbi Bagaitanæ contra Maximianum ſententiæ Emeritum facit authorem; nam aliis vbiq; locis dictorem ſeu dictatorem tantum, tacito nomine appellat.*

venenati vteri alueus] *Hæc concilij illius verba frequenter apud Auguſtinum repetita inuenias, ſed vbi pro* alueus, *ſemper ferè* aluus *legis, excepto lib. 4. contra Creſc. cap. 2. vbi eandem habes lectionem.*

concepti ſceleris vda coagula] *Pro his deprauatiſſimè excuſa cætera*, concepti ſceleris vt aqualiculus. *Rectius lib. 3. contra Creſcon. cap. 19. & 53. ac alibi paßim.*

tardo ſe calore vaporauerint] *In iiſdem excuſis ſingulari numero legebatur* euaporauerit, *vt eſſet priori deprauationi conſentiens lectio.*

publicum tamen facinus & parricidium ſuum] *Ita hunc locum ex aliis illis locis vbi hæc repetuntur reſtituimus: prius erat* publicum tamen parricidium, facinus ſuum. *Poſteriora tamen Froben. copulam adiecerant*, parricidium & facinus ſuum.

indulgentiæ enim antè hac fuerat, dum clemētię dimittimus lineam, inuenit cauſa quos puniat] *Locus deprauatus, qui præſidio* MS. *quibus hic caruimus, ſit reſtituendus. Lib. 4. cont. Creſc. cap. 31. vbi hæc ſuis verbis repetit Auguſtinus, ita ſcribit:* Ibi iam non confuſa criminum ſylua nomina eorum deſignabat ad pœnam: ibi eis indulgentiæ funis dum clementiæ dimitteretur linea, iam cauſa quos puniret inuenerat. *Vbi pro* fuerat, *videtur legiſſe* funis. *Sed nec hoc ſatisfacit.*

Raptus enim pœnam ſui compendio lucrauerat funeris] *In cæteris deſiderabatur* pœnam: *& pro* ſui, *lib. 4. contra Creſc. cap. 3. & alibi ſæpius* ſuam *legitur. Eſt vbi neutrum extet, vt lib. 3. contra Creſconium cap. 19.*

vſuras nunc grauioris colligit fenoris] *Lib. 3. contra Creſcon. cap. 19. & lib. 4. cap. 4. habetur* grauiores.

Dicunt enim quòd dilationem illis dederint, & intra dilationem illos ſuſceperint: hoc falſum eſt] *Hoc Donatiſtarum effugium etiam Creſconius ſuprà tueri & vindicare conatus eſt, ſed deiecit eum inde Auguſt. lib. 3. contra eundem cap. 15. & lib. 4. cap. 28. & ſequentibus.*

Nollemus quidem tāquam proprij corporis ſecare iuncturam] *Lib. 3. contra Creſcon. cap. 19. 21. & 53. Lib. 4. cap. 4. paulò aliter legitur hic locus:* Nollemus quidem tanquam è proprij corporis iunctura præcidi.

inuenta eſt cauſa ſalubrior] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, vt pro* ſalubris, *legeretur* ſalubrior, *tum quòd aliàs ita ſemper ſcribatur, tum quòd lib. 4. contra Creſcon. cap. 55. comparatiuum hunc aduerſus eum vrgeat.*

vas ſordidum collecta feculentia glutinarunt] *Prius erat* feculentia ſordidarunt. *Sed germanam eſſe alteram lectionem oſtēdunt ſuperiora loca frequenter iam citata, quæ ita conſtanter legunt.*

## ANNOTATIONES IN SERMONEM B. AVGVSTINI

### QVEM DE PRÆDICTO EMERITO ad plebem habuit Cæſarienſem.

SERMO *hic licet biduum ante ſuperiora geſta ſit habitus, vt ex iiſdem facile intelligi poteſt; viſum eſt tamen iiſdem ſubiicere: Nam & Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 51. illis priorem locum tribuit, totius opuſculi huius initium eſſe dicens*, Glorioſißimis Imperatoribus Honorio XII. & Theod. VIII. Conß.

Exultamus enim in Domino Deo noſtro] *Pro* exultemus, *vt liquet ex cæteris etiam excuſis.*

iam cognouerimus quantum diligit vnitatem] *Ita rectius noſtra, quàm cætera excuſa* cognouimus.

ipſum autem quod non vult, non vult Deus] *Legendum arbitror ſine negatione* quod vult: *ſequitur enim*, Quid enim modò vult? eſſe in diſſenſione; *& pòſt ſubiungitur*, ſed hoc nō vult Deus.

Nobiſcum preces de hac re Domino fudit cum concilio, vbi hoc illis qui foris ſunt promiſimus & obtulimus] *Loquitur de eo quod Catholici in exordio Collat. Carthaginienſ. in literis ſuis ad Marcellinum datis promittunt, depoſituros ſe honores epiſcopales, ſi eis Donatiſtæ cauſam ſuam probare potuerint; ſin contrà, Donatiſtis cathedras ſuas incolumes futuras. De quo Collat. diei 1. cap. 5. & latè ſuperioribus geſtis, vbi ob hanc populi acclamationem aut hic, aut nuſquam totam iuſſit epiſt. recitari. Senſit enim eos Auguſtinus illis verbis deſiderare, vt, ſi conuerteretur Emeritus, nō alibi quam apud ipſos maneret etiam cum epiſcopali dignitate. Cæterùm in excuſis omnibus non rectè ſcriptum erat* conſilio, *loquitur enim de concilio epiſcoporum quod ante Collationem Catholici inter ſe habuerunt, vt liquet ex ipſis geſtis cum Emerito.*

Minores ſumus honore, cùm ſimus maiores charitate] *Neſcio an nihil hic mendæ lateat: fortè* Minores ſimus honore, modò ſimus maiores charitate.

Quod illis etiam in Collatione diximus] *Vide quæ ſuprà annotauimus ad cap. 35. lib. poſt Collationem.*

Non ergo ſic illos ſuſcipimus, vt ſunt, abſit à nobis, nam hæretici ſunt; ſuſcipimus autem Catholicos: mutantur, ſuſcipiuntur] *Conſule annotationem noſtram in cap. 13. lib. 2. contra Creſc.*

non ſunt ſua] *Abutitur reciproco, pro* non ſunt ipſorum.

character autem non eſt deſertoris] *De charactere aliquid diximus circa lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13.*

Sed frater noſter non deſeruit, vbi adhuc nunquam fuit] *Significat Emeritum in ſchiſmate natum & baptizatum, eoq; eccleſiam non deſeruiſſe, quia nunquam in ea fuerit.*

Dei eſt quod habent] *Perperam excuſa omnia* quod habet.

ſi ſciero omnia ſacramenta] *de hoc loco vide quod ſcripſimus in lib. 1. contra Donatiſt. cap. 9.*

Si enim non habeo charitatem, illa ineſſe poſſunt, prodeſſe non poſſunt] *Locus manifeſtus contra noſtri temporis hæreticos, negantes fidem poſſe à charitate ſeparari, quam hic Auguſtinus ineſſe poſſe ait etiam illi qui charitatem non habeat.*

Nouimus per legitimas coniuges factum eſſe] *Idem argumentum tractat & lib. 1. contra Donatiſt. cap. 15. & 16. Item tractatu 11. in Ioannem.*

Filiis Iſraël data eſt terra] *Neſcio an non hoc ex margine tranſlatum ſit in contextum, niſi fortè ſic legas*, Quæ enim filiis Iſraël data eſt terra, quanto à pluribus.

Non eam anguſtat numeroſus poſſeſſor] *Pulchrè Auguſt. in Pſalmum 49. Hæreditas, inquit, in qua cohæredes Chriſti ſumus, non minuitur copia poſſeſſorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum, ſed tanta eſt multis, quanta paucis; tanta ſingulis, quanta omnibus.*

quæ eſt ad labium maris] *Labium ſeu labrum, Græcis* χεῖλος, *oris extremitates ſunt quibus dentes teguntur. Hinc transfertur etiam ad alia: nam & in vulneribus extremæ oræ quæ acuiunguntur, labra dicuntur. Foſſarum quoque ſummi margines labia appellantur, apud Cæſarem lib. 7. belli Gallici. Hic pro littore maris accipitur.*

qui fecit vt eum interim] *ſic excuſa cætera pro* quis.

& dicat ei foras ab eccleſia Chriſti] *Aut mutilus eſt locus, aut* foris *legendum; quæ locutio eſt Auguſtino familiaris, pro extra eccleſiam. Sic enim loquitur paulò antè lib. De geſtis cum Emerito, lib. poſt Collat. cap. 29. lib. 1. contra Gaudent. cap. 39. & lib. 2. cap. 7. Lib. 2. contra Petil. cap. 81. Epiſtola 204. & 223. ſic* foris à veſtra cōmunione, *lib. 4. contra Creſc. cap. vltimo, & epiſt. 225. Item* foris à me, *lib. 6. Confeſſ. cap. 1.*

ſanguinem fundere poteſt, coronam accipere non poteſt] *de hac ſententia vide quæ diximus ad cap. 17. lib. 4. contra Donatiſtas.*

Iuſſit audiri cauſam. Imperator] *Ita hunc locum caſtigandum non dubitaui, pro eo quod erat* audire: *niſi fortè accuſatiuus* epiſcopos, *deſit.*

vbi poſtea iudicem cauſæ conſtituerunt] *Pro* vbi, *legendum putarim* quem.

Qui faciebant, quid erant] *Perperam in excuſis omnibus*, Quid faciebant: *ſenſus eſt enim, qui perſecutionem faciebant.*

Quid laudas pœnam & non oſtendis cauſam?] *Reſpicit ad illud, Martyrem non pœna facit, ſed cauſa. De quo ſuprà in lib. 3. contra Creſcon. cap. 47.*

illa meretrix eſt] *Sollemne eſt hæreticis omnibus maledicere eccleſiæ matri ſuæ, eamq; vbi deſeruerint, blaſphemare. Sic Tertullianus, quia mœchis pœnitentibus venia daretur, eccleſiam haud obſcurè meretricem appellat, dum paulò poſt initium lib. De pudicitia, virginem negat. Luciferianis familiare fuiſſe, vt ex ea lupanar factum eſſe dicerent, teſtis eſt Hieron. mox in exordio lib. contra Lucifer. Sic infrà Donatiſta quiſpiam Catholicam eccleſiam, & mulierem fornicariam, & traditorum ſpeluncam appellat, lib. contra Fulgentium cap. 12. Berengarius eādem malignantium eccleſiam, concilium vanitatis, ſedem ſathanæ, dicere auſus eſt, vt ſcriptum reliquit Lancfrancus. VViclephi articulus eſt 37. in Conſtantienſi conc. damnatus, vbi Romanam eccleſiam vocat ſynagogam ſatanæ. Quos imitati noſtri temporis hæretici, Babylonicam meretricem dicere non erubeſcunt.*

Pars Donati quando præualebat Conſtantinæ] *Sic rectè Amorbachius, pro* Conſtantiæ. *Conſtantinienſis enim epiſcopus frequenter ſuprà dictus eſt Petilianus, non* Conſtantienſis. *Conſtātina autem ciuitas eſt Numidiæ, quæ alio nomine Cirta dicta eſt. de qua plura in lib. 1. contra Creſcon. cap. 1.*

Nam melius nuſquam, quàm hic] *Ita rectè excuſa cætera, pro*, Nam melius nunquam: *de loco enim agit; vnde & ſequitur*, Sed præſtet Dominus vt hic potius, quàm nuſquam. *Subintelligēdum eſt autem in prioribus illis verbis, vocula* alioqui, *aut ſimile quid.*

*Annotationum in lib. De geſtis cum Emerito finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI CONTRA GAVDENTII THAMVGADENSIS EPISTOLAS LIB. DVOS.

*Ex collatione ad* MS. *monaſterij Parcenſis, & vetera excuſa Amorbachij, Frobenij, & Lutetiana.*

## IN LIBRI PRIMI CAP. I.

HONORIVS *Imperator de exitu Carthaginienſis Collationis à Marcellino certior factus, legem ſeueriſſimam contra Donatiſtas tulit, quæ extat Cod. Theod. lib. 16. tit. 5. l. 54. cuius executionem mandauit Dulcitio, viro cuidam primario, Notarij tribuni dignitate prædito. Qui cùm in Africam veniſſet, legemq; imperatoriam promulgaſſet, innumeri ſunt ex ſchiſmate ad eccleſiam Catholicam reuerſi. Thamugade verò (quæ ciuitas fuit Numidiæ, Thebeſtæ vicina) cùm idem edictū propoſuiſſet, Gaudentius eius loci Donatiſtarum epiſcopus, vnus de ſeptem qui in Carthag. Collatione communi nomine ad diſputandum fuere delecti, cedendum ſibi videns, minitabatur ſe ignes Baſilicæ ſuæ iniecturum, ſeq; ipſum cum ea combuſturum. Quo comperto Dulcitius literas ad eum mittit, quib. eum ab inſano incepto deterret, ad Catholicam eccleſiā benignè inuitat, aut certè vt fugam ineat, conſulit. Gaudētius duabus epiſtolis reſpondit. Eas Dulcitius ad Auguſtinum miſit, rogans vt eas ipſe refellat, ſimulq; formam oſtendat quemadmodum ſit iſtis hæreticis reſpondendum. Ad hanc Tribuni epiſtolam extat Auguſtini reſcriptum tomo 2. epiſt. 61. quæ his libris præponi potuiſſet; vbi quanquam occupatiſſimus eſſet, & huius generis reſponſis multos iam libros impleſſet; in eius tamen & Thamugadenſium gratiam, refutationem pollicetur, quam priore voluminis huius parte exequitur, vtranque Gaudentij epiſtolam libro vno refellens: quemadmodum teſtatur Auguſt. lib. 2. Retract. cap. 59. Quo non ſatis animaduerſo Amorb. qui Auguſtinum primus nobis excuſum dedit, vnicum eum librum in duos ſecuit, ſingularum epiſtolarum confutationem ſingulis attribuens. Inde factum, vt Apologia, cuius ibidem Auguſtinus meminit, latens adhuc non modò quæreretur, ſed ne deeſſe quidem aduerteretur; inuenta verò à quibuſdam vt ſpuria reiiceretur, ab aliis pro tertio libro ederetur. Sed docere eos poterat ſolus Retractat. lib. ambas Gaudentij epiſtolas priore libro refutari, apologiam Gaudentij reſponſioni oppoſitam altero contineri; quem ordinē nos hic eis reſtituimus, fidem etiam* MS. *noſtri ſecuti, quod vnicum hic nanciſci potuimus, & non parum in medio mutilatum, & admodum deprauatum. Cæterùm vt his libris poſtremum hunc inter Donatiſticos locum daremus, cauſa iuſtiſſima eſt: vt quos non modò poſt Collationem Carthaginienſem (cuius hic frequentiſſimam facit mentionem) ſcriptos conſtet; verùm etiam poſt Geſta illa & congreſſionem cum Emerito, vt liquet ex lib. 1. cap. 14. 32. & 39.*

quibus ſcripta ſua innoteſcere cupiunt] *Ex* MS. *adiecimus* ſua.

### IN CAP. II.

quæ nos aliquanto diutiùs loqui cogant] *In cæteris excuſis omnibus deſideratur verbum* loqui.

quia ille te honorificentius tractauit in literis quas ad te dedit, quàm Catholicus hæreticum debuit] *Idem & ad Dulcitium ipſum totidem penè verbis, ſcribit Auguſt. epiſt. 61.*

### IN CAP. III.

quod te duce] *Perperam* de duce.

quanta te & in hoc mundo inuidia] MS. *vnà cum Amorb. legebat* quàm te: *ſed reliquimus noſtram lectionem, vt commodiorem, niſi fortè* quæ *ſcriptum fuerit.*

& in illo vltimo deſperando iudicio pœna poterit manere] *ſic* MS. *noſtrum. Amorbachius legebat*, & in illo vltimo iudicio deſperando poterit permanere. *Hinc fecit Frobenius*, & in illo vltimo iudicio deſperatio poterit manere, *quod eſt & in Lutetianis.*

defenſorem ſuæ diuiſionis edidit] *Legendum arbitror* elegit: *ſic enim & lib. 2. Retract. cap. 59.* vnum illorum ſeptem, quos in noſtra Collatione authores ſuæ defenſionis elegerant.

### IN CAP. IIII.

fugienda eſt vobis damnanda ſocietas] *Amorb. legit* nobis, *ſed rectius per ſecundam perſonam: ſequitur enim*, Planè fugienda eſt ſocietas criminoſorum. *Verbum verò* eſt *addidimus ex* MS.

### IN CAP. V.

Quod enim quidam interpretati ſunt, ſapientiſſimum omnium beſtiarum, prudentiſſimum potius Græci codices habēt] *In quibus eſt* φρονιμώτατος.

### IN CAP. VI.

in veritate ſemper eſt frequentatum] *Vix dubito quin pro* frequentatum, *legendum ſit* inuocatum. *ſic enim repetit Auguſt in ſubiecta refutatione, non hic tantum, ſed & lib. 2. cap. 11. Aduerbium autem* ſemper, *addebant* MS. *quanquā in literis Tribuni non* ſemper, *ſed* ſæpius *legatur, vt videre eſt infrà lib. eiuſdem 2. cap. 11: ſed Gaudētius ita pro ſuo commodo immutare potuit; vti de ſuo adiecit* in veritate. *Auguſtinus tamen poſterius hoc tantum in eo reprehendit. Cæterùm pro* illo in veritate, *reliquæ editiones ad marginem diuerſam annotant lectionem* in vnitate; *ſed ſubiecta mox Auguſtini reſponſio alterum docet eſſe germanum, quod ipſum repetitur & infrà ſupradicto cap. lib. 2.*

nos aut viui, quandiu Deo placuerit, permanemus] *Sic rectè* MS. *Amorbachius, & eum ſecutæ excuſiones aliæ legebant*, nos aut veri; *hinc factum in noſtris* nos autem veri.

vitæ exitum terminamus] *Ita* MS. *noſtrum, quod rectius videtur quadrare quàm* terminabimus, *quod legunt excuſa.*

Neque hoc in Tribuni literis legitur, à te inuocatum in veritate nomen Dei, quamuis dixerit inuocatum] *Conatur id oſtendere Gaudentius lib. 2. cap. 11. ſed indoctiſſimè.*

vt & vos facitis] *Copulam ex* MS. *adiecimus, quam legis & infrà locum hunc repetens Auguſt. lib. 2. cap. 10.*

qui veritatem baptiſmi diuini in iniquitate detinetis] *Deerat præpoſitio* in.

id agere ignibus præparas] *ſic* MS. *& Amorb. pro* paras.

adiunctis mortibus veſtris] *Perperam* moribus; *nam ita repetitur in fine periodi.*

quod etiam apud Carthaginem in inuidiam noſtram de baſilicis quæ veſtræ fuerunt] *Donatiſtæ cum Baſilicis ſuis iuxta legem Imperatoriam cedere deberent, & Catholicis tradere, odio & inuidia Carthagine eas concremarunt.*

Quis enim vos non credat zelando feciſſe] *ſic rectè manuſcr. vbi zelus, pro inuidia ſumitur. Vetera excuſa legebant* velando, *recentiora* volendo.

quod vos facere præparatis] *Ita* MS. *noſtrum & Amorb. ex quo Froben. & Lutet. fecere* paratis.

Nemo eſt enim tam demens] *Illud* enim, *addebat* MS. *noſtrum, & habet ſuprà Gaudentius.*

### IN CAP. VII.

apertiſſimè profiteris] *Ita commodius* MS. *quàm* fateris.

### IN CAP. X.

Solent ſibi, inquit, ſola fama noti] *Pro* ſibi, *in excuſis omnibus erat* igitur. *Sed alterum repetit paulò pòſt ſuis etiam verbis Auguſtinus.*

cupere, aut incerto inuicem aſpectu verba miſcere] MS. *legit* infecto, *fortè* inſerto, *id eſt* coniuncto.

gratulatum te] *Accuſatiuum* te, *adiecimus ex* MS.

literis inſinuaſti] MS. *legit* intimaſti.

& nolit eum quem perſequitur inuenire] *In excuſis deerat copula* &.

### IN CAP. XI.

ſtrictim atque breuiter inſinuaui] *Et hic in* MS. *erat* intimaui.

pari reatu eſſe deuinctos] *Ita rectius plurali, quā ſingulari numero.*

rei erant à te nominatus Gabinus] *Perperam* erat. *Cæterùm loco* à te, MS. *noſtrum legit* ante, *& pro* Gabinus, *habet* Gabinius: *vt & infrà cap. proximo.*

vel cæteri fideifragi] *ſic* MS. *pro* fidefragi.

in malo illi lapſu conſortes] MS. *& Amorb.* lapſui *legunt, ſed non patiuntur id Grammaticæ leges; niſi fortè quid deſit.*

Inuidiosè & mendaciter loqueris] *In excuſis deerat copula* &.

Ille quippe

Ille quippe ad quem loqueris, non tale pręceptum accepit vt occidamini, ſed vt corrigamini] *Idem & Dulcitium admonet epiſtola 61.*

in exilium mittemini] *Eam enim pœnam lex Imperatoria epiſcopis & ſacerdotibus Donatiſtarum reſipiſcere nolentibus infligebat. Cæterùm pro* mittemini, *fortè rectius fuerit* mittamini, *vt ex ſuperioribus pendeat.*

Quod ſi à iuſtis fieri non debet iniuſtis] *In impreſſis omnibus deſiderabatur* iniuſtis.

cur etiam falsò voluiſtis] *ſic* MS. *& Amorb. Frobenijq́ue vetera,* non falſa.

in noſtra Collatione gloriari] *Ita malim quàm* in veſtra: *ſic enim & infrà lib. 2. cap. 3. & 4. non ſemel, itemq́ue 11.*

cui legum pro vnitate latarum cura mandata eſt] *Hæc* MS *noſtri lectio viſa eſt commodior, quàm excuſorum, quæ legunt* cui legum promulgatarum.

Ecce conſtitui tibi ante oculos ipſum & teipſum] MS. *legit* conſtitue.

IN CAP. XIII.

Nos te innocentem & iuſtum non dicimus] *Ita commodius in* MS. *quàm,* Non te innocentem & iuſtum dicimus.

Certè ipſe dixiſti] *ſic aptius* MS. *pro* Certum eſt igitur, vt ipſe dixiſti, *quod ex cap. 11. videtur tranſlatum; nam & voculam* vt, *Frobenius adiecit, cùm non legeret Amorb.*

parique reatu eſſe deuinctos] *Pro* deuinctum, *vt ſup. cap. 11.*

& qui innocentem occiderit] *In excuſis erat* iuſtum: *ſed alterum habes & ſuprà cap. 11. & paulò pòſt,* Quare innocentem occidis & teipſum?

ſi antequã te occidere præparares, innocẽs eſſes] *ſic manuſcr. Amorbachius legebat* tu innocens eſſes, *quem ſecuta prima Froben. illud* tu, *in* vt, *deprauarunt, quomodo legunt & Lutetiana. Hinc poſteriores facere auſi ſunt,* ſi antequam te occideres, præparares vt innocens eſſes, *ſententia planè peruerſa, & cum prioribus Auguſt. verbis pugnante: nam quomodo innocentiæ ſtudebit qui ſe occiſurus eſt; cùm hoc ipſo propoſito nocens fiat, tametſi prius innocens?*

IN CAP. XIIII.

falſa ad vos pro certo fama peruenit] *Sic* MS. *pro quo in excuſis erat* nos; *cui tamen lectioni fauet quod ſequitur apud Auguſt.* ſed quẽadmodum hoc audiſtis. *Cæterùm loco* pro certo, MS. *legebat* pro merito; *ſed nos excuſorum retinuimus lectionem.*

Quod ſi eſſet apud Apoſtolum dicentem] *Locus corruptus, nec iuuat* MS. *quod legit* ad Apoſtolum. *Scribendum arbitror,* Quod ſi eſſet, audi Apoſtolum dicentem.

Falſa quidẽ de illo fama iactata eſt, quòd Catholicus factus ſit] *Diſcimus hic Emeritũ in hæreſi & ſchiſmate obduratum permãſiſſe.*

Venit ergo Emeritus Cæſaream illic poſitis & præſentibus nobis] *Hinc intelligimus libros iſtos ſcriptos eſſe non ſolùm poſt Collationem Carthaginienſem, verùm etiam poſt congreſſionem cum Emerito Cæſarienſi Donatiſtarum epiſcopo, de qua in ſuperioribus Geſtis.*

Quid fieri potuit] *ſic* MS. *& ſanè rectius hic collocatur verbum* potuit, *quàm cum excuſis in fine periodi.*

quid pro veritate Catholicę inuictius] *Id Auguſtino conuenientius, quàm quod erat in excuſis,* Catholica.

Cùm enim ſponte ad nos, niſi pro vobis contra nos dicturus aliquid, non veniſſet] *ſic rectè cætera excuſa, pro* contra vos. *Cæterùm loco* non veniſſet, *in* MS. *erat* cõueniſſe, *ſed non rectè. Senſus eſt enim, non fuiſſe ſponte venturum, niſi pro Donatiſtis contra Catholicos dicere paratum.*

lege quod cum illo actum eſt, & ipſe reſponde] *In excuſis deſiderabatur* ipſe.

ad ipſius exitium atque ſupplicium tantùm] *Ita ſunt hæc diſtinguenda, vt vocula* tantum *prioribus cohæreat, non ſequentibus.*

Cùm autem viderunt] *Pro* viderent.

& tamen aduerſus Catholicam reticentem] *In manuſcr. addebatur* fidem, *ſed de eccleſia videtur loqui Auguſtinus, quam opponit* parti Donati.

magis illis apparuit contra ſuos ſilendo damnare] MS. *legebat* contra ſuos pro nobis. *Sed nec ſic ſublata eſt mendæ ſuſpicio.*

IN CAP. XV.

Sed benè tibi viſus es] *Perperam* eſt; *reſpicit enim ad ſuperioris capitis Gaudentij verba.*

quod dixit Deus verax] *Ex manuſcr. adiecimus* Deus, *cui mox opponitur,* homo mendax.

IN CAP. XVI.

Ecce quomodo intelligit euangelium pars Donati] *Tertullianus librum ſcripſit De fuga in perſecutione, in quo licitam eam nõ eſſe multis rationibus conatur euincere. Tractans verò locum hunc Matth. 10. temporale ait fuiſſe præceptum, ſolis Apoſtolis, ac primis illis Chriſti diſcipulis datum, quodq́ue ipſum iiſdem adhuc viuis ſuperſtitibusq́ue ceſſarit. Sed librum hunc aduerſus eccleſiam editum ab eo fuiſſe poſtquam ad Montaniſtas defeciſſet, Hieron. in Catalogo teſtis eſt. Eius de fuga ſententiam, neſcio anne & Nouatiani (vt in alijs compluribus) ſint amplexati. Certè Socrates eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 5. cap. 7. eam nõ obſcurè præ ſe ferre videtur: nam ſcripturam illam Matth. non ſimiliter quidem vt Tertullianus, ita tamen accipiendam docet, vt non ad corporalem & ſenſibilem, ſed myſticam ſeculi fugam pertineat, vt mundum relicta conuerſatione mundana, ad ſupernam & cæleſtem Hieruſalem confugiamus. Nouatianum autem Socratem fuiſſe, ex compluribus librorum eius locis clariſſimum eſt. Tertulliani errorem ſi non ex animo, tamen ſuperbia & obſtinatione ſecutus hic videtur Gaudentius Donatiſta, voluntariam potius mortem eligens, quàm fugere ſuſtinens. Nam non omnes Donatiſtas ita ſenſiſſe, liquet tum ex eodem hoc capite, vbi ait Auguſt. multos eius collegas fugiſſe; tum ex verbis Petiliani quæ citantur lib. contra eum 2. cap. 19. Cæterùm aduerſus eum errorem ſcripſit olim Cyprianus libro De Lapſis, ſecedendum & fugiendum in perſecutione docens, idq́ue Chriſti & præcepto & exemplo. Quod ipſum & ſuo facto confirmauit, de quo lib. 3. epiſt. 5. Libri verò 4. epiſt. 6. egregiè conſolatur eos qui relictis omnibus fugam eſſent propter Chriſtum inire coacti. Extat eiuſdem argumenti Apologeticum Athanaſij, in quo rem hãc latiſſimè proſequitur. Cuius quoque fugam tuetur ac defendit Iulius põtifex reſcripto ſuo pro Athanaſio, quod ad Orientales miſit. Auguſtinus quoque hic per multa capita Gaudentio reſpondens, verba illa Chriſti Matth. 10. ad hæreticos quidem & ſchiſmaticos non pertinere ait, ſed ad cæteros fideles qui perſecutionem propter iuſtitiam paterentur; nec ad eos tantùm qui olim fuerint primis fidei temporibus, ſed omnes prorſus, & præſentes & futuros, vſque ad ſeculi conſummationem. Docet autem fugam hanc & ſeceſſum non tam conſilij quàm præcepti rem eſſe, quod frequentiſſimè in ſequentibus inculcat, vt hoc ipſo cap. 16. item 17. 18. 20. 23. & 31. Quanquam lib. 2. contra Petilian. cap. 19. ambiguè loqui videtur, fugam hanc præceptam vel permiſſam dicẽs. Sed præceptam à Chriſto eſſe, docent etiam Cyprianus, Athanaſius ac Iulius locis ſuprà citatis, quibus addere licet & Lactant. lib. 4. cap. 18. Cæterùm quatenus paſtoribus & epiſcopis fugiendum ſit vel non ſit, exactè admodum tractat Auguſtinus epiſt. 180. ad Honoratum.*

quando per murum in ſporta ſubmiſſus] *Pro* in ſportam.

ſi eas quas Dominicas oues] *ſic* MS. *& Amorb. Sed mutilus aut deprauatus adhuc eſt locus; quem Frobenius ita reſtituendum putauit,* ſi eos quos Dominicas oues, *addiditq́ue ad marginem, videri deeſſe* fateris, *aut ſimile quid: quod ſecuti ſunt & Lutetian. Verùm malim veteri lectione retenta, lacunam ita ſupplere,* ſi eas quas apud te eſſe dicis, Dominicas oues. *Ita enim ſcripſiſſe Auguſtinum ex ſequentibus verbis apparet, vbi ait,* ſed ſi eſſent apud te Dominicæ oues.

nec audis paſtorem, paſtorumq́ue principem dicentem] *ſic* MS. *cuius lectionis veſtigia extant etiam apud Amorb. qui ſic habet,* paſtorem paſtorumq́ue dicentem: *vbi Froben. copulam ſuſtulit, legens* paſtorem paſtorum.

Mercenarius autem quem ſignificat Dominus] *Interpretatur quid ſit mercenarium viſo lupo fugere, nempe iuſtitiam timore deſerere.*

Sic fugit Secũdus veſter Tigiſitanus, quãdo Purpurium Limatenſem] *Loquitur de Cirtenſi concilio de quo apud Creſcon. lib. 3. cap. 27. et Collat. diei 3. cap. 15. vbi* Purpurius, *nõ* Purpureus *dicitur.*

Si ergo & tu paſtor eſſes] *In noſtris excuſis deerat* tu, *quod legunt & vetera Froben.*

prior in lupi parte non eſſes] MS. *legit* prius; *malim* primùm.

IN CAP. XVII.

& eius eſſe factores?] *Illud* eius *erat in* MS.

Vt quid tu enarras iuſtitias meas] MS. *legebat* iuſtificationes.

Sed ideò, quia illi nihil prodeſt] *In excuſis deerat* quia. *Contrà in* MS. *perperam erat* ille, *pro* illi. *Nam ſine dubio prodeſt & ille; ſed quod ait, illi nihil prodeſt, ſed cæteris, vt paulò pòſt ſequitur.*

ſed ſpecioſa eſt] *Verbum* eſt, *erat in* MS.

nec ego Chriſti ſum auditor] MS. *& hoc loco, & infrà cap. 18. duobus locis pro* auditor, *legit* adiutor: *ſed eam vocem exponens ibi Auguſt. haud obſcurè docet quid ſcripſerit, cùm ille* ſuis auditoribus, hoc eſt ſectatoribus, *inquit,* promittat.

IN CAP. XVIII.

Quæ loca erunt, quæ in hac perſecutionis procella, vndique perturbata tranquillitate, ſeruandos tanquam in portũ recipiant ſacerdotes] MS. *noſtrum locum hunc ita legit ac diſtinguit:* in hac perſecutionis procella vndique perturbatos, tranquillitati ſeruandos, tãquam in portũ, &c. *Amorb. verò,* perturbatis tranquillitatis. *Hinc nata videtur lectio quæ eſt in noſtris excuſis, quam primus dedit Frobenius, an ex fide* MS. *alicuius ignoro. Viſum tamen fuit eam relinquere, donec plura* MS. *contigerint. Cæterùm videtur Gaudentius Tertullianũ hic imitatus, cuius ex lib. De fuga in perſecutione, hæc ſunt verba:*





*verba: Sed infirmitatem, inquit, quorundam proſpiciens Dominus, pro ſua humanitate nihilominus & portum fugæ demonſtrauit.*

Nunc verò Chriſtianorum receptores proſcriptionibus territi] *Loquitur autem de lege Imperatoris, quæ receptatoribus & occultatoribus epiſcoporum Donatiſtarum, & confiſcationem totius patrimonij, & exilium infligebat. Cæterùm perperam in noſtris excuſis loco* proſcriptionibus, *legebatur* proſcriptoribus: *in cæteris* tracti, *pro* territi, *quòd ad marginem tantùm habebant annotatum.*

ſed quod non vos corrigitis doleo] *Ex* MS. *adiecimus* vos.

non defuturas ad quas confugiant ciuitates] *Perperam in excuſis omnibus,* ad qualcunque.

perſecutionem paſſi ſunt] *Pro* ſint.

qui vt vos liberent] *In excuſis deerat* vos.

IN CAP. XIX.

Quid mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus eſt Deus?] *Idem clamant & noſtri ſaculi homines, quidlibet ſibi licere arbitrantes, liberi arbitrij titulo. Sed quòd hic Gaudentio reſpondet Auguſt. idem dici & illis debet. Vide quod ſuprà annotauimus ad lib. 2. contra Petilian. cap. 84.*

ſe id facere, iactet] *In iiſdẽ deſiderabantur duo illa verba* id facere.

impunita peccata omnia relinquãtur] *Pro* relinquentur; *nam & ſequentia verba hunc modum poſtulant.*

Principes enim non ſunt timori boni operis, ſed mali] *In* MS. *noſtro eſt,* bono operi, ſed malo. *Græcè eſt* τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν; *bonorum operum, ſed malorum: hoc eſt, Principes non ſunt formidandi bene agentibus, ſed iis qui malè agunt.*

An verò aliud dicitis] *Perperam* verè.

iniurias ſuas leuiſſimè pertulit] MS. leniſſimè *legit, ſed nec alterum reijciendum; donec de plurium* MS. *conſenſu conſtabit.*

Tu autem doctor hæretica temeritate] *In* MS. *eſt* doctior, *ſed alterum videtur cum præcedentibus rectius conuenire, vbi dicitur,* fraudata ſunt tali magiſterio tempora antiqua.

ſi ab hominibus defendatur] *Ita &* MS. *& ſuprà locis duobus: alioqui non malè quadrarit* defenſatur, *quomodo hic legebant excuſa.*

priuſquàm mors eis extrema etiã corporis ſuppleretur] *Non caret locus ſuſpicione mendæ, fortè* inferretur, *vel* de eis ſumeretur.

ſed vos homines docti conſiderantes quid debeatur merito] *Fatetur hæreſeos & ſchiſmatis crimen morte dignum.*

& ſi non eadem libertate, non diſſimili vanitate] *Duæ ſunt dictiones* & ſi, *non vna.*

ſed de veſtro additis mortem] *Perperam* aditis mortem.

vobis ab hominibus velle concedi] *In excuſis deerat* vobis.

Cæcilianum tamen epiſcopum perſequendo] *Non rectè excuſa vniuerſa* perſequendum.

IN CAP. XX.

ſolæ nobis iſtæ perſecutiones grauiſſimam reddunt] *Vix dubito quin* gratiſſimam *legendum ſit; hoc enim prorſus ſequentia poſtulant. Sed ſine* MS. *præſidio nihil mutare voluimus; nam noſtrum mutilum hic erat, ac deerant ab hoc capite ſequentia omnia; vſque ad cap. 36. quod nec ipſum legitur integrum.*

ſi tantùm ſolis Apoſtolis dictum eſt, vſque ad ipſos fides habuit præmia; & quid proderat poſtea credituris?] *ſic Amorbachius cum cæteris excuſis.*

de ſuarum quiſque ruinarum angulis latraturi] *Mendosè in noſtris erat* angelis.

Hanc ergo de ſancta eccleſia diſcipulis dereliquit] *Locus mutilus, deeſſe videtur* fidem, *aut ſimile quippiam. Sequitur enim,* huic fidei Donatiſtę reſiſtitis, & pro fide quam Dominus Chriſtus reliquit Apoſtolis, *&c. Et ſuprà,* videamus quam fidem de eccleſia reliquit Apoſtolis.

non ſolis Apoſtolis eſſe dictum] *Perperam* Apoſtolum.

Nam hoc paulo ſuperius dixerat] *Pro* dixeras.

quando in vobis iuſtitiam cui primi debeatis] *Deprauatus eſt hic locus, verùm ex ſuperioribus Gaudentij verbis, vbi ait,* vſq; ad ipſos fides habuit præmia. *& iiſdem ab Auguſtino hic paulò infrà repetitis,* ne vſque ad illos fides præmia habuiſſe videatur; *ita reſtituẽdum ſuſpicor,* iuſtitiam cui præmium debeatur.

IN CAP. XXI.

Si autem propterea hoc dixit Apoſtolus, quia ſicut alibi ſcriptum eſt, Tentatio eſt vita hominis ſuper terram.] *Eandem ſcripturam de perſecutione quam patiantur omnes qui piè viuere in Chriſto volunt, ſimiliter explicat Auguſt. lib. 18. De ciuitate Dei cap. 51. Epiſtola 145. In Pſal. 54. præfatione in Pſal. 69. aliisq́ue locis. Alter autem locus, Tentatio eſt vita hominis ſuper terram; eſt Iob 7. ſecũdum Septuaginta; in quibus ita legitur,* Πότερον οὐχὶ πειρατήριόν ἐστιν ὁ βίος ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς, *hoc eſt, Nunquid non tentatio, ſeu locus tentationis, vel latibulæ ſeu receptaculum piratarum eſt vita hominis ſuper terram? vbi nos legimus, militia eſt vita hominis ſuper terram. Priore lectione vtuntur veteres plerique omnes non ſolùm Græci, verùm etiam Latini.*

IN CAP. XXII.

Iam verò quando vos ipſos necatis, vel irruendo armis alienis, vel præcipitiis, & ſubmerſionibus, & ignibus veſtris] *Tot mortis generibus perdebant ſeipſos Donatiſtæ, falſam martyrij laudem captantes.*

Nunquam igitur eccleſiæ Chriſti defuit aut deerit, vnde ſecundum Apoſtolum; Qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur.] *Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod erat in excuſis omnibus,* Nunquàm igitur eccleſia Chriſti defuit & deerit. Vnde ſecundum Apoſtolum, Qui volunt, *&c. Cæterùm pro* patientur, *malim* patiantur.

IN CAP. XXIII.

quod vobis dictum ſit] *Intelligendum* arbitrantes.

cùm hoc facerent vni Deo] *Neſcio an nihil hic deſit, quare conſulenda manuſcr.*

quia erubeſcitis corrigi, aut de vitio conuinci] *Amorb. legebat,* aut de veſtro corrigi. *Frobenius in prima editione ſua ad marginem annotauit, aliàs* vitio *legi, quod in poſterioribus altero diſpuncto in textum intulit. Sed vereor ne coniectura ſit, nullo fortaſſe* MS. *ſubnixa; nam malim ego* de ſacrilegio veſtro conuinci, *aut ſimile quid. Reliqui tamẽ quod erat in noſtro excuſo, donec litẽ vetuſtior codex dirimat.*

An fortè vos eſtis ad quos vtrunque pertineat; quia cùm occidimur & nos à vobis, putatis vos officium Deo facere, & has ei victimas de nobis dare] *Secus legit Amorbachij editio, vnde cæteræ ſunt omnes transfuſæ,* An fortè vos eſtis ad quos vtrunque pertineat, quia cũ occidimini, & nos à vobis, putatis vos officium Deo facere, & has ei victimas de vobis dare. *Hanc lectionem primus Frobenius immutauit, & eum ſecuti Lutetiani; pro* occidimini, *reponentes* occidimur; *pro* de vobis dare, *ſubſtituentes* de nobis dare. *Verùm neſcio quàm rectè: videtur enim vtrunque explicare velle quod ait ad Donatiſtas pertinere, vt videlicet obſequium ſeu officiũ arbitrentur ſe Deo præſtare; dum ipſi & ſeipſos occidunt, & Catholicos: quod ſi placet, præferendum erit quod habet Amorb.* quia cùm occidimini, & nos à vobis, *vbi illud* à vobis, *repetendum erit ad verbum* occidimini. *Sed difficultatem iam habet extrema ſententiæ pars ſiue cum Amorb.* vobis, *ſiue cum cæteris legas* nobis: *nam iuxta priorem intelligentiam vtrunque dicendum foret,* & de vobis & nobis. *Niſi fortè* vobis, *accipere placeat hoc ſenſu, & vos & nos occidendo. Cæterùm quæ ſequuntur, præſertim illud,* Cùm itaq; vos ipſos occiditis, *videtur locum prædictum ad ſolam necem reſtringere Donatiſtarum quam ſibiipſis inferebant, fortaſſeq́ue legendum,* quia cùm occidimini & vos à vobis. *cui lectioni optimè iam reſpondebit alterum illud,* has ei victimas de vobis dare. *Quæ lectio videri queat germana, certè cum ſuperioribus aptiſſimè quadrat, in quibus modus alter exprimitur, quo victimam ſe Deo putent offerre Donatiſtæ, videlicet Catholicos occidendo. Nos interim, donec ſuccurrent* MS. *Frobenianam lectionem reliquimus, tametſi minùs arridentem; repetit enim eundem modum qui præceſſerat.*

IN CAP. XXIIII.

videretis quàm vera pace] *Mendosè* videtis.

quorum quidam in regionibus noſtris, etiam quibuſdam veſtris noſtri maiores apparuerunt.] *Locus aliquanto aſperior ac inuolutior; ſed cuius hic ſit ſenſus: Quàm ſincerè ac veraciter quidam olim in regione Hipponenſi ad Catholicam à Donatiſtis tranſierint, expertos fuiſſe ipſorum maiores; quando libertate eis à Iuliano Apoſtata permiſſa, efficere tamen non potuerunt vt deſerta Eccleſia ad eos redirent.*

Debebamus ergo] *Amorbachius legit,* Debemus ergo: *ſed prætexit,* fuerant colligendi, *cui noſtra lectio melius reſpondet.*

Et vtique noſtis] *Vitiosè* noſtris.

IN CAP. XXV.

Quod autem vobis videtur, inuitos ad veritatem non eſſe cogendos, erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit dum coguntur inuiti] *Id totidem verbis & noſtri temporis hæreticis reſpondendum. Qua de re nonnihil diximus etiam ſuprà ad lib. 2. contra Petil cap. 83.*

Iam enim propheta iram Dei vniuerſæ ciuitati, eam triduo perambulans, prænunciauerat] *De triduana ciuitatis perambulatione nihil habent nec Hebræa, nec Græca; ſed magnam aiunt fuiſſe, itinere trium dierum; id eſt, tanti ambitus, vt vix trium dierũ itinere poſſet circuiri. Quot autem diebus Ionas prædicarit, ſcriptura non dicit; tantùm ait, cœpiſſe ingredi ciuitatem itinere diei vnius. Fortaſſis ad Ionæ verba reſpexit, quibus prædicans ait; Adhuc tres dies & Niniue ſubuertetur: ſic enim reddiderũt 70. vbi nos legimus, Adhuc quadraginta dies; de quo infrà ad lib. 2. cap. 12.*

multis ad ſalutem quæ in Chriſto] *Deeſt aliquid, fortaſſe* eſt.

Intelligimus vias, hæreſes, ſchiſmata, ſepes. Viæ quippe hoc loco ſignificant diuerſas opiniones; ſepes, peruerſas opiniones] *Similiter tractat & intelligit epiſtola 50. ad Bonifacium, Sermone 33. De verbis Domini, per ſepes hæreticos intelligit; ſed ſub quibus & ſchiſmaticos comprehendat. Venerant, inquit, de plateis & vicis gentes, veniant de ſepibus hæretici, hic inueniunt pacem. Nam qui conſtruunt ſepes, diuiſiones quærunt; trahantur à ſepibus, euellantur à ſpinis. In ſepibus hæſerunt, cogi nolunt.*

In cap. XXVI.

in eius preſſuris non ſuccumbimus] *Excuſa omnia* in eis *legebant; ſed ex ſubiectis Auguſtini verbis certum eſt* eius, *à Gaudētio ſcriptum fuiſſe.*

non poteſt ſeruos Chriſti diligere] *Perperam* Chriſtos.

In cap. XXVIII.

An non iſta perſecutio eſt] *Negatio deerat in omnibus impreſſis. eam adiecimus ex cap. 31. vbi hæc Gaudentij verba repetuntur.*

quaſi non etiam iſta ſit non parua cauſa] *Ita rectius, quàm* ſint.

qui ſolent hæc & antea facere] *de Circumcellionum incredibili furore & inſania Auguſtinus cùm aliis locis, tum verò epiſt. 50. multa refert hiſce ſimilia, de quibus & nos copioſè dicemus in Commentar. noſtro rerum Donatiſticarum.*

quis quot occideret] *Perperam in cæteris excuſis,* quis quod.

venabulis ſe oppoſitis ingerebant] *Id malim quàm* inſerebāt: *ſic enim loquitur & epiſt. 50. iam citata. Quidam, inquit, etiam ſe trucidandos armatis viatoribus ingerebant.*

maximè in agris territans, ab agris vacans] *Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod erat in excuſis omnibus* ab aquis vacans. *Nam eam lectionem velut digito ſequentia oſtendunt,* colendiſque agris amiſſo Circumcellionū opere & nomine inſeruiunt.

vnde & Circumcellionum nomen accepit] *Eandem nominis rationem habes etiam in Pſal. 132.*

In cap. XXIX.

Neque enim iſti qui pereunt, illorum ſaluti numero æquantur] *Locus deprauatus. Amorb. & Froben. vetera legunt* ſalute; *ſed nec hoc quicquam adiuuat. Legendum ſuſpicor* illorum ſaltem numero æquantur: *cum quo belliſſimè quadrat quod ſequitur,* quanto minus coæquantur iſti perditi numero vtriuſque ſexus.

qui ex ipſo genere nunc iam tenentur ordine diſciplinæ] *Loquitur de eo hominum genere, de quo paulò antè initio cap. huius, & in fine præcedentis,* Quis enim neſcit hoc hominum genus in horrendis facinoribus inquietum. *de Circumcellionibus videlicet, quos plures dicit conuerti, quàm à ſeipſis iam interfici.*

Nunquid nam obſecro ſanum miſericordiæ poteſt eſſe conſilium] *ſic rectè Amorb. id in Frobenian. & Lutet. deprauatum eſt in* Nunquid non.

vt ſimul cum illis iſti omnes æternis gehennarum ſuppliciis eruantur, ne illi in iſtorum comparatione perpauci ſuorum caminorum ignibus exurantur?] *Locus haud dubiè corruptus; pro* eruantur, *legendum fortaſſis* vrantur, *vel* dimittātur, *aut ſimile quid. Nam eandem ſententiam habet epiſt. 50. ad Bonifacium, Quid agit ergo fraterna dilectio, inquit, vtrum dum paucis tranſitorios ignes metuit caminorum, dimittit omnes æternis ignibus gehennarum: & tam multos vel iam volentes vel poſtea non valentes per Catholicam pacem ad vitam venire perpetuam, relinquit in interitum ſempiternum; cauendo ne quidam voluntario moriantur interitu, &c. Et poſt non pauca, Tunc diceres nimiæ fuiſſe crudelitatis, ſi dum timeretur ne homines deſperati & iſtorum innumerabili multitudini nulla æſtimatione comparādi, ſuis & voluntariis ignibus cremarentur; iſti in perpetuum perdendi, & ſempiternis ignibus cruciandi relinquerentur. Sic & hoc contra Gaudent. lib. ſuprà cap. 22. Tolerabilius enim longè pauciores pertinaciſſimi veſtri ſuis præcipitiis, vel ſubmerſionibus, vel ignibus pereunt; quam innumerabiles populi illis eorum ſalutem impedientibus, incendio cum illis æterni ignis ardebunt.*

In cap. XXX.

Sanè de ſcripturis ſanctis ſagaciſſimè inquirens, ſi quid proferre poſſes, pro iſta ſpontaneæ mortis ſententia inſana, inueniſſe te aliquid putas, quia ſcriptum eſt in Euangelio] *Lutetiani vetera Frobenij ſecuti, admonent in margine, poſt illa verba,* ſi quid proferre poſſes, *videri deeſſe verbum* proferres, *aut ſimile quid. Sed fefellit eos quòd non aduerterunt,* ſi illic *pro* an *poſitum.*

ſed faciet cum tentatione etiam exitum, vt poſſitis ſuſtinere] *Ita clarius reddidit quod in Græcis eſt* τὴν ἔκβασιν, *quàm noſter interpres, qui vertit* euētum. *Senſus enim eſt, dabit vt tentatio felicem exitum ſortiatur. Atque ita ferè veteres legunt Latini omnes.*

vbi ſe iſti non quidem feris, vt ait beatiſſimus Cyprianus, ſed tamen flammis obiiciunt, quos nemo damnauit.] *Videtur reſpicere ad locum libelli De laude martyrij ad Moyſen & Maximum, vbi ſic habes: Quod verò vel feris corpus obijcitur, vel imminens gladius non timetur, dignationis oſtenditur ratio, manifeſtatur electio. Nec enim ſimilem alium in hoc auctore locum inuenies. Ergo etiam Auguſtini temporibus habitus fuit hic liber Cypriani. Profanus aliquis ſcriptor Ciceronem pro Cypriano citare potuiſſet, qui pro Roſcio Amerino, voluerunt, inquit, corpus feris obijcere.*

Poteſtas vtique aderat, ſed iuſtitia non ſinebat] *Amorbachius legebat mendosè* non deſinebat. *vnde miror cur Frobenius* non deſerebat, *faciendum putarit, cùm non difficile foret veram inde lectionem eruere.*

Secundum hoc enim dicit, Atque vtinam poſſem me occidere, aut rogare alium vt faceret mihi hoc. Negauit ſe poſſe iuſtus.] *Locus eſt Iob 30. cap. ſecundum 70. pro quo nos legimus: Veruntamen non ad conſumptionem eorum emittis manum tuam, & ſi corruerint ipſe ſaluabis. Græca ſic habent,* εἰ γὰρ ὄφελον δυναίμην ἐμαυτὸν διαχειρίσασθαι, ἢ δεηθείς γε ἑτέρου, καὶ ποιήσει μοι τοῦτο, *quod Regia ſic vertunt: Vtinam enim poſſem meipſum capere, aut deprecatus ſaltē alium, & faciet mihi hoc. Scribendum potius erat occidere vel interficere, ita enim accepit Auguſt. non hoc tantum loco. Nam & lib. annotationum in Iob ſimiliter legit & interpretatur, pauculis immutatis: Atque vtinam, inquit, poſſem me interficere, aut rogarem alium & faceret mihi hoc. Similiter intellexit & Origenes tractatu 35. in Matthæum. Iudas, inquit, non aſpexit, in hoc quod dixerat Iob in tantis cladibus conſtitutus: Vtinam poſſem me interficere; aut aliquem rogare vt faceret mihi hoc: nec vidit quia nō conuenit ſeruū Dei, ſeipſum expellere de hac vita, ſed expectare etiam de hoc Dei iudicium. Vbi non rectè ad marginem annotatum eſt in poſtrema Pariſienſi editione, Iob 7. Elegit ſuſpendium anima mea. Nam 70. pro eo legunt: Liberabis à ſpiritu meo animam meam. Cæterùm in excuſis omnibus perperam legebatur,* vt faceret mihi. Hoc negauit ſe poſſe iuſtus.

In cap. XXXI.

Proinde etiam ſenior ille Razias] *Epiſtola 61. vbi & hoc argumentum attingitur,* Razius *legit. In Græcis eſt* ῥαζὶς.

quocirca humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre] *In cæteris erat,* quod circa humilitatem.

occubuit: turba ita circumdatus vt euadere non poſſet, & ſi viuere poſſet] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro quo prius erat,* occubuit. Turba itaque circundatus vt euadere non poſſet, etſi viuere non poſſet.

Et hanc quidem ſcripturam quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi, ſicut legem, & Prophetas, & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet, tāquam teſtibus ſuis, dicens: Oportebat impleri omnia quę ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & Pſalmis de me; ſed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur vel audiatur.] *Duplex ſcripturarum eſt canon, alter Hebræorum, alter Eccleſiæ. Illi in eum ordinem pauciſſimos recipiunt, excludentes Pſalmos Dauidis, lib. Salomonis, Iob, Ruth, Heſter, Eſdram, lib. Paralipomenon, atque adeò etiam Danielem prophetam, quos inter hagiographa reijciunt. Eos omnes in ſuum canonem recipit Eccleſia, etiam lib. Machabæorum, librisque propheticis annumerat; nam & geſta illa, vt & Regum anteriorum, prophetica fuere. Omnia enim in figura contingebant illis. Neque verò eleuat eorum authoritatem Auguſtinus dum eos ait non inutiliter receptos ab Eccleſia, modò ſobriè legantur vel audiantur. Ita enim legendum & Canticum canticorum, Apocalypſis, ipſæque Paulinæ epiſtolæ, in quibus niſi cautè, prudenter, ſobrieque verſeris, non exiguum & moribus & fidei periculum crearis. Admonet hoc autem propter Donatiſtas, qui ex his libris, furoris ſui, quo ſeipſos interficiebant, patrocinium deſumebant; ſed quod idem & ex libris Iudicum petere potuiſſent, vbi Samſon vnà cum cæteris etiam ſeipſum oppreſſit atque occidit. Simplicius de librorum illorum authoritate loquitur lib. 18. De ciuit. cap. 36. Machabæorum libros, inquit, non quidem Iudæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet. Eoſdem in canone recenſet lib. 2. De doctrina Chriſt. cap. 5. Lib. verò De cura pro mortuis, cap. 1. ex iis probat pro defunctis ſacrificandum. Eccleſiaſtici canonis catalogum texens Innocent. papa 1. epiſtola ad Exuperium cap. vltimo, etiam hos lib. enumerat. Nec eos præterit Carthag. concil. 3. ca. 47. Addit & Gelaſius pontifex in conc. 70. epiſcoporum. Poſtremo pro canonicis habendos docent Florentinum & Tridentinum concilia. Certè veteres PP. ſcriptura hac velut diuina vſi ſunt, etiam ad doctrinæ fidei ac morum confirmationē, ſic Tertullian. contra Iudæos. Cyprianus lib. 1. epiſt. lib. 4. epiſt. 6. De exhortat. martyrij cap. 5. & 11. Lib. 3. ad Quir. cap. 4. 15. & 53. Ambroſ. lib. 2. De Iacob & vita beata, cap. 10. 11. & 12. Officiorum lib. 2. cap. 40. & 41. Chryſoſt. homil. 4. De verbis Eſa. Vidi Dominum. In Pſal. 44. Qui & homiliam habet in de Machabæis. At verò quod D. Hieronymus præfatione in libros Salomonis eiuſmodi eſſe negat, vt ad eccleſiaſticorum dogmatum valeant authoritatem; ipſe quomodo accipiendum ſit explicat, ſub finem lib. 2. contra Rufinum: Non enim quid ipſe ſentirem, inquit, ſed quid illi (de Hebræorum Rabbinis loquitur) contra nos dicere ſoleant explicaui.*



nec tamen ideò creditur imitandus] *Malim* in eò.

Quod quidem non ſua ſponte fecit, ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum eſt] *Alioqui enim non eum Apoſtolus Hebr. cap. 11. inter ſanctos numeraſſet, quos cæleſtis maneret repromiſſio.*

His ſacris literis eruditus, B. Cyprianus in Confeſſione ſua dixit, diſciplinam prohibere ne quis ſe offerat] *Petita ſunt hæc ex actu paſſionis B. Cypriani, cuius initiū,* Imperatore Valeriano quartum, & Gallieno tertiū Conſſ. *vbi inter cætera ſic legitur, Paternus proconſul dixit: Volo ſcire ex te, qui ſint presbyteri qui in hac ciuitate cōſiſtunt. Cyprianus epiſcopus reſpondit; Legibus veſtris bene atque vtiliter cenſuiſtis delatores nos non eſſe, itaque detegi & deferri à me non poſſunt; in ciuitatibus autem ſuis inuenientur. Paternus proconſul dixit, Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Cùm diſciplina prohibeat, vt quis ſe vltro non offerat, & tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat, nec offerre ſeipſi poſſunt, ſed à te exquiſiti inuenientur. Quàm hic autem diſciplinam vocat, in alio quodam actu, cuius initium,* Tempore Valeriani & Gallieni, *ſcriptura ſacra dicitur; ea nimirum quæ fugiendum præcipit. Admonuit ea de re ſuos Cyprianus extrema quæ ad eos extat epiſtola, quæ eſt apud D. Pamelium 83. Vos autem fratres chariſſimi, inquit, pro diſciplina, quam de mandatis Dominicis à me ſemper accepiſtis, & ſecundum quod me tractante ſæpiſſime didiciſtis, quietem & tranquillitatem tenete, ne quiſquam veſtrum aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltro ſe gentilibus offerat; apprehenſus enim & traditus loqui debet, ſiquidem in nobis Dominus poſitus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quàm profiteri. Eum imitatus Menſurius aliquot poſt annis in eadem cathedra epiſcopus epiſtola ad Secundum Tigiſitanum, reprehendit quoſdam ſuorum, qui vltro ad iudices acceſſiſſent, dicentes ſacros ſe libros habere, quos tradituri tamen non eſſent. Qua de re ſuprà Collat. 3. diei, cap. 13. Refert autem Euſebius lib. 4. hiſt. eccleſ. cap. 14. Quintum ſeu Cointhum quendam Phrygem natione, cùm ſe perſecutoribus temere obtuliſſet, magnitudine & immanitate ſuppliciorum quæ præparabantur perterritum, fidem abnegaſſe: & addit, Illuſtre ac euidens omnibus præbens exemplum ne inconſideratè, & imprudenter huiuſmodi rebus ſe aliquando obijcerent. Si qui tamen ſancti martyres id feciſſe interdum leguntur, id Spiritus ſancti factum inſtinctu credendum eſt.*

An non eſt iſta perſecutio, quæ tot milia innocentum arctauit ad mortem?] *In noſtris excuſis deerat verbum* eſt, *quod legunt tamen cætera omnia; & additur ſuprà cap. 28. vbi integra hæc Gaudentij verba recitantur, quanquam paulo aliter. Sic enim ibi habent,* An non iſta perſecutio eſt, quæ tot milia innocentum martyrum arctauit ad mortem?

In cap. XXXII.

Sed ideò dixiſti, quiſquis eorum manus incidit, non euaſit] *Suſtulimus præpoſitionem* in, *quæ addita erat; nam nō ita ſcripſiſſe Gaudentium liquet tum ex eodem hoc paulò poſt cap. & ſuprà 28. cap. ſed vbi pro* incidit, *legitur* inciderit.

In cap. XXXIII.

Sed quoniam prudētiam tuam, inquit, Executoris officium nō decebat, quæſo paucis aduerte] *Legēdum ſuſpicor,* Sed quam.

Adhuc addis furori veſtro verba blaſphemiæ, & audes dicere, Eccleſiam catholicam humanum eſſe figmentum?] *Africani patres oſtenſuri partem Donati Eccleſiam Chriſti non eſſe, nec in ſola Africa concludi eam poſſe, aiebant talem per prophetas prædictam & promiſſam, quæ Catholica foret, hoc eſt per totum orbem diffunderetur. Reſpondebant Donatiſtæ, promiſſam quidem id fuiſſe, ſed hominum malitia qui conuerti nollent, impletum non eſſe; vt refert Auguſt. lib. De vnitate Eccleſiæ cap. 9. Preſſi deinde argumentis quibus ea promiſſio ſimplex & abſoluta, non conditionalis, oſtendebatur, aiebant impletam quidem promiſſionem Dei, fuiſſeque aliquando Eccleſiam Catholicam; ſed poſt, temporibus Donati toto orbe defeciſſe, ac in ſola Africa remanſiſſe, vt eſt apud Auguſt. De vnit. Eccleſiæ cap. 13. & De agone Chriſtiano cap. 29. Sed variis hinc ſcripturis depulſi, quibus in finem vſque ſeculi Catholica futura Eccleſia dicitur, & perpetua illa Eccleſiæ nota prædicatur, tandem non ſe continentes in eam prorupere blaſphemiam, vt Catholicam Eccleſiam humanum eſſe dicerent figmentum. Secuti in hoc vt & aliàs Nouatianos, qui & ipſi, vt refert Pacianus epiſt. 1. ad Sympronianum, irridere hoc nomen ſolent, negantes Apoſtolorum temporibus quenquam ita vocatum. Hanc impietatem ſtrennuè imitātur & noſtri temporis hæretici, qui & ipſi iiſdem preſſi argumentis aliquando exclamarūt illud poëtæ: Oſtendent terris hunc tantum fata, nec vltrà Eſſe ſinent. Princeps verò eorum Lutherus vocem* Catholicam, *de Symbolo Apoſtolico ſuſtulit, dicens ea nihil opus eſſe. Vnde nec Auguſtana Confeſſio, nec Melanchthon, neque in locis cōmunibus, neque in tractatu de eccleſia, neque in Examine ordinandorum, prorſus nomen hoc attingunt, aliud de eo ſilentium agentes. Fraudulenter verò Lutherus in Catechiſmo linguâ vernacula edito, loco* Catholicam, *ſuppoſuit* Chriſtianam. *Omnes verò ſuperat illius blaſphemia, qui* Catholicam *illic Eccleſiam, in* cacolicam *auſus eſt transformare.*



quod in Collatione noſtra minimè potuiſtis] *Id malui quàm* veſtra: *nam vt & ſuprà annotauimus, ad cap. 11. ſic legis infrà lib. 2. cap. 3. 4. & 11.*

Quiſquis autem pro parte Donati vel fimbriam veſtimenti perdiderit, cor non habet] *Sic ſuprà lib. 2. contra Petilian. cap. 98. Qui autem pro parte Donati vel paucos nummos perdiderit, cor non habet.*

quam in ea cauſa in qua perpendit, quibuſnam vos vultis eſſe deceptio, multis ipſe fiat corrigendis ſaluario?] *Locus mutilus. In cæteris omnibus excuſis etiam veteribus eſt,* pependit, quibuſdam: *ſed nec hoc quicquam adiuuat. Quare conſulenda ſunt hic MS. quibus deſtituti, nihil mutandum duximus.*

In cap. XXXV.

in ſcripturis ſanctis pertinere demonſtratur] *Deeſſe videtur* ad reges.

In cap. XXXVI.

ſed ſtabunt iuſti] *Perperam* iuſtè.

quas inter veſtras iuſtitias ventiletis] *Fortè* venditetis.

vnde etiam quædam ſanctimoniales veſtræ grauidæ per ſaxa ſe miſerunt] *Hic ingens illa MS. noſtri lacuna, à 20. vſque capite inchoata, finem tandem accipit: ex eo addidimus vocem* grauidæ: *quod tamen additamentum ſuſpectum faciunt ſequentia, vbi diſſilientib. præcipitio vteris ſtupra prodita dicuntur; nam ea tumor grauidarum ſatis manifeſtabat.*

qui ſacrilegio ſchiſmatis & hæreſis] *Pro* quæ.

& quælibet alia] *In excuſis deerat copula* &. *Porro* quælibet, *dixit pro quæcunque, vt aliàs frequenter.*

In cap. XXXVII.

quando tentus es à Curatore] *Mendosè* tantus.

Chriſtianus ſum, & epiſcopus] *Ex MS. adiecimus copulam, quam habes & ſuprà Collat. diei 3. cap. 17.*

eique nihil omnino tradere voluiſſe] *Quanquā ita legat cum excuſis omnibus & MS. noſtrum; tamen legendum haud dubiè (niſi fortè quid deſit)* eoque, *vel* eiſque. *quomodo loquitur in eodē argumento ſuprà Collat. diei 3 cap. 13.*

detentum ſiue conuentum] *Ita commodius, quàm* retentum; *quomodo in hac cauſa verbum hoc ter habes repetitum Collat. diei 3. cap. 15.*

nullis traditis fuiſſe dimiſſum] *In excuſis erat* nulliſque: *ſed redundat copula; mendum hinc natum, quod paulò poſt ita legatur; ſed ita ibi poſtulante ſententia.*

vbi crimina traditionis inuicem donauerūt] *ſic rectè MS. pro,* niſi crimina traditionis inuicem donauerint; *& mox* reliquerunt, *pro* reliquerint.

tamen concilia facitis] *Pro* tamen, *legebatur in excuſis* cum.

vel epiſcoporum vel presbyterorum] *In Amorb. erat* vel epiſcopo, vel presbytero; *vnde Frobenius fecit,* vel epiſcopi, vel presbyteri, *quod habent & Lutetiani. Sed germanam lectionem oſtendit manuſcr. noſtrum.*

aut in populo non tractauerint] *Tractare, idem hic eſt quod ſermonem facere, aut pro concione dicere; ſic enim paulò poſt explicat non ſemel,* neque ſermonem, *inquit,* in populo fecerint. *Vtitur hac voce etiam Cyprianus, vt lib. 4. epiſt. 2. tractante epiſcopo cognoui. Et epiſtola 6. nec tractantes epiſcopos audiat. Item, epiſtola 83. apud Pamelium, ſecundum quod me tractante ſæpiſſimè didiciſtis. Hinc tractatus pro concione; & tractatores, pro concionatoribus.*

& in ſuis honoribus recipiantur] *In excuſis deerat* &.

illi nos inquinauerunt] *Perperā impreſſa omnia* impugnauerūt.

qui vrgentibus tunc impiis] *Pro quo eſt in cæteris vulgatis,* qui orientibus.

Videtis ergo quod ſicut vos iſtis] *ſic rectè MS. noſtrū, pro* eſtis, *quod mendum totam turbabat ſententiam.*

potuiſtis ignoſcere] *Mendosè excuſa omnia* agnoſcere; *nam & alterum repetitur paulò poſt, in eadem regula ignoſcere potuerunt.*

tradentibus veris traditoribus] *Pro eo quod vniuerſa impreſſa habebant* traditoriis veris.

faciētes quod de talibus] *Mēdosè vulgata vniuerſa* faciētibus.

non niſi in vobis ipſis] *Ex MS. adiecimus* ipſis.

In cap. XXXVIII.

Qui ſunt autē labores veſtri, quos à nobis iactatis auferri?] *Id malim, quàm* vobis. *Eandem calumniam iiſdem rationibus & argumentis refellit epiſtola 50. ad Bonifacium.*

ſi res earum vultis tenere] *Pro* eorum, *eccleſiarum videlicet.*

Veruntamen quomodo vobis non eſtis ipſi contrarij ] *Non parum lucis accipient quæ hic dicũtur, ſi cum eis epiſtola 50. conferatur, vbi ſic habes: Vſque adeò autem calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant, quàm ſint inter ſe contraria quæ loquuntur, &c.*

in vnitatem Chriſti ſociare deſiderat ] MS. *habet* in vnitate Chriſti conſociare deſiderat.

ne veſtris caminis vos ardere timeamus ] MS. *cum Amorb. pro* ne, *legunt* vt.

de iuſtitia certamen eſt, non de pecunia ] *deprauatiſsimè in excuſis pro* pecunia, *legebatur* pœnitentia.

ſed potius illud quod alibi ] *Pro* ſed, *legebatur non rectè*, &c.

templa euertiſtis, & baſilicas conſtruxiſtis ] MS. *noſtrum legit* baſilicas deſtruxiſtis. *hic Baſilicæ gentilium, illic Chriſtianorum intelliguntur. Conſulenda manuſcr. vetuſtiora vnde iudicari de vera lectione poſsit.*

Aut ſtabunt aduerſus vos ſymphoniaci dæmoniorum, quorum tibias & ſcabella fregiſtis, quod & nos fecimus ] *Scabella ſeu ſcabilla crepitacula quædam lignea fuerunt quibus olim in ſcenis mimicis ad initium & finem actionis ſonitus edi ſolebat. Id diſcimus partim ex Suetonij Caligula cap. 54. vbi ſic ait: Deinde repente magno tibiarum & ſcabellorum crepitu, cum pallio tunicaq; talari proſiluit, ac deſaltato cantico abijt. Partim ex Cicerone, cuius hæc ſunt in oratione pro M. Cœlio verba: Mimi ergo iam exitus non fabulæ, in quo cum clauſula non inuenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur. Eodem reſpexit & Auguſt. præfatione in Pſal. 69. vbi inter cæteras Eccleſiæ perſecutiones, organa reponit Symphoniacorum.*

quia delictum factum eſt non præceptum vt labores iuſti auferret iniuſtus ] *Neſcio an ſatis hoc ſincerum ſit.*

Ecce quotidie ſi quis ad nos tranſitum facit, cùm etiam illi quorum erant ad pacem Catholicam tranſeunt, reddimus pecuniam, veſtem, fructus, vaſa, rura, tecta veſtrorum. ] *Locus corruptus aut mutilus, nec adiuuat* MS. *noſtrum: alia ergo caſtigatiora conſulenda. Cæterùm videmus hic quemadmodum Chriſtianam deceat benignitatem vt hæreticis ad Eccleſiam reuerſis reſtituantur, quæ hæreſeos illis nomine fuerunt ablata. Idem argumentum pulchrè tractat & epiſtola 50. Quod autem nobis obijciunt, inquit, quòd res eorum cõcupiſcamus & auferamus: Vtinam Catholici fiant, & non ſolùm quæ dicũt ſua, ſed etiam noſtra in pace nobiſcum & charitate poſſideant, &c. nam locus prolixior eſt.*

nec nos à quibus dicatur ] *Hæc deerant in excuſis.*

Nec vos computamini ] MS. *legit* computabimini.

Nam quod alios de vobis dicturos putatis ] *Sic rectè* MS. *Perperam noſtra.* Nam quid alios de vobis dicturos putabis? *quanquam cætera legant* putatis.

modò talia non dicatis ] *Ex* MS. *adiecimus* modò, *pro quo in Amorbachio erat* niſi.

...n erunt quidem tantum veſtra ] *Perperam* noſtra, *quia Catholicis adſcribi non poſſunt. Dicit ergo verba illa futura non tãtum Donatiſtarum, quia videlicet etiam infidelium, de quibus facit paulò antè mentionem.*

ſed maximè & veſtra ] *Copulam quia ad energiam facit, ex manuſcr. addidimus.*

viam verò Domini ignoratis ] *Mendosè excuſa* veram. *Nam & ſuprà cap. 36.* Viam autem Domini ignorauimus, *in Gaudentij verbis legebatur.*

diceret aptius & conuenientius ] MS. *habet* dicere poterit.

Nolite ergo vos putare quales non eſtis ] *Clarior eſt hæc* MS. *noſtri lectio, & cum ſequenti parte commodius cohærens, quàm excuſorum:* Nolite ergo putare vos eſſe quales non eſtis. *Nam in iis verbis*, & perire quales eſtis, *nihil aliud repetendum quàm verbum* nolite, *cùm alioqui iuxta excuſorum lectionem totum illud repeti videatur*, nolite putare; *quæ falſa eſt ſententia. Cæterùm pro* perire quales eſtis, *mendosè cætera impreſſa omnia*, perire tales.

non vt libenter pro Deo ] *Perperam excuſa reliqua*, vt non libenter.

IN CAP. XXXIX.

Nam quid iſto cui hæc ſcripſiſti ] *Ita rectius* MS. *quàm* cui quidem ſcripſiſti.

qui vos & inuitauit ad vitam ] *Mendosè hic erat* nos.

& ſi eam nobiſcum agere nolletis ] *In excuſis deſiderabatur* agere.

Vos in vos eſtis aſperi, vos immites ] *Ita rectè* MS. *pro* nos mites, *vel vt Lutet.* non mites.

vos ſine vlla humanitatis conſideratione crudeles ] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod &* MS. *& excuſa omnia habebant* ſine vlla immanitatis.

quod in ſuis inimicis facere conſueuerunt ] *Pro his erat mendoſiſsimè in vulgatis omnibus*, quod immites facere conſueuerunt.

errorum dilectores ] *Pro* delictores.

& hominum perſecutores; vt ſit quod amariſſimè doleant errorum perſecutores; & hominum dilectores ] *Totum hoc in excuſis deſiderabatur.*

Puto enim quod verbi ignorantia te fefellit, vt volens intelligi exitia, exitus diceres ] *Notat ſolœciſmum Gaudentij, quo tamen ad ſuum compendium abutitur.*

id agis vt deceptoribus parcat, & innocentes decipi omnino permittat ] *Vides quò ſpectare dicat Auguſtinus qui putant hæreticos non eſſe legibus coërcendos, ſed permittendum vt inter medios Catholicos impune verſentur?*

quia ſcilicet per iuſtitiam non veram; ſed veſtram ] *In cæteris excuſis eſt* per iniuſtitiam, *ſed non rectè. lectioni noſtræ ſuffragatur etiam manuſcr.*

ad Imperatorum curam ] *Error eſt typographicus, quod in noſtris* Imperatorem *legebatur.*

vt calumnioſa diuiſio ſanaretur ] *In reliquis impreſſis deeſt* vt, *quanquam nec* MS. *legebat.*

vt quando facta eſt firmaretur ] *Et hic in cæteris excuſis deſiderabatur verbum* eſt.

quod vtinam & tibi, tamen aliquibus ex vobis profuturum eſſe Deo miſerante confidimus ] *Locus deprauatus, qui ſic videatur poſſe reſtitui:* quod non vt & tibi, tamen aliquibus; *vel* quod vtinam & tibi, vel ſi non & tibi, tamen aliquibus. *Amorb. legebat hoc pacto*, quod vtinam & tibi cum aliquibus ex vobis, &c. *quæ lectio non eſſet incommoda, niſi optantis obſtaret aduerbium. Quã ſermonis inconuenientia offenſus Frobeniana cum Lutetianis ſuſtulit vocem* cum, *ſed nullo fructu. Facilis autẽ lapſus eſt ex* tñ, *in* tũ, *ac inde in* cũ.

ſicut iam ſuperius vt experireris admonui ] *Videlicet cap. 32.*

& Cæcilianus polluerit tranſmarinos ] *Perperam* Cæciliani polluerunt. *Similiter & in ſequentibus* polluerunt, *mutandum in* polluerint.

quomodo ſuſceperitis honorem Feliciani Muſtitani & Prætextati Aſſuritani ] *Clarius dixiſſet, quomodo ſuſceperitis in honore ſuo Felicianum Muſtitanum & Prætextatum Aſſuritanum, quomodo paulò poſt legis. Loquitur autem de dignitate epiſcopali, quam redeuntibus integram ſaluamq; reliquerunt.*

apud duos, vel, niſi fallor, apud tres proconſules ] *ſic rectè* MS. *noſtrum. Amorbachius fortè codicis mendoſitate, non legebat illud* tres, *cui malo Frobenius in prima editione ſua mederi volens, annotauit ad marginem, loco* duos, *legendum fortaſſe* duces. *Quæ coniectura reſidet etiamnum in Lutetianis exemplaribus. Quam quiſquis adſcripſit, parum fuit priorũ memor, in quibus nõ ſemel id repetit & inculcat Auguſtinus, vt Collat. diei 3. cap. 11. & lib. 4. contra Creſcon. cap. 3. quo poſteriore loco quatuor vel amplius etiam fuiſſe ait.*

in honore ſuo ſuſcipitur Maximianiſta ] *In excuſis deerat* ſuo.

veſtris maioribus accuſantibus ] *Ex manuſcr. addidimus* accuſantibus.

foris à veſtra Eccleſia tradiderunt ] *Pro* tradiderint.

Qui baptizatur à mortuo, quid proficit in lauacro ſuo ] *Alibi ſic legit*, quid proficit, vel prodeſt lauatio eius. *Epiſtola verò 225.* quid eſt per lauacrum eius.

Inter illos iſti iacebant ] *Mendosè cætera impreſſa*, tacebant.

de quibus veſtra Vagaitana ſententia ] *Amorb. & eum ſecutæ reliquæ editiones legebant* de quibus veſtra vacuata ſententia; *ſed legẽdum, vt ſcripſimus, nulla controuerſia eſt; quod & malim quàm quod Lipſius repoſuerat* Bagaienſis, *nam alterum propius accedit ad veterem Amorb. lectionem.* MS. *noſtrum nihil horum trium legebat.*

vt dum cogitas quomodo reſpondeas, minimè cogites quomodo ardeas ] MS. *noſtrum pro* quomodo *legit*, quod; *& pro* minimè, *habet* minus.

adhuc tibi exiſtimes eſſe docendũ ] *Illud* eſſe, *erat in noſtro* MS.

Si tales ſumus, quare nos quæritis ] *Idem repetitur lib. De geſtis cum Emerito, epiſtola 50. De vnitate Eccleſiæ cap. 19. lib. 2. contra Petilianum cap. 37.*

quia periſtis ] *Pro* periſti.

## IN LIBRI SECVNDI CONTRA GAVDENTIVM CAPVT PRIMVM.

Sed id eò ] *Ita locum hunc legendum putaui diuiſis dictionibus, pro* ſed ideò, *vt ſubaudiatur* pertinet, *vel* factum eſt: *niſi quis velit genus eſſe locutionis, de quo ſuprà diximus lib. 2. contra Creſcon. cap. 18. Alioqui enim videbitur deeſſe quippiam.*

quam quidem ingrediar ] MS. *noſtrum legit* aggrediar.

IN CAP. II.

Nunc interim quando vos potius eſſe Catholicos ] *Ex* MS.



*adiecimus* vos. *De nominis huius poſſeſſione cum Eccleſia hæretici ſemper omnes contenderunt, de quo ſuprà Collat. diei 3. cap. 3.*

profluentes largiter riuos latius expandit ] *Pro* largius. MS. *conſentit etiam Cyprianus, atque ita legunt ſuprà lib. 2. contra Creſc. cap. 33. etiam excuſa.*

Hinc enim & Græco vocabulo Catholica nominatur ] *De Catholici nominis etymologia vide ſuprà lib. 2. contra Petil. cap. 38.*

Tu aliud tenere, ſentire, dicere reperiris ] *Mendosè* repeteris.

IN CAP. III.

Reſpondet vobis ſcriptura diuina, filius malus ] *Diximus aliquid de hac ſcriptura in lib. De vnico baptiſmo cap. 15.*

vt quando zizania eſſe in Eccleſia cernimus ] *In excuſis deerat* eſſe, *quod legunt &* MS. *& Cyprianus.*

palam ferre iam poſſe ] *Ita hunc locum reſtituimus, pro eo quod erat*, paleam vel vẽtilabrum iam ferre poſſe, *quomodo legit* MS. *noſtrum infrà cap. 13. excepto quòd mendosè* paleam *habet pro* palam. *de cuius Caſtigationis ratione vide quæ annotauimus ad lib. 2. contra Creſconium cap. 34.*

IN CAP. IIII.

Et dum ſibi ſemper quidam pluſquam mitis iuſtitia depoſcit, adſumunt ] *Cùm ita hunc locum citatum inuenias ſuprà contra Creſcon. lib. 2. cap. 34. & 37. & infrà cap. 13. in* MS. *conſentiat etiam Cyprian. excepto quod legit*, Et dum dominium ſibi; *non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod erat*, ſemper aliquid amplius quàm, *etiam reclamante* MS. *ſed quod infrà cap. illo 13. alteram habeat lectionem, tametſi diſſentientibus ibi excuſis.*

Ager eſt hic mundus ] *Pronomen* hic *adiecimus ex* MS.

quia etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania ] *In excuſis deſiderabatur* in Eccleſia.

in eadem diſceſſione perſiſtitis ] *In* MS. *eſt* diſciſſione, *ſed alludere videtur ad id quod præceſsit*, nefario ſchiſmate diſceditis: *& alterum habes etiam infrà in fine cap. 9.*

Ecce tibi Cyprianus ] *Redundat verbum* eſt, *quod addunt excuſa.*

nec tamen ab illa propterea ] *Iterum deerat* propterea.

& tumore veſtro præcipitaſti ] *Pro præcipitatus es; quomodo apud poëtam, humentia ſidera cælo Præcipitant.*

nec ſaltem ipſos timuiſti collegas tuos ] *Ex manuſcr. addidimus* ſaltem.

& fortaſſe cum hoc iam ſentires non audente ] *Vel deeſt, vel ſubintelligendum eſt* proferre, *aut ſimile quid.*

diſputantibus, cùm vrgeretur Emeritus ] *Videtur deeſſe aliquid: fortaſſe legendum*, diſputantibus nobis.

IN CAP. V.

ſed etiam ipſi Emerito ] *Illud* ipſi *legebat noſtrum* MS.

Videntur ait, non ſuſpicione credũtur ] *Apertiſsimus locus, quòd in Eccleſia ſint etiam mali.*

IN CAP. VI.

propter quos tamen admonet non relinquendam ] *pro* non admonet relinquendam.

de tali enim fide Dominus dicebat, Putas veniet filius hominis ] *de hac ſcriptura vide quod annotauimus ſuprà De vnitate Eccleſiæ cap. 15.*

non de apoſtaſia totius orbis ] *Mendoſiſsimè* nõ de Apoſtolica.

IN CAP. VII.

qui dum facinori interſunt ] *Pro* fauori; *ſic enim legis etiam in excuſis innumeris ſuprà locis.*

Iam de his quod dicendum fuit ] *Perperam* quid.

IN CAP. VIII.

iuſſu vel manu extremus incenſor ] *Neſcio an nihil hic ſubſit mendoſitatis.*

& poſtea perſpecta diligentiùs ratione ] *Mendosè* perfecta.

cum collegis diuerſa ſentientibus pacatiſſimus manſit ] *Pro* placatiſſimus.

IN CAP. IX.

fundos inſidioſis fraudibus rapientes ] *Non rectè* inſidioſos, *vt ex ipſo Cypriano etiam liquet.*

vſuris multiplicantibus fœnus augentes ] *In excuſis erat*, vſuras multiplicantes; *ſed alterum eſt Cypriani, cuius hic verba ex lib. De lapſis proferuntur.*

Noli me tangere, quoniam mundus ſum ] *Sic* MS. *conſentiunt & 70. cap. 65. Eſaiæ, vnde hic petitus eſt locus; de quo ſuprà lib. poſt Collat. cap. 5.*

quod tibi mitius videtur ] *ſic rectè* MS. *pro* minus.

cùm & ſchiſmaticus ſis ſacrilega diſceſſione, & hæreticus ſacrilego dogmate ] *Innuit diſtinctionem inter ſchiſma & hæreſin; de qua nonnihil diximus in lib. 2. contra Creſcon. cap. 7.*

IN CAP. X.

Quoniam ſicut Apoſtolus ait de quibuſdam ] *Verba hæc paulò aliter leguntur ſuprà lib. 1. cap. 6.* Nam & de gentibus impiis, *inquit*, Apoſtolus dixit: Qui veritatem in iniquitate detinent; vt & vos facitis, qui veritatem baptiſmi diuini in iniquitate detinetis erroris humani.

quas de incognito Deo ] *In* MS. *eſt* cognito: *ſed videtur Auguſtinus alludere ad illam inſcriptionem aræ Act. 17. Ignoto Deo.*

IN CAP. XI.

quia ipſum prorſus verbum ibi non legeram ] *videlicet* in veritate.

in fallacia ſuperſtitio nominatur ] *fortè* in falſitate, *quomodo infrà paulò poſt in Auguſtini verbis.*

Quando ego id aduerterẽ? ] *Ridet hominem; nam cùm negaret in tribuni literis inueniri, quod adiecerat Gaudentius*, in veritate; *ipſe probat vocem* inuocatum *ibi extare; quaſi hoc negarit Auguſtinus, imò verò non diſertis verbis id faſſus ſit, inquiens:* Neque hoc in tribuni literis legitur, à te inuocatum in veritate nomen Dei, quamuis dixerit inuocatum.

ſequere igitur teſtimonium tuum: maximè, quia ] *ſic rectè* MS. *pro* ſequere igitur teſtimonium tuum maximè. Quia.

Hoc enim nomen à nobis etiam in noſtra Collatione reſpuiſtis ] *Vide quod diximus ſuprà ad cap. vltimum lib. poſt Collationem.*

IN CAP. XII.

& noli iraſci tibiipſi ] *Videtur locus corruptus; legendúmque* niſi tibiipſi.

adhuc triduum & Niniue ſubuertetur ] *Ita legunt 70. vbi nos habemus, adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. In quem locum ſcribẽs Hieronymus, Trinus, inquit, numerus qui ponitur à Septuaginta, non conuenit pœnitentiæ; & ſatis miror cur ita trãſlatum ſit, cùm in Hebræo, nec literarum, nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ſit vlla communitas. Et mox: Porro quadragenarius numerus cõuenit peccatoribus, & ieiunio, & orationi, & ſacco, & lachrymis, & perſeuerantiæ deprecandi, &c. Ternarium numerum poſuerunt veteres pleriq; non aliam habentes verſionem quàm ſeptuaginta. Nec dubito mendum eſſe apud Iuſtinum lib. De veritate Chriſtianæ religionis contra Tryphonem; vbi legit* quadraginta tres dies: *nam cùm ſcriptum eſſet* tres dies; *quiſpiam ſuperſcripſit lectionem noſtram* quadraginta, *quod imperitus ſcriba cum altero coniungens, fecit* quadraginta tres.

quia nec tu oſtendis ] *Pro* oſtendas.

religioſo timore iubentibus quiſque obtemperat ] *Non dubitaui ita reſtituere, pro* quiſquis.

timore incipiens ] *In manuſcr. noſtro erat* amore incipiens, *ſed non rectè.*

à Domino accipit pacem ] *Sic* MS. *pro* accepit.

ſuperſtitio eſt quod te quæris occidere, quod valde prohibet huius religio ] *Id totum in excuſis deerat.*

IN CAP. XIII.

palam ferre iam poſſe ] *Pro* paleam vel ventilabrum iam ferre poſſe. *De quo loco ſuprà cap. 3. & lib. 2. contra Creſcon. cap. 32.*

humano iudicio ſeparare ] *Perperam* ſuperare.

quam ſibi ſemper furor prauus adſumit ] *Mendosè in excuſis* prauos.

Et dum ſibi ſemper quidam pluſquã mitis iuſtitia depoſcit, adſumunt ] *ſic* MS. *noſtrum, conſentiente Cypriano & ſuprà Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 34. & 37. pro eo quod erat* ſemper aliquid amplius quàm mitis. *Vide ſup. quod annotauimus ad cap. 3. lib. huius.*

opere alio diligentius demõſtrabo ] *Id quod factũ non exiſtimo.*

*Annotationum in duos libros contra Gaudentium, finis.*

# ANNOTATIONES IN LIBRVM INCERTI AVTHORIS CONTRA FVLGENTIVM DONATISTAM.

### CENSVRA LIBRI SEQVENTIS.

LIBRVM *hunc non eſſe Auguſtini certiſſimum eſt: nam vt præter eam quòd cùm iiſdem de rebus, deq; toto hoc argumento tot iam libros, epiſtolas ac ſermones ediderit, id tamen hic ne leuiter quidem admonendum putarit; quod in aliis tamen libris multo antè ſcriptis facere initio diligenter Auguſtinus ſolet, vt lib. 1. contra Parmenian. cap. 1. De vnico baptiſmo contra Petilian. cap. 1. Epiſtola 61. Lib. De Maximianiſtis, cuius meminit lib. 2. Retract. cap. 35. Similiter & contra Pelag.*

lib. De libero arbitrio cap. 1. & lib. De prædeſt. ſanctorum cap. 1. At qui ſcriptus eſt iſte contra Fulgentium liber non modò poſt Collationē Carthaginienſem, vt liquet infrà ex cap. 22. verùm etiam poſt lib. Retractationum, vt cuius nulla in iis mentio fiat. Id inquam, vt omittam, certè Auguſtini nec ingenium, nec eruditionem, nec eloquentiam vlla ex parte redolet. In primis enim paulò poſt initium, totam aduerſarij diſputationem in tres ait diuiſam eſſe partes, quas ſibi ex ordine tractandas refutandasq́; proponit, de vno baptiſmo, de orti vnius fonte ſignato, de oleo vno quod muſcæ morituræ exterminant. Quæ ineptiſſima eſt ſanè partitio, & Auguſtino indigna, vt cui contra leges dialecticorum, & ſuperſit & deſit aliquid. Nam tria illa ad vnum erant vnici baptiſmi caput redigenda: nihil verò ait de malorum contagione, de bonorum & malorum in Eccleſia commixtione, de perſecutione, de codicum ſacrorum traditione, de cauſa Cæciliani, denique de querela imperialium edictorum, quæ tamen hoc Fulgentij libello diſputantur, ſuntq́; ipſiſſima Donatiſticæ controuerſiæ capita, paſſim ab Auguſtino & annotata & pertractata, vt vel ex Collat. 1. diei cap. 7. & 10. Item 3. diei cap. 8. & 9. facillimè cognoſci poteſt. At verò prima illa duo, quæ totis viginti capitibus exequitur, quàm variè confundit ac perturbat! Nam ſub finem cap. 10. cùm de baptiſmo ageret, ſubitò per occupationem, ſermonem inijcit de contagione malorum, quo mox omiſſo ad baptiſmum reuertitur; indè ad alterum rurſus argumentum regreſſus, iterum ad baptiſmi relabitur quæſtionem. Illud autem ridiculum, quod duabus hiſce, aut tribus, vt ipſe diſtinxit, partibus abſolutis, ſubito velut mutata ſcena, mutat quoque diſputantium perſonas; nam cùm prius Donatiſtam & Catholicum anonymos induxiſſet, cap. 21. Fulgentium & Auguſtinum differentes facit, à prioribus tamen minimè diuerſos; quemadmodum ex fine cap. 20. & initio 21. manifeſtum eſt: vt vel diſtincti dialogiſmi eſſe videantur, vel non vnius hominis, aut certè non parum obliuioſi, ſuiq́; immemoris. Quæ ſunt omnia ab Auguſtino alieniſſima. Iam verò tota ipſa operis compoſitio atque ſtructura quàm nihil habet ſolidæ carnis! quàm nihil ſucci & ſanguinis! quàm nihil vitæ ac ſpiritus! certè nihil Auguſtini doctrina, genio, & copia dignum. Quid quod in citandis tractandisq́; ſcripturis non vno loco ab eo diſſidet ac euariat? Primùm enim cap. 16. (niſi fortè mendoſus eſt codex noſter) producit locum ex cap. 65. Eſaiæ iuxta vulgatam lectionem, cùm ſemper Auguſt. editione vtatur LXX. etiam in illa ipſa ſcriptura, vti annotauimus ad cap. 5. lib. poſt Collat. Ad hæc illud Apoſtoli 1 Corinth. 10. in quos fines ſeculorum deuenerunt, quomodo & hic cap. 4. ſcriptum ab authore fuit, Auguſtinus lib. 4. cōtra Fauſtum cap. 4. ſingulariter effert, finis obuenit. Rurſus locum Deuter. 29. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 19. & lib. 3. cap. 32. ita citat, Quæ manifeſta ſunt, vobis: quæ occulta ſunt, Domino Deo veſtro: pro quo author iſte cap. 10. legit, Quæ occulta ſunt, mihi; quæ manifeſta ſunt, vobis: quomodo fere Creſconius apud Auguſt. lib. aduerſus eum 2. cap. 17. Octauo verò cap. locum Prouerb. 30. ſecundum 70. ſic recitat, [illegible]s malus ipſe ſe iuſtum dicit, exitus autem ſuos non abluet: Auguſtinus autem plus decies, exitum autem ſuum non abluit: loca indicauimus lib. De vnico baptiſmo cap. 15. Præterea illud Hieremiæ 17. recedentes à te ſcribentur in terra: is cap. 3. ita legiſſe videtur, recedentes à te ſcribentur in libro mortis; quomodo arbitror non modò B. Auguſtinum, ſed veterum præterea citaſſe neminem. Et ſunt quidem illa Donatiſtæ verba; ſed vel breuiter ſaltem admonere debebat, vti facit cap. 2. non ita locutum prophetam. Sanè facit hoc ſemper Auguſtinus. Cui ſimile eſt quod cum Donatiſta cap. 5. Ezechielem pro Eſaia nominet, author hic ne verbulo quidem id corrigat; quod non arbitror, vt aliàs nunquam, diſſimulaturum Auguſtinum. Denique cap. 18. duo proferuntur Dauidis teſtimonia addito Pſalmorum numero; cuiuſmodi exemplum neſcio an apud Auguſtinum reperiatur. Hæc de citatione ſcripturarum, nunc quàm eas Auguſtino conſentienter, exponat, vſurpet, accommodet, diſpiciamus. Cap. 9. reſponſurus ad illud Pſal. 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum, tanquam de vera eius intelligentia adhuc incertus, ait ſe interpretes malle deſuper, ſic enim loquitur, id eſt, audire quid alij de hoc loco ſentiant. At verò Auguſt. lib. 2. contra Petilianum cap. 103. lib. 3. cap. 33. & lib. 2. contra Creſcon. cap. 24. planiſſimum eum & clariſſimū eſſe ait. Cap. 12. locum olim & à Cypriano lib. 1. epiſt. 12. citatum, Ab aqua aliena abſtine te, nō malè quidem ille, de pudicitia coniugali dictum eſſe ait; ſecus tamen quā Auguſt. qui maligni ſpiritus doctrinam hic accipit, lib. De vnitate eccleſiæ cap. 26. & lib. 6. contra Donatiſt. cap. 12. Cap. 2. probaturus circuncisionem Samaritanorum typum geſſiſſe baptiſmi apud Donatiſtas adminiſtrati, detorquet huc locum ad Coloſſ. 2. cap. qui de circuncisione & baptiſmo in genere, & legitimè acceptis, haud dubiè loquitur, quomodo interpretatur & Auguſt. lib. 6. contra Iulian. cap. 7.

Denique cap. 4. cùm citaſſet Donatiſta locum Hieron. cap. 15. de aqua mendaci, non habente fidem, ad eum author iſte prorſus nihil reſpondet. At non ita Auguſtinus, qui quoties inter aduerſariorum dicta occurrit, nunquam abire ſine reſponſione permittit, vt lib. 3. contra Donatiſt. cap. 15. Lib. 2. contra Petilianum cap. 103. Lib. De vnitate eccleſiæ cap. 23. & alibi. Quin & occurrunt quædam ab Auguſtini conſuetudine ac dicendi ratione aliena. Nam primùm quidem cùm cap. 1. Fulgentium hunc haud obſcurè ſuſpectum ſibi eſſe ſignificet, tanquam abſit libelli tranſmiſſi author, eodem tamen loco religionem ei tribuit: quod in Gaudentio tamen notat Auguſtinus, lib. contra eum 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 11. & 12. Eodem loco tribuit ei in dilatando ingenij laudem; quod certè hic nullū apparet. In eius argumētis tantū agnoſcit roboris ac potentiæ, vt eis videri queat, inquit, veritas ipſa deuinci: at ea in ſuis libris Auguſtinus velut vana & imbecilla ridet ſæpe ac contemnit. Cap. 3. multos, ait, contra regulam datæ legis baptizare; contra Auguſtinum, qui lib. 6. contra Donatiſtas cap. 25. Facilius ait hæreticos inueniri qui prorſus non baptizent, quàm qui præſcriptis à Chriſto verbis non vtantur. Quin & cap. 4. contradicere ſibi ipſe videtur: Hæretici, inquit, omnes licet in ſua ſibi diſputatione diſcordent, in baptiſmi tamen traditione ſolēni verbo concordant. Cap. 2. Donatiſtarum appellat baptiſma, quod dicendum eſſe negat Auguſt. cùm alibi, tum lib. 2. contra Petilian. cap. 37. nec vnquam ſic vocat, niſi addita mox correctione hac aut ſimili, imo non veſtrum, ſed Chriſti. Cap. 10. certum eſt, inquit, quòd ſacerdotis & plebis execretur Deus ac deſpiciat holocauſta, ſi bona non adfuerit conſcientia: quod neſcio an vſquam apud Auguſt. reperias, qui inter ſacrificium velut rem ſacram, & offerentium vitium diligenter diſtinguendum docet. Cap. 1. Pertinaces, inquit, anathemate condemnemus, vt hactenus victores eſſe poſſimus. Quando ſic aſperè loquitur Auguſtinus? Cap. 17. Donatiſtæ criminationibus reſponſurus, conſcietiam ſuam opponit, quam munitam eſſe ait. Facit hoc nonnunquam & Auguſtinus, vt lib. 3. contra Petil. cap. 2. & 10. Lib. 3. contra Creſcon. cap. 80. ſed quanta cum modeſtia, ac verecundia! Cap. 22. Geſta citat Marcellini, pro quibus ſemper Auguſt. in Collatione noſtra, inquit, quam vobiſcum, vel cum eis habuimus. vt lib. poſt Collat. lib. De geſtis cum Emerito, lib. contra Gaudentium, & alibi plus centies. Ibidem intra complexum eiuſdem reſponſionis, repetit ſub finem quod initio dixerat: Item Auguſtinus reſpondit, quod ab Auguſtino factitatum nuſquam reperies.

Cæterùm ad ſtylum quod attinet, licet in quibuſdā, vbi eſt Auguſtinum imitatus, conuenire cum eo videatur, tamen res ipſa clamitat, procul ab elegantia dictionis eius abeſſe. Nam vt exempli gratia paucula quædam attingamus, cap. 1. vtitur verbo admiror, pro intelligo, capio, aſſequor. Et ibidem, tam forti, inquit, obice ſumpſiſti. Ac rurſus, in domo cōfugere compellamus. Cap. 2. vos ei per omnia ſimilatis, inquit, pro aſſimilamini. Cap. 9. Interpretes, inquit, malo deſuper, pro eo quod dicendum erat, malim hic audire interpretationem aliorum. Cap. 24. vt eos à ſuis baſilicis depuliſſes, pro depelleres. Vbi ſic vnquam balbutit Auguſtinus? Ex his itaque quæ diximus, abunde conſtare arbitror, non eſſe librum hunc Auguſtini, imò verò prorſus eo indignum. Quiſquis tamen eius author fuit, vetuſtum fuiſſe oportet, vt qui concilium illud Carthaginienſe aduerſus Cæcilianum viderit, citans indè poſtremo cap. Marciani ſententiam; quam nuſquam apud Auguſtinum reperias, quo vel ſolo nomine dignum librum hunc cenſeo qui locum ſuum retineat. Apparet autem & Afrum fuiſſe; nam & more gentis eius gaudet homœoteleutis, vt cap. 9. Melior eſt miſericors increpatio, quàm lenis adulatio. & iterum, Oleū peccatoris, blandimentum eſt adulatoris. Et cap. 12. Quis non videat prophetam coniugibus pudicitiam commendaſſe, & te à veritate procul erraſſe? Vtitur & infinitiuis nominū loco, vt cap. 13. ô probare! ô errare! ô delirare! quod & Optato, & Auguſtino eſt non inſuetum. Sermo autem Donatiſtæ ſeu Fulgentij totus linguam ſapit Africanam, & Auguſtini ſeculum redolere videtur, à Petiliani ſtylo non admodum alienus. Sed de his plus ſatis, nunc ad Caſtigationes tranſeamus. MS. autem penuria, ſæpenumero coniecturam noſtram proponimus.

IN CAP. I.

& eius manu ſacrata tuba petamus] Perperam turba, pro tuba; cui reſpondet quod mox ſequitur, veritatis & libertatis vocibus concrepemus.

id eſt altitudinem mundanæ ſapientiæ] Allegoriam explicat obſidionis Hierichontinæ.

IN CAP. II.

qui credit in me, ſicut Eſaias dicit] Rectè Catholicus infidelem hanc citationem reprehendit, ſcriptam admonens ab Euangeliſta, ſicut dicit ſcriptura. Sed optandum erat, vt quæ ſcriptura illa eſſet oſtenderet; nam commentatores non ſatis hic inter ſe conſentiunt. D. Hieron. enim præfatione in Pentateuch. & lib. Paralip. vnum hunc inter cætera locum eſſe ait, qui in Hebræis tantùm reperiatur, non in 70. deſumptum autem ex lib. Prouerb. ſed vnde aut quo loco non addit, vnde varij varia diuinant. Græci verò illud, ſicut dicit ſcriptura, ſuperioribus nectunt, atq; ita locum



ita locum diſtinguunt: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: vt fides in Chriſtum per ſcripturas commendata intelligatur. Quæ videtur expeditiſſima ſententia.

Diuinam legem ſeruatis] In ſpeciem videlicet, quomodo & Samaritani.

Circuncisio enim Samaritanorum, baptiſma ſignificat Donatiſtarum, dicente Apoſtolo, Circuncisi eſtis] Sentit circuncisionem Samaritanorum ſimile quiddam habere cum baptiſmo à Donatiſtis collato vel accepto: ſed ad hoc probandum abutitur Apoſtoli loco; nam is ibi oſtendit Circuncisionem veteris legis typum habuiſſe Chriſtiani baptiſmi.

IN CAP. III.

Nunquam ergo Eccleſiæ ſpiritus patitur iungi, quod ore diuino meruit diffamari] Mira locutio: videtur enim diffamari, non hic idem eſſe quod diuulgari, aut etiam infamari; ſed ſeparari, ſecerni, diſtingui, vt reſpondeat illi quod præceſſit ſuprà cap. 2. merita aquarum ipſe diſcreuit. Quem ſenſum & ſequentia poſtulare videntur. Sic & initio cap. 4. iuſta ſeparatione diſcreuit.

recedentes à te ſcribētur in libro mortis] Et Græca & Hebræa legunt ſcribētur in terra, nec arbitror quenquā veterum aut recentiorū aliter hunc locū citaſſe. Vnde D. Thomas Par. 1. q. 24. a. 1. negat reperiri in ſcripturis librum mortis vitæ libro oppoſitum. Hieron. tamen in illud Danielis 7. libri aperti ſunt, duos facit libros, alterū bonum, alterum malum; illum viuentium dictum, hunc terrenum; citans hunc Hieremiæ locum. Cæterùm quod Septuaginta in Regiis hodie legunt, in terra ſcribantur, mendoſum eſſe arbitror; nam & Hieron. ita Græca habuiſſe, ex eius verſione certiſſimum eſt.

IN CAP. IIII.

Quod ſicut aſſeris] Legendum ſuſpicor, Quod ſi vt aſſeris.

hic inhabitabit in alta ſpe fortis] Septuaginta legunt in excelſa ſpelunca petræ.

plaga mea ſolida facta eſt, vnde ſanabor?] Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod erat vnde ſanabo. Ita enim legunt 70. ita paſſim Auguſt. ita ſcriptores omnes.

in quos fines ſeculorum deuenerunt] Sic Amorbach. ſic vetera Froben. ſic Lutetiana omnia. Vt autem in poſteriorib. Frobenianis ea lectio in ſingularem numerum mutaretur in quos finis ſeculorum obuenit, fecit, quod Auguſtinus locum hunc cùm alibi tum lib. 4. contra Fauſtum cap. 2. ita citare ſit ſolitus. Sed vel hinc colligitur non eſſe hunc Auguſtini librum.

IN CAP. V.

Ezechiel quoque ſic dixit, Et videbunt quia plures ſunt qui auerterunt aquam antiquæ piſcinæ] Fallitur in nomine Prophetæ; leguntur hæc enim non apud Ezechielem, ſed Eſaiam cap. 22. ſecundum Septuaginta; quāquam nec rectè diſtinguit: nam illud & videbūt (pro quo in Regiis eſt viderunt) quia plures ſunt, ad ſuperiora pertinet; ſequentia verò copula connecti deberent, Et auerterunt aquam antiquæ piſcinæ. Pro his nos legimus, Et congregaſtis aquas piſcinæ inferioris. Quem locum ſecundum vtranque verſionem eleganter explicat Hieron. in Commentariis.

IN CAP. VI.

etiam foris ſalutis vnda decurrat] Fortè foras.

IN CAP. VIII.

Fons vitæ in manibus iuſti] Locus eſt Prouerb. 10. ſecundum Septuaginta, pro quo nos legimus, Vena vitæ, os iuſti. In Regiis tamen hodie eſt non in manibus, ſed in manu iuſti.

Non legiſti, Filius malus ſuperbos oculos habet: filius malus ipſe ſe iuſtum dicit, exitus autem ſuos non abluet?] Locus eſt Prouerb. 30. ſecundum Septuaginta, ſed inuerſus eſt hic ſententiarum ordo: nam illud filius malus excelſos oculos habet, alteri ſententiæ deberet ſubiungi. Pro his nos legimus; Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Generatio cuius excelſi ſunt oculi. De quo loco annotauimus aliquid & ſuprà ad cap. 15. lib. De vnico baptiſmo.

IN CAP. IX.

Interpretes malo deſuper] Id eſt, malim hic aliorum audire ſententiam.

IN CAP. X.

Aperta confeſſio perfidorum iſto loco monſtratur, quæ inimica præſumptione à facinoroſo ſacerdote coniuncta polluitur] Infrà vbi hæc Catholici verbis repetuntur, confectio, pro confeſſio legitur: quomodo apud vos, inquit, facinoroſorum non polluitur confectio ſacerdotum? Vbi euchariſtiæ ſacramentum ſignificari videtur, nam hoc qui conſecrant, etiam ſcholæ noſtræ verbo, cōficere dicuntur. Cæterùm in voce coniuncta, apertum eſt mendum, ex compendioſa Amorbachij ſcriptura exortum, apud quem contracta legi videtur. Ego contacta malim, præſertim ſi pro confeſſio, reponatur confectio.

Propter quod ſcriptum eſt, quæ occulta ſunt, mihi; quæ manifeſta, vobis] Perperam manifeſtata, vt & eodem hoc cap. paulò infrà. Locus eſt Deuter. 29. quem ſimiliter citabat Creſconius, ſed inuerſa ſententia ſuprà lib. 2. contra Creſcon. cap. 17. Vide quod annotauimus ad lib. eiuſdem cap. 19.

IN CAP. XI.

Me contempſit Galaad; ciuitas quæ operatur ſtulta; turbans aquas; & fortitudo tua ſicut hominis piratæ] Locus eſt Oſee cap. 6. ſecundum Septuaginta; quem & Hieron. totidē penè reddidit verbis. Ibi enim, inquit, contempſit me Galaad, ciuitas quæ operatur vana, & conturbat aquam; & fortitudo tua viri piratæ. Paulò aliter Regia, quæ ſic legunt: ibi contempſerunt me. Galaad ciuitas quæ operatur vana conturbans aquam. Et fortitudo tua viri piratæ. Pro quibus noſtra lectio ſic habet: ibi præuaricati ſunt in me. Galaad ciuitas operātium idolum, ſupplātata ſanguine, & quaſi fauces virorum latronum. Cæterùm in excuſis omnibus perperam legebatur turbas aquas, pro turbans aquas.

IN CAP. XII.

vt video vbicunque baptiſma nominatum eſt malè, bene, baptiſma credidiſti] Videtur deeſſe aliquid, legendumq́; fortaſſe malè vel bene, aut ſeu malè, ſeu bene, hoc eſt ſiue in bonam partem, ſiue in malam: quem ſenſum proxima verba requirunt.

& tu Angelo exponenti reſiſtis & dicis] ſic Amorb. ſic vetera Froben. cum Lutetianis; in noſtris tamen deerat illud reſiſtis &.

Habes Marinum ab aquis Tubilitanis] Pro Marianum, vt liquet tum ex Optato lib. 1. tum ex Auguſtino lib. 3. contra Creſc. cap. 27. De vnico baptiſmo cap. 17. epiſt. 165. & alibi.

Habes Victorem Ruſiccadienſem] Perperam Ruſiccazenſem, vt ex iiſdem locis conſtare poteſt.

IN CAP. XIII.

vel in abruptum cœnoſi gurgitis lacum in æterna morte abrepto Charybdis vidit] Locus deprauatus, pro quo fortaſſis legēdum, vbi in abruptum cœnoſi gurgitis lacum in æterna morte abreptos Charybdis vidit.

O probare! ô errare! ô delirare!] Infinitiui loco nominū; O probationem! ô delirum errorem!

IN CAP. XIIII.

Et rectè Spiritum ſanctum immundis alitibus traditores æquatis] Neſcio an ſincerus & integer hic locus ſit, nam etſi per irriſionem accipi hæc poſſint, nec ſequentia rectè cohærere videntur; & paulò pòſt reſpondens Catholicus, quando Spiritum ſanctum, inquit, iniuriando fugauimus? tanquam id Donatiſta obiecerit.

& eorum vlceribus peccatorum vermes fundunt] Fortè infundunt.

qui Spiritum ſanctum efflatis] Fortè exufflatis.

IN CAP. XV.

ſi non de ſacerdote ſacrilego, vt profani aſſerunt, Dominus dixit] Nec hic locus videtur carere ſuſpicione.

IN CAP. XVI.

nec pollutum aliquem poſſe ſancire] Pro ſancire, videtur legendum ſanare, vel potius ſacrare, ſeu ſanctificare, aut ſimile quid.

Interroga inquit Dominus, ſacerdotes dicens] Mendoſè Interrogauit. Deeſſe autem videtur legem; id enim addunt 70. & Auguſt. lib. poſt Collat. cap. 20.

Si tetigerit inquinatus in anima horum aliquid] Mendoſè animam.

ne inter eos etiam & ipſe pollutus viueret] Verbum viueret, adiecerunt prima Frobeniana, ſed neſcio an ex fide alicuius MS.

Scriptum eſt enim in Eſaia, Qui dicunt, recede à me, ne appropinques mihi, quoniam immundus es] Vereor ne non hic locus ad vulgatam lectionem ſit immutatus; cùm Septuaginta legant ad hunc modum, Qui dicunt, noli me tangere, quoniam mundus ſum; quomodo citat frequenter & Auguſt. de quo ſuprà lib. poſt Collat. cap. 5.

IN CAP. XVII.

Nunquam latro in lucem protulit prædam] Ita cætera excuſa: in noſtris erat, Nunquid latro.

ſemper operarij mortis] Loco ſemper, cōmodius legeretur ſuam; vt prioribus necteretur: nam illud cum aduerbio ſæpius, durius coniungitur.

ſolus traditor nec Dei minis frangitur] In excuſo noſtro deerat nec; quod legunt tamen cætera.

IN CAP. XXI.

Fulgentius dixit] Mutantur hic perſonæ, nam cùm prius inducti eſſent Donatiſta quiſp[illegible]m & Catholicus in genere, hic ſubitò Fulgentius

& Auguſti-

& Auguſtinus inter ſe committuntur, cùm de iiſdem tamen ſermonem A eſſe ex fine præcedentis capitis & initio huius manifeſtum ſit.

IN CAP. XXII.

Item Auguſtinus reſpondit] Deeſſe videntur Fulgentij verba, quibus hic Auguſtinus reſpondeat, nam alioqui quid his repetitis opus erat?

IN CAP. XXIII.

Simonē Magum tam diu perſecutus eſt, donec morte perimeret] Simonem Magum hæreticorum ac ſchiſmaticorum poſt Chriſti reſurrectionem caput ac principem, B. Petrus Apoſtolorum princeps Samariæ primum detexit ac prodidit; vt docet lib. Actor. cap. 8. Deinde Cæſariæ cum eo congreſſus tertiò vicit ac ſuperauit, vt author eſt liber 6. Conſtitut. Apoſtol. cap. 8. In Italiam verò refugientem, ibiq́; pro Deo habitum, perſecutus Petrus in vrbe Roma totius orbis capite, & diſputationibus profligauit, & dæmonum præſtigiis in cælum euolantem orationibus deiecit. Qui fractis eo caſu cruribus Aritiam perlatus, paucis poſt diebus extinguitur. Id quidem multi rident & velut fabuloſum explodunt, ſed eſt olim à non paucis, nec leuibus authoribus proditum. Nam Romam profectum fuiſſe B. Petrum ad eum expugnandum, ibiq́; cum B eo diſputaſſe ac ſuperaſſe aiūt Tertullian. lib. De præſcription. Hieron. in Catal. Euſebius lib. 2. cap. 13. Pacianus epiſt. 2. Damaſus in pontificali in vita B. Petri. Ambroſ. oratione in Auxentium. Præcipitij verò meminerunt præter Authorem Conſtitution. Apoſtolicarum lib. 6. cap. 9. Egeſippus lib. 3. De excidio Hiero. cap. 2. Arnobius lib. 2. contra Gentes, vbi eum ait cruciatibus ac pudore defeſſum manus tandem ſibi intuliſſe. Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum. Epiphanius hæreſi 21. contra Simoniacos. Cyrillus Hieroſol. catecheſi 6. Auguſt. hæreſi 1. lib. De hæreſibus. Deniq́; author libelli huius hoc loco contra Fulgentium.

IN CAP. XXIIII.

& adminiculis ordinum virorum] Vix dubitò quin pro virorum, legendum ſit variorum, quomodo in hoc genere argumenti loquitur frequenter Auguſt.

IN CAP. XXVI.

qui & thurificaſtis, & codices tradidiſtis] Perperam Lutetiana thurificatis.

gens vna vniuerſas gentes adduxit] Fortaſsis addixit, id eſt damnauit.

ſarmentum de vite præcidit] Videtur locus non carere ſuſpicione menda.

In euangelio ſuo, inquit, Dominus ait] Amorbachius legebat, Probans in euangelio. Frobenius & eum imitati Lutetiani, Eam probans. Nos vtrunq́; ſuſtulimus, quia nihil aliud quàm ſenſum perturbabat.

ita thurificati, traditores; & qui in ſchiſmate à traditoribus ordinantur, manere in Eccleſia Dei non poſſunt] In excuſis omnibus erat; ita thurificati, traditores, abhorrentes Deo manere: ſed cùm paulò poſt vbi hæc ſentētia repetitur, prior lectio habeatur, & commodior; & cauſæ Cæciliani opportunior, eam hic reponendā putaui. Hāc autem Marciani ſententiam vnde author iſte hauſerit, an ex ipſius concilij actis quæ olim apud Donatiſtas extabant; an verò aliunde, neſcio; nam nuſquam eam citat Auguſtinus.

manere in Eccleſia Dei non poſſunt] Perperam Lutetiana poſſint.

ANNOTATIONVM IN LIBRVM CONTRA FVLGENTIVM DONATISTAM FINIS.



# ANNOTATIONES IN PARTEM ALTERAM TOMI SEPTIMI B. AVGVSTINI QVÆ AGIT CONTRA PELAGIANOS.

ET PRIMVM

## IN LIBROS TRES DE PECCATORVM MERITIS ET REMISSIONE, déque baptiſmo paruulorum ad Marcellinum.

A

EX COLLATIONE AD MS. B. AMANDI, Alnenſe, Cambronenſe, Carthuſienſe: necnon veteres Amorbachij ac Frobenij, & recentiorem Bartholomæi Grauij anni 55. editionem.

In lib. 2. Retractat. cap. 3.

non ſcripturis, ſed ſermonibus & collocutionib. agebamus] B Suſpicor legendum non ſcriptis, pro ſcripturis. Similem deprauationem annotauimus lib. 2. contra Petilianum cap. 92.

Miſſis ergo mihi à Carthagine quæſtionibus eorum] à Marcellino videlicet, vt liquet infrà ex lib. 1. cap. 1.

quas reſcribendo diſſoluerem] Non dubitaui locum ita reſtituere, pro eo quod erat in excuſis omnibus diſſolueram: neque enim iam eas diſſoluerat, ſed vt id faceret, eas Marcellinus ad ipſum miſerat.

Pelagij ipſius nomen non ſine laude aliqua poſui] à propoſito nimirum & profeſſione caſtitatis & paupertatis. Locus eſt lib. 3. cap. 1. 3. & 10. Libro item 2. cap. 16. ſed tacito nomine.

& eius illa redargui] Mendosè redarguit.

apud Carthaginem in epiſcopali iudicio] Non extant eccleſiaſtica iudicij huius geſta; meminerunt tamen eorum Carthaginiēſis concilij patres quòd contra Pelagianos coijt epiſtola ſua ad Innocentium pontificem, numero apud Auguſt. 90. in qua ſe illa ſcribunt ad ipſum tranſmittere. Meminit & Auguſtinus lib. 3. contra Iulianum cap. 1. & epiſt. 89. Repetit verò inde quædam lib. De originali peccat. cap. 3. & 4.

cui ego non interfui] Addendam eſſe negationem liquet ex præfati lib. 3. contra Iulianum cap. 1. qui debellauit, inquit, apud Carthaginem Celeſtium, quando illic ipſe non eram.

In ſecundo libro quodam loco] Nimirum cap. 31. Suſtulimus autem præpoſitionem in, quæ repetebatur ante quodam loco.

ſeruans locum diligentiori de hac re inquiſitioni] Eam rem diligentius expenſam tractatamq́; habes lib. 20. De ciuitate Dei cap. 20. & quæſt. 3. ad Dulcitium. Conſule & Hieronymi epiſtolam 152. quæ eſt ad Minerium & Alexandrum.

IN LIBRI PRIMI CAP. I.

Quamuis in mediis & magnis curarum æſtibus atque tædiorum quæ nos detinent à peccatoribus derelinquentibus legem Dei] Alludit ad illud Pſalmi 118. Tædium tenuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam: ſic enim legit Auguſt. & tomo 8. concione 15. in eundem hunc Pſalmum, pro quo nos habemus, Defectio tenuit me pro peccatoribus, &c. Simili exordio vtitur epiſt. 145. ad Sebaſtianum. D

ſtudio tamen tuo Marcelline chariſſime] Hic ille Marcellinus eſt cuius ſuperioribus contra Donatiſtas libris frequens mentio, quiq́; in Carthaginienſi Catholicorum cum Donatiſtis Collatione cognitor ac iudex fuit. Scribit ad eum Auguſt. epiſtolam 158. in qua horum librorum mentionem facit; vt & Hieron. in fine lib. 3. contra Pelagianos.

Vt verum dicam] Exemplar vnum addit, vt verum audias, ſed omnino redundare videtur.

quibus hæc curæ ſunt] MS. pro hæc, legunt hæ, vt ad quæſtiones referatur; quædam tamen alterum habebant ſupraſcriptum.

IN CAP. II.

ſed ad mortem animæ] Præpoſitionem ad, conſtāter addunt MS.

quæ in peccato fit] Vetus Amorb. & Frob. editio habet ſit; quod malim; ſic enim & infrà cap. 9. ſed animæ quæ in ipſo peccato ſit: niſi quis fortè ſcribendum putet, quæ peccato fit.

ſine mortis periculo] manuſcr. duo pro periculo, legunt ſupplicio.

IN CAP. III.

ne fortè diutius hic viuendo] Sic MS. tria, quæ lectio viſa eſt ſequentibus accommodatior, quàm quæ prius erat, ne dum fortè diutius hic viueret.

vt animale ac mortale habens corpus] Pro ac MS. legunt hoc: alia duo, hoc eſt. Sed excuſorum lectioni fauet quod paulò infrà ſequitur; in corpore animali atque mortali.

Neque enim Enoch & Helias] Enoch & Heliam etiam nunc viuere, & reſeruari in ſecundum Chriſti aduentum; vt quemadmodum olim aduerſus Pharaonem & magos eius miſſi à Deo fuerunt Moſes & Aaron; contra Neronem & Simonem magum Petrus & Paulus Apoſtoli; ita & hi contra Antichriſtum & pſeudoprophetam eius Eccleſiā confirment, celeberrimum eſt in codicibus ſermonibusq́; fidelium. Id quod partim ex Malach. cap. 3. Eccleſiaſtici 44. & 48. cap. Matth. 17. & Apocal. 11. partim ex veterum PP. traditione videntur accepiſſe. Hoc enim ſcriptum reliquere primum ex Græcis Hippolytus lib. De Antichriſto & extremo iudicio. Origenes in cap. 17. Matthæi. Gregorius Nyſſenus lib. contra Iudæos, vbi capitis cuiuſdam eſt titulus, De aduentu Heliæ antè ſecundum Chriſti aduentum. Chryſoſt. qui licet homilia 22. in epiſt. ad Hebræos ſuperuacaneum eſſe ſcribat quærere quonam & quare tranſlati ſint, & vtrum adhuc viuant, & quomodo, & in quali habitu; tamen homil. 58. in Matth. & homil. 4. in ſecundam epiſt. ad Theſſal. conſtanter ait venturos ante ſecundum Chriſti aduentum. Quem ſequuntur Theophylactus & Oecumenius in 17. cap. Matth. ſimiliter & Arethas in cap. 11. Apoc. Denique Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 27. Ex Latinis verò Hilarius in 20. canonem Matth. Ambroſius in Pſal. 45. & in cap. 4. epiſt. 1. ad Corinth. vel quicunque eſt libri illius author. Hieronymus in 17. Matth. & in Pſal. 20. Auguſt. lib. 20. De ciuitate Dei cap. 29. lib. 4. De geneſi ad literam cap. 6. tractat. 4. in Ioannem lib. 1. quæſt. euang. 21. lib. 83. quæſt. 58. Author Comment. in Apocal. apud eundem homil. 11. Proſper lib. poſtremo de promiſsionibus & prædict. cap. 13. & ſequentibus. Gregorius papa lib. 14. moralium C cap. 11. & homil. 12. in Ezechielem. Beda in 9. cap. Marci. Poſtremo & Rhabanus tractat. de Antichriſto. Quorum tametſi quidam Heliæ ſolius aliquando meminerint, vtpote locum Matth. 17. tractantes; alterum tamen etiam ſubintellexiſſe tum ex aliis eorundem locis; tum ex reliquorum Patrum conſenſu haud obſcurè intelligi datur.

IN CAP. IIII.

ſunt & alia] Perperam hæc à ſuperioribus erant diuulſa.

Puto quod non expoſitore, ſed tantum lectore opus habet] Ita per ablatiuum MS. duo, quod magis placet quàm per accuſatiuum, vt cætera cum excuſis: nam & infrà lib. 2. cap. 36. per auferendi caſum extulit, peccati, inquit, remiſſione, & ſua redēptione opus habeat. Eſt tamen vbi & accuſatiuum addat dictioni opus, ſed accedente infinitiuo eſſe, de quo infrà ad præfati lib. 2. cap. 36.

IN CAP. VI.

Suffecerat enim ſic adiungere vitā ſpiritus] Sic MS. caſtigatiora. pro quo prius erat, Sufficeret enim ſi adiungeret vita ſpiritus.

vtrumque ad hoc poſſet referri] Ita tria MS. quod viſum eſt commodius quàm, ad vtrumque poſſet hoc referri.

ſi vt dubitari non poteſt] Ita MS. omnia, pro eo quod habebant excuſa non poterit.

in fidei iuſtitiam reſpiramus] MS. vnum habebat in fide iuſtitiæ: ſed non placet ea lectio; nam & infrà cap. 7. habes iuſtitiam fidei; quomodo etiam Apoſtolus loquitur.

IN CAP. VII.

ſed iam ſpiritum cœpiſſe viuere] Sic MS. omnia, pro quo excuſa habebant ſpiritu, ſed non rectè; reſpicit enim ad id quod præceſſit, ſpiritus autem vita eſt propter iuſtitiam: & quod paulò infrà ſequitur; iam propter iuſtitiam ſpiritus veſter viuit.

propter quam nunc ſpiritus vita eſt] Excuſa poſt voculam ſpiritus, addunt iam, quod in nullis extat MS. & ſanè redundat, niſi pro iam, legas etiam.

vt vitam in ſe mortem mortificando conuertat] Pro mortificando MS. vnum legit viuificando, ſed reliqua conſentiunt cum excuſis, quod & cum ſequentibus magis quadrat.

ſi ſecundum mortem vixeritis] Idem MS. pro mortem, legit

carnem: ſed alteram lectionem requirere videtur ſequens antitheſis.

ſi autem ſecundum vitam viuendo mortem mortificaueritis] MS. omnia vno dempto pro mortificando, legunt viuificando.

IN CAP. IX.

eius principem non Adam, ſed diabolum diceret] Sic infrà de nuptiis & conc. lib. 2. cap. 27. Epiſt. 89. Et ſerm. 14. De verbis Apoſt.

Sed præter hanc imitationem, gratia eius illuminationem] Sic MS. pro quo non rectè in excuſis gratiæ eius; hæret enim cum ſequentibus, non præcedentibus.

Hac enim gratia baptizatos quoque paruulos] Perperā prius legebatur, Hæc enim gratia: neque enim gratia ipſa, ſed Chriſtus corpus habet cui per baptiſmum paruulos inſerat.

dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis] Dubitatum aliquando fuit, vt liquet ex Innocent. 3. cap. Maiores, de baptiſmo, vtrum paruulis in baptiſmo præter originalis peccati remiſſionem habitualis etiam gratia conferretur, virtuteſq; infunderentur, & ſi non quo ad vſum, ſaltem ſecundum habitum aliquem: an verò ſolus Spiritus ſanctus inhabitans habituum huiuſmodi tantum loco fungeretur. Sed pòſt ſub Clemente 5. in Concil. Viennenſi, prior ſententia velut probabilior, & doctrinæ PP. Eccleſiæ magis conſona & conformis, recepta & approbata eſt. Eam manifeſtis verbis confirmat & Auguſtinus: & ſanè Baptiſmi ſacramentum lauacrum eſt regenerationis & renouationis, vt ait Apoſtolus ad Titum cap. 3. & ſine lumine gratiæ non pelluntur peccatorum tenebræ.

nobis obiiciunt intelligendi tarditatem, cū ea quæ tam perſpicuè dicta ſunt, in neſcio quid aliud detorquere conantur] Idem & hodierni hæretici Catholicis obijciunt.

nam ſi imitationis, per diabolum diceret] Illud ſi imitationis, adiecimus ex manuſcr.

IN CAP. X.

Si enim peccatum intellexeris quod per vnum hominem intrauit in mundum] Quid in illo Apoſtoli loco, in quo omnes peccauerunt, referat relatiuum quo, minus eſt in Græcis ambiguum, vbi peccatum quod illis eſt ἁμαρτία; generis eſt feminini. Pleniorem eius loci tractationem habes lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 4.

certè manifeſtum eſt alia eſſe propria cuique peccata] Ita conſtanter legunt MS. pro eo quod erat in excuſis certum manifeſtumq; eſt. Diſtinguit autem hic Auguſt. actuale peccatum ab originali.

in quo omnes peccauerunt, quando omnes ille vnus homo fuerunt] ſic infrà lib. 3. cap. 7. quando in eius natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt. Et lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 5. Per vnius illius voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes vnus fuerunt. Item ſerm. 7. De verbis Apoſtoli: In quo, inquit, omnes peccauerunt, omnes enim vnus fuerunt. Et epiſtola 106. Quicunq; enim ex illo vno multi ex ſeipſis futuri erant; tunc in illo vnus erant.

Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare] Miror quis contra [...]ulinam & MS. lectionem legendum putarit iuſtificare, cùm alterum illud vetus quoq; Amorbachij & Frobenij habeat editio.

IN CAP. XI.

Scio quidem pleroſque Latinos codices ſic habere] Idem admonet epiſtola 89. ad Hilarium, in qua totum hunc Apoſtoli locum ſimiliter contra Pelagianos diligenter tractat & explicat.

ex morituro morituri, damnatoque damnati] MS. quædam legunt damnandi, ſed quæ lectio in aliis erat correcta.

in multos abundauit] MS. duo legunt futuro tempore abundabit, quomodo & paulò infrà. Priori lectioni fauet Apoſtoli textus, quem ſimiliter legit Auguſt. epiſtola 89.

ita eſt & donum] verbum eſt non legunt manuſcr. hoc loco; legunt tamen pòſt cap. 13.

IN CAP. XIII.

ſed tantùm originale traduximus] MS. vnum traximus legit.

Alioquin non ob vnius delictum] Excuſa legunt Alioquin non ſolùm, ſed non eſt in MS. nota illa ſolitudinis, & abeſſe poteſt ſine vlla ſententiæ iactura.

IN CAP. XIIII.

in quo omnes imitatione peccauerint] Ita malim cùm MS. quàm peccauerunt, cum excuſis; tum quia id potius foret aſſerentis; tum quia pòſt ſequitur quod huic reſpondet iuſtificentur.

omnes imitatione iuſtificentur] Loco omnes, MS. conſtanter legunt homines, ſed alterum germanius eſſe liquet ex ſequentibus, vbi ait, Porro ſi propterea Chriſtus eſt in quo omnes iuſtificentur. Et iterum, Ob hoc etiam dictum eſt omnes & omnes.

ſiue hic ſiue ibi dicerentur] Ita commodius MS. quàm diceretur, quod erat in impreſſis.

iuſti conſtituentur multi] Sic cum Apoſtolo manuſcr. pro conſtituuntur.

generante carne illud tantummodo trahitur quod eſt originale peccatum] Ambiguè ea de re loquitur, nec definire audet Enchiridij cap. 47. Hic firmam eius definitamq; habemus ſententiam.

IN CAP. XV.

in damnatione omnium mitiſſima futuros] Idem habet Auguſt. Enchiridij cap. 93. & lib. 5. contra Iulian. cap. 11. & Beda lib. 1. in Cantica canticorum contra eundem Iulianum cap. 5. ſub finem.

non perficientem, ſed conſumētem] Duplicem finem inſinuat; alterum ad quem res tendit tanquam quo perficiatur, alterum quo finitur & conſumitur. Vide Auguſt. tract. 10. in canonicam Ioannis.

IN CAP. XVI.

Sic & in Eccleſiaſtico] In MS. eſt, Sicut in Eccleſiaſtico: & mox loco morimur, quædam legunt moriuntur, ſicut & vetus Amorbachij ac Frobenij editio. Sed alterum habent etiam Septuaginta.

Siue autem à muliere ſiue ab Adam dicatur] Diſputatur apud Scholaſticos an originale peccatum non à patre tantùm, ſed à matre etiam contrahatur: Auguſtinus ſentire videtur quòd ſic, non hoc tantùm loco, verùm etiam in illud Pſal. 50. Libera me de ſanguinibus Domine, & tractatu 2. in Ioannem, ad illud, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis. Quò pertinet locus eiuſdem ex lib. 2. operis alterius contra Iulianū, à Beda citatus; in repetita expoſitione dicti illius ad Rom. 5. Sicut per vnum hominē. Ambroſius præterea productus ab Auguſt. lib. 1. contra Iulian. cap. 3. Eidem quoq; inſcriptus Commentarius in epiſtolas Pauli, in illud ad Roman. 5. Sicut per vnum hominem. Anſelmus in eundem locum. Hugo de S. Victore in quæſt. ſuper eundem locum. Theophylactus & Beda in illud Ioannis 1. qui non ex ſanguinibus.

IN CAP. XVII.

quàm ſit abſurdum nec dignum diſputatione quod dicunt] Nec minus abſurda eſt Lutheri ſententia perſonalem infantibus tribuens fidem ſeu fidei motum. Vbi autem dubitarit Auguſtinus an infantes proprium habeant vitæ huius peccatum, quod ei marginalis impingit annotatio, iam non occurrit, nec reperiri poſſe arbitror; niſi fortè reſpexit ad locum cap. 7. lib. 1. Confeſſ. vbi ſic ait: Quis mecum commemorat peccatum infantiæ meæ? Et mox, Quid ergo tunc peccabam? Ac iterum, Tunc ergo reprehendenda faciebam. Aliquanto verò poſt, Ita, inquit, imbecillitas membrorum infantilium innocens eſt, non animus infantium. Et infrà: Niſi verò & iſta innocentia eſt, &c. denique, Sed blandè tolerantur hæc, non quia nulla vel parua, ſed quia ætatis acceſſu peritura ſunt. Verum agit hic in primis Auguſtinus de infantibus nondum baptizatis, obnoxiis adhuc originali peccato, vt liquet ex producta ſcriptura Iob 14. quæ niſi de illius ſordibus accipiatur; ad infantes non pertinet, vt annotauit Iuſtinus lib. quæſt. ad Orthodoxos quæſt. 88. Nam vocem infans, non legunt 70. Nōdum autem baptizatorum etiam infantium animus rectè dicitur innocens non eſſe, ſed ab originis malo, non autem à motibus qui ab ignorante in ea ætate proficiſcuntur: Et ſunt quidem mali illi, vitioſi & reprehendendi; proprij tamen nominis peccata non ſunt, ſic tamen dici per tropum poſſunt, quo praui concupiſcentiæ motus nobis non conſentientibus iam exurgunt, quia videlicet peccato facti ſint. Hanc eſſe Auguſtini mentem diſcere licebit ex lib. huius De peccatorum meritis cap. 35. quod eſt velut Commentarius et explicatio cap. illius 7. lib. 1. Confeſſionū: cui addere licebit lib. 10. De geneſi ad literam cap. 13. & ſerm. 7. De verbis Apoſtoli. Cæterùm argumentum quoddam eorum qui perſonale tribuebant infantibus peccatum, proponit ac refellit Auguſt. epiſt. 106. ad Paulinum.

alicuius alterius ſententiæ] Non rectè in excuſis vlterius.

quo accuſatus ei reſpondere non poſſet] Ad ſenſum retulit, aut legendum accuſata; de infantia enim loquitur.

IN CAP. XVIII.

Sed illi mouent] Eandem rem tractat & infrà cap. 20. ſerm. 14. De verbis Apoſtoli, & lib. De peccato originali cap. 18. 19. 20. & 21.

ſi nec originaliter vllo impietatis vinculo detinentur] Miror vnde pro impietatis, irrepſerit pietatis; cùm ita legant conſtanter non tantùm MS. ſed & vetus Amorbachij ac Frobenij editio.

Si nulla originalis peccati ægritudine] MS. duo ita legunt, Si nulla originali ægritudine peccati: ſed nos alterum prætulimus.

Nunquam dictum eſt, nunquam dicitur, nunquam omnino dicetur] Pro nunquam dicitur, MS. conſtanter legunt nunquam dicatur; quod malim niſi tres facere temporum differentias videretur.

IN CAP. XIX.

Si enim hoc non propter humilitatis ſimilitudinem, quòd humilitas paruulos faciat, ſed propter puerorum vitam laudabilem dictum eſt] Græci & cum eis Hieron. in nomine paruulorum totius vitæ innocentiam ſignificatam dicunt, ſed cuius prima pars humilitas eſt. Illi reſpiciunt ad illud 1 Cor. 14. Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Auguſtinus ad illud Matth. 11. Confitebor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et 1 Regum 15. Nonne cùm paruulus



paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es? &c.

ſed cùm dictum eſſet] In MS. duobus factum hinc erat, ſed cùm dicit cùm eſſet: quod cùm nullum haberet ſenſum, Amorbachius poſteriores duas voculas ſuſtulit; quem deinde cæteræ ſunt editiones ſecutæ: ſed veram lectionem MS. vnius præſidio reſtituimus.

Si autem propterea rectè fideles vocantur] Sic & infrà cap. 20. & 27. & lib. 3. cap. 2. Item epiſtola 23. & ſerm. 14. De verbis Apoſtoli. Cæterùm Lutherus proprium eis quoq; fidei motum contra ſenſum omnem humanum tribuere conatus eſt.

Totum hoc in ſpe fit vi ſacramenti] Vi ſacramenti baptiſmi fieri ait, vt infantes actu poſtea credant & pœnitentiam agant: non ſunt ergo ſacramenta nuda ſigna, vt hodie docent hæretici. Similes Auguſt. ſententias inuenies & ſuprà annotatas ad cap. 4. lib. 4. De baptiſmo contra Donatiſtas. Cæterùm MS. vnum legit, vi huius ſacramenti.

Perficietur in illo lumine] Sentit ergo Auguſtinus, animas defunctorum ſolutis peccatis mox ad Dei conſpectum admitti, quod ex ſequentibus confirmatur, vbi ait; Peccata enim ſola ſeparāt inter homines & Deum; loquitur autem de ſeparatione non huius vitæ, ſed futuræ. Similia eius loca annotauimus ſuprà ad cap. 17. lib. 5. contra Donatiſtas.

Peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum] Sic de ſpiritu & lit. cap. 25. & lib. 10. De ciuitate Dei cap. 22.

IN CAP. XX.

ſed ait, non intrabit in regnum cælorum] Pro cælorum, quod conſtanter legunt MS. in excuſis erat Dei; ſed alteram lectionem habes etiam paulò ſuperius.

non quidem hoc de ſacramento lauacri dicentem] MS. vnum addebat ſancti, ſed quod ex ſequenti ſententia repetitum videtur.

An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit, quòd ad paruulos hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione corporis huius & ſanguinis in ſe habere vitam] Similes ſententias habes & alibi, vt infrà eodē hoc cap. & cap. 24. & lib. 3. cap. 4. Lib. De peccato orig. cap. 18. Lib. 3. cōtra Iulian. cap. 12. Ser. 8. De verbis Apoſtoli. Epiſtola 106. ad Paulinum. Hypognoſt. lib. 5. cap. 5. Sic & Innocent. pontifex epiſtola apud Auguſt. 93. Falluntur autem qui putant his locis vel Innocent. papam, vel Auguſtinum in ea fuiſſe ſententia, vt putarint Euchariſtiæ ſacramentum non tantùm infantibus dari poſſe (quod & Cypriani ætate, vt liquet ex lib. eius De lapſis, eis datum eſſe ſcimus) ſed ad ſalutem etiam eis neceſſarium eſſe. Nam B. Auguſt. non vno loco prorſus diuerſum docet, ſoli baptiſmo ſalutem eorum adſcribēs. Sic enim ait ſuperiori cap. Quis ignorat, inquit, quòd baptizatus paruulus, ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ſe ab illicitis concupiſcentiis abſtinuerit, nihil ei proderit quod paruus accepit? Verùtamen ſi percepto baptiſmate de hac vita emigrauerit; ſoluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum iuſtificatos præſentia creatoris illuminat. Et addit: Peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum, quæ ſoluuntur Chriſti gratia; per quem mediatorem reconciliamur, cùm iuſtificat impium. Cap. 21. baptiſmo fieri ait, vt paruulus intret in regnum Dei. Et cap. 22. ſi quis, inquit, baptizetur & rapiatur ex hac vita, ſaluari eum ait nulla facta Euchariſtiæ ſacramenti mentione. Similiter & infrà lib. 2. cap. 28. fit, inquit, in baptiſmo plena remiſſio peccatorum: deniq; ſi continuò conſequatur ab hac vita migratio, non erit omninò quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebāt. Epiſtola verò 106. ait infantes beneficio regenerationis vitam æternam, ſi moriantur, accipere. Ex quibus facilè intelligimus non ſenſiſſe Auguſtinum ſpecies ipſas ſacramentales præter baptiſmum infantibus eſſe neceſſarias, nam alioqui ſibiipſe foret contrarius. Quid ergo voluit ſibi verbis illis; dicet aliquis; nam de Euchariſtiæ ſacramento apertiſſimè loquitur, illud contra baptiſmum diſtinguens. Loquitur haud dubiè de altero illo ſacramento, verùm non de viſibili & ſacramentali eius ſumptione, ſed de ſpiritali, de re nimirum & virtute ſacramenti, cuius participes fieri ait infantes, quando per baptiſmum Chriſti corpori, quod eſt Eccleſia, incorporantur; vnumq; cum Chriſto, fiunt, vitam ſimul ac ſalutem ab eo haurientes. Atque hanc eſſe Auguſtini mentem clariſſimè oſtendunt, quæ habet ſermone quodam de infantibus, quæq; iam olim & Beda citauit ad cap. 10. prioris epiſt. ad Corinthios, retulitq; in decretum ſuum Gratianus de cōſecrat. diſt. 2. cap. Quia paſſus eſt Dominus. Ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inquit, nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis & vnitatis noſtræ in menſa conſecrauit. Qui accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Nulli eſt aliquatenus dubitandum, vnumquenque fidelium corporis & ſanguinis Dominici tunc eſſe participem, quando in baptiſmate membrum efficitur Chriſti; nec alienari ab illius panis calicisq; conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat calicemq; bibat, de hoc ſeculo migrauerit, in vnitate corporis Chriſti con-



ſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipſe hoc quod illud ſacramentum ſignificat, inuenit; aut, vt legit Gratianus; quando in ipſo hoc, quod illud ſacramentum ſignificat, inuenitur. Id quod apertè ſignificant & loca quædam ſuperius citata, vt ille lib. 3. De peccat. merit. cap. 4. Nunquid etiam illud, inquit, Quia niſi manducauerint homines carnem eius, hoc eſt, participes facti fuerint corporis eius, nō habebunt vitam? Vbi per corpus Chriſti; Eccleſiam intelligit. vnde & ſubdit, ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui vt incorporentur; ſacramento baptiſmatis imbuuntur: Et alter ex Innocentij epiſtola, quæ eſt apud Auguſt. numero 93. Illud verò, inquit, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim mādacauerint carnem filij hominis & biberint ſanguinem eius, nō habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cū prædicant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate, inquit, conferendum.

Non hoc iudicat Eccleſiaſtica regula] MS. duo legunt indicat.

IN CAP. XXI.

& retribuetur ei] Sic MS. & vetus Amorb. Frobenijq; editio: pro quo cur in poſterioribus mutatum ſit, vt retribueretur ei, neſcio, præſertim cùm alterum illud cum Apoſtolo conſentiat.

ad diſcutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus non iniquam] Sic MS. cum Amorbachio: vbi illud non iniquā in prima Frobenij editione deprauatum eſt in non inquam. Reſpicit enim ad id quod prius dixit, Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, iniuſta eſſe non poteſt; nunquid enim iniquitas eſt apud Deum?

Quid illud? quem non moueat] In excuſis interiecerat quiſpiam verbum eſt, cùm nec in MS. nec apud Amorbachium, nec prima Frobeniana reperiatur, imò verò ſenſum perturbet.

IN CAP. XXII.

Nondum enim natis, nec qui aliquid egerāt boni aut mali] In MS. omnibus, pro nec qui, erat neque, vt ſubaudiatur cum. Pro altera lectione facit quod habes ſermone 7. De verbis Apoſtoli, vbi bis omnino legitur, nec quia aliquid egerant: ſed mēdum eſſe arbitror. quia enim ſequens dictio à vocali a incipit, viſa eſt eadem interſonandum, ad finem etiam prioris dictionis pertinere. Epiſt. 106. ad Paulinum ita hunc locum citat, nondum enim natis, nec aliquid agentibus boni aut mali.

An fortè illud iam exploſum repudiatumque ſentiendū eſt, quod animæ prius in cæleſti habitatione peccantes] Idem refellit lib. De originali peccato cap. 31. epiſtola quoque 157. ſerm. 7. De verbis Apoſtoli & alibi. Errorem eum Hieronymi tempore reſuſcitare conati ſunt per Orientem Origeniſtæ; de quo is Demetriadem virginem admonet epiſtola 8. quæ eſt de ſeruanda virginitate. De eodem & Paulam Euſtochij matrem à quodam ſcribit ſollicitatam, epiſtola 27. quæ eſt Paulæ ipſius epitaphium. De quo & epiſtola 61. ad Pammachium aduerſus errores Iohannis Hieroſolymitani.

Vbi duo iſti tam diuerſa merita contraxerunt] Vtrumque Dei gratiæ eſt, vt & ſis vbi audias Chriſti prædicationem, & auditam recipias & amplexeris. De vtroq; munere agendæ ſunt Deo gratiæ, neutrum noſtris meritis adſcribendum. Quare parum piè fecit qui irridentis notam ω, ad marginem hic in excuſis adpingendam putauit.

Si in cælo egerunt] Noua hic facienda periodus, vt hæc non cum præcedentibus, ſed ſequentibus hæreant.

aut alicui cohæſit Apoſtolo, cuius prædicatione mutatus, & per lauacrum regenerationis ſaluus effectus eſt] Auguſt. quæſt. 84. in Leuiticum, & lib. 4. contra Donatiſtas cap. 22. item lib. 83. quæſtionum, quæſt. 62. ſentit latronem illum, cui paradiſum Dominus in cruce addixit, baptizatū non fuiſſe: ſed priores duos locos retractat. lib. 2. cap. 18. & 55. vbi & tertius retractatus debet intelligi, incertum id volens relinqui, quo modo & hic ambiguè loquitur & lib. 1. De origine animæ cap. 9.

Quid huic reſpondeant] Ita legendum, pro eo quod erat in excuſis, Quid huic reſpondeant. quam Auguſtini loquēdi conſuetudinem ſuprà annotauimus ad cap. 7. lib. De vnico baptiſmo. Vnum tamen MS. habebat, Quid hic reſpondeant.

vt etiam cirrati ad mouendum riſum] Cætera excuſa omnia legunt curati, pro Cirrati: ſed occurrit & infrà vox iſta.

vel in ſeipſo religionis] Excuſa addunt reuerentia, ſed non eſt in MS. & ſententiam obſcuram reddit, ne dicam corrumpit.

minimè dubitemus] In excuſis etiam Amorbachianis addebatur naſci, ſed hoc redundare aut ſaltem infinitiuum eſſe, qui antecedit, facilè intelligi poteſt. Et Louanienſis quidem editio ſuſtulit eſſe, reliquit naſci, quod & ipſe mallem niſi reclamarent MS.

IN CAP. XXIII.

Nulla igitur ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus quam non promittit ſcriptura diuina] *Ergo ſecundum Auguſtinum non rectè ſentiunt, qui infantibus in caſu neceſſitatis per ſolam parentum fidem aut votum audent ſalutem polliceri. Rectè autem addidit* ex noſtro arbitrio, *martyrium enim pro Chriſti nomine illatum etiā ſine baptiſmo infantilē ſaluat ætatem: id enim ex diuina authoritate & apoſtolica traditione credit Eccleſia, Bethlehemiticos infantes pro martyribus celebrans; inter quos non defuiſſe qui circumciſi nondum eſſent, minimè eſt dubitandum.*

IN CAP. XXIIII.

Ego ſum panis viuus] *In excuſis erat* panis vitæ, *quod magis etiam placebat, ſed alterum habent conſtanter manuſcr. quibus & Græca conſentiunt.*

pro infantibus baptizandis] *Ita caſtigauimus ex* MS. *pro quo erat* baptizatis.

IN CAP. XXV.

nec ſint hæredes Dei] *pro* ſunt.

Adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecus] *Idem tractat lib. De gratia Chriſti cap. 13. & 14. attingit & in fine concionis de Geſtis cum Emerito.*

B Sed ſicut ſol iſte à cæcis] *Addunt excuſa* non videtur, *ſed non eſt in noſtris* MS. *& commodius abeſt.*

qui eſt lumen verum] MS. *legunt* quod eſt, *nos excuſorum reliquimus lectionem.*

& non abſurdè hoc intelligi] *In excuſis erat* abſurdè de hoc, *ſed non habent eam præpoſitionem* MS. *& alioqui redundare videtur.*

quæ cor maternum eis præſtat] MS. *conſtanter legunt*, quæ corde recto maternum eis præſtat affectum, *niſi quòd pro* affectum, *vnum habeat* ſinum. *Nos quod in impreſſis erat retinuimus, quo modo & Amorbachius legit.*

IN CAP. XXVI.

ac ſic fieret mediator Dei] *Pro* ſic, *non rectè* ſi *legebatur.*

Et quoniam ad hanc pertinet baptiſmus] *Sic rectè* MS. *ſentit enim baptiſmum inſtrumentum eſſe quo vita, ſalus, liberatio, &c. nobis diſpenſantur. In excuſis erat*, Et quoniam ad hanc pertinent per baptiſmum. *Propius ad veritatem accedunt reliquæ editiones, in quibus eſt* pertinet.

vt oblati per ſacramentum charitatemque fidelium] MS. *conſtanter legunt* abluti: *quod ſacramento quidem rectè, charitati verò non ſatis commodè tribuitur.*

IN CAP. XXVII.

C Quis autem neſciat credere eſſe infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?] *Locus hic Marci cap. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur, quanquam propriè ad adultos pertineat, vt quibus ſolis (quod in [illegible]em Chriſti verbis antecedit) Euangelium prædicari poſſit: tamē non incommodè ad infantes referri etiam poteſt; ſed eo ſenſu quo facit hic Auguſtinus. Nam cùm per ſe ipſi credere actu non poſſint, accommodat illis mater Eccleſia fidem ſuam, quam & per ſuſceptorum ora ipſorum nomine profitetur; ſed quæ non antè eis proderit nec imputabitur, quàm baptiſmi ſacramentum ſuſceperint, quo Eccleſiæ incorporati, participes fiunt communis fidei, ipſoq; facto & ſuſceptionis actu, eam ſe ſeruaturos pollicentur. Vnde & baptiſmus fidei ſacramentum appellatur, eoq; fit vt ad profitendam & retinendam Eccleſiæ fidem cogi & compelli poſteà poſſint. Rectiſſimè ergo ab Auguſtino dictum eſt*, credere infantibus, id eſſe quod baptizari, non credere autem non baptizari. *Quia, vt iam dixi, per baptiſma fides illis Eccleſiæ applicatur; communicaturq; eius meritum; & niſi ſuſcepto fidei hoc ſacramento, non inter fideles, ſed infideles cenſebuntur. Qua de re conſulere licebit & epiſtolam eius 23. Quare imperitiam ſuam prodiderunt qui Auguſtinum reprehendere volentes aſininam hic vocem ad marginem rurſus adſcripſerunt.*

D quem cùm videritis] *Perperam legebatur* videretis. *Et mox pro* exultabitis, *quo modo conſtanter legunt manuſcr. erat in excuſis* gaudebitis.

octo homines ſaluos factos] MS. *vnum habet* octo animas ſaluas factas: *ſed videtur quiſpiam voluiſſe locum ad Apoſtoli lectionem immutare.*

ſimili forma baptiſma ſaluos facit] *præſenti tempore, non præterito: ſic enim* MS. *omnia, & Apoſtolus ipſe. Idem annotatum & ſuprà ad lib. 4. contra Donatiſt. cap. 2.*

ſocietatem habentes in inuicem] *Præpoſitionem* in, *& mox vocem* Chriſti, *ex* MS. *adiecimus.*

In hoc, inquit, manifeſtatus eſt filius Dei] *In excuſis non rectè legebatur* manifeſtus, *nam alterum habes etiam tractatu 4. in canonicam Iohannis, vbi itidem* ſoluat *legitur, non* diſſoluat, *quo modo habent hic & manuſcr.*

A quem propoſuit Deus propitiatorē] *non rectè* propitiatoriū.

propter remiſſionem præcedentium delictorum] *Mirum vnde in* MS. *pro* remiſſionem, *conſtanter legatur* propoſitum.

deputetur fides eius] *Ex* MS. *addidimus* eius.

Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt] *Sic cōſtanter* MS. *pro eo quod erat*, Et pro omnibus vnus mortuus eſt, vt & qui viuunt. *Illud conſentit magis cum Græcis.*

inter homines mortuos ſunt] *Hæc erat caſtigatiſſimi exemplaris vnius lectio, quæ magis placet quàm* mortui, *quo modo cum cæteris* MS. *legebant excuſa.*

vt duos conderet in ſe in vnum hominem nouum] *Poſterius* in, *adiecimus ex* MS.

deponere vos ſecundum priorem conuerſationem] *Excuſa habebant* nos, *ſed cum* MS. *etiam Græca conſentiunt.*

in circunciſione Chriſti] *Omiſimus voculam* ſed, *quæ in excuſis hic præponebatur: deerat autem in* MS. *quodam, nec eſt in Græcis.*

Ad Hebræos quoque epiſtola] *De epiſtolæ ad Hebræos authoritate canonica conſtantem habes Auguſtini ſententiam lib. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 8. & concilij Carthaginienſis 3. cap. 47. cui Auguſtinus ipſe interfuit.*

B non enim habemus pontificem] *Parum intereſt an* ſacerdotem *cum impreſſis legas, an* pontificem, *cum* MS. *niſi fortè legendum ſit* principem ſacerdotum, *quo modo paulò pòſt vertit vocem Græcam* ἀρχιερεὺς.

locutus eſt nobis in filio] *Excuſa addebant* ſuo, *ſed non eſt nec in* MS. *nec in hodiernis Græcis aut Latinis.*

iuſtum, ſine malitia] MS. *conſtanter legunt* ſine macula, *non hic tantùm, ſed & infrà lib. 2. cap. 13. ſed nimirum genuinum eſt quod habent excuſa, eſt enim Græcis* ἄκακος.

altiorem à cælis factum] *Sic* MS. *non hoc modò loco, verùm etiam infrà lib. eiuſdem 2. cap. 13. conſentientibus illic & excuſis.*

vos autem ſanctum & iuſtum inhonoraſtis] *Ita exemplar illud inter* MS. *caſtigatiſſimū; pro quo in excuſis & reliquis* MS. *erat* oneraſtis: *neutrum eſt hodie in Græcis vel Latinis.*

Sed quid adiungit?] *Mendosè excuſa*, Sed quod adiungit.

tanquam innouatorum] MS. *duo legunt* mundatorum: *vnum illud cæteris caſtigatius vtrunque habet*, tanquam mūdatorum, tanquam innouatorum.

C Poſtea verò filij Dei, homini nouo nomen nouum, cāticum nouum, cantanti nouum, per teſtamentum nouum] *Locus deprauatus, &* MS. *quidem non legunt illud* cantanti nouum, *ſed nondum reſtituunt ſententiam. Auguſtinus in Commentario huius loci nomina hæc innouata recenſens, vocari ait filios Dei, iuſtos, fratres Chriſti. Infrà lib. 3. cap. 2. has facit nominum antitheſes, filij carnis & ſpiritus, filij ſeculi & Dei, filij iræ, & miſericordiæ, filij mortis & reſurrectionis.*

Qui totus prophetiæ locus apud Eſaiam eſt, quo per Philippum ſibi expoſito] *Ita hunc locum ex* MS. *reſtituimus, pro quo prius nullo ſenſu legebatur*, apud Eſaiam quoque per Philippum ſibi expoſito.

Dabo ergo malos propter ſepulturam eius] *Ita conſtanter* MS. *In Græcis eadem vox eſt quæ mox ſimiliter redditur*, & diuites propter mortem eius.

nec dolum ore ſuo] *Excuſa addebant* in, *ſed non eſt nec in* MS. *nec in vetere Amorbachij vel Frobenij editione, nec in Græcis.*

hæreditabit compluresq] *Sic* MS. *pro* quàm plures.

Euangelizare pauperibus miſit me] *In excuſis erat* humilibus; *ſed alterum habent conſtanter manuſcr. conſentientibus Septuaginta & Luc. cap. 4.*

D vt refrigerem qui in preſſura cordis ſunt] *In* MS. *erat* refrigerent, *vti & apud Amorbachium, inde natum in Frobenianis & Lutetianis* refrigerentur. *Vera lectio eſt* refrigerem: *Græcis eſt infinitiuus, quo modo reddita ſunt ſequentia.*

pertulit in corpore ſuo] *Præpoſitionem addebant* MS.

IN CAP. XXVIII.

Tanquam ſi dicamus] *Similem interpretationem habes ſuprà cap. 25. lib. De natura & gratia cap. 41. De nuptiis & concupiſc. lib. 2. cap. 27. lib. 4. contra Iulianum cap. 8. lib. 6. cap. 12. lib. De prædeſt. ſanctorum cap. 8. epiſtola 107.*

Sed cuiuis claret] *Hanc duorum* MS. *lectionem præferre viſum eſt præ illa alterius*, Sed citius claret; *& excuſorum*, Sed cuiuis claret ingenium. *Significare enim velle videtur, omnibus notum eſſe rectiſſimè vtrumq; hoc dici, omnes excipit, omnes docet; vbi tamen vniuerſalitas illa commodè ſit accipienda. Vtitur autem & alias libenter Auguſtinus verbo* claret, *de quo diximus aliquid ad cap. 55. lib. 3. contra Creſc.*

IN CAP. XXIX.

Voluntas iſta, non voluptas illa nuptialis eſt] *Hæc in duobus* MS. *non leguntur, & fortè ex margine tranſlatum in contextum.*

Hoc eſt



A Hoc eſt malum peccati in quo naſcitur omnis homo] *Cùm alibi in ipſa generali concupiſcentia mala ſeu peccandi propenſione ac deſiderio originale peccatum ſtatuat; hic eam accipit quæ circa venerea eſt, in qua nimirum ipſa corruptio naturæ potiſſimum ſe exerit. Eòdem refert lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 25.*

ita qui dat virginem ſuam nuptum] *Ita* MS. *omnia, non* nuptui. *Certè Auguſtinus lib. De ſancta virginitate cap. 18. Qui dat, inquit, ad nuptum, bene facit; qui non dat ad nuptum, melius facit. ſic & cap. 21. Et fortaſſe ſuſtulit illinc quiſpiam præpoſitionem.*

non erigantur in ſuperbiam erroris alieni] *manuſcr. conſtanter legunt* ſuperbia.

IN CAP. XXX.

quoniam nullius peccati vinculo] *Genitiuum* nullius, MS. *omnia per ablatiuum efferunt.*

quia iuſtitia] *Ita hunc locum ex* MS. *reſtituimus, pro quo erat deprauatè*, quia per iuſtitiam.

ex aqua & ſpiritu] *manuſcr. conſtanter addunt* ſancto: *ſed quia aliquanto pòſt non legunt, nec eſt in Græcis vel Latinis, omittendum putauimus.*

hic venit ad Ieſum nocte] *Pro* Ieſum, *erat in vulgatis* eum.

B Si terrena dixi vobis & non crediſtis] MS. *conſtanter legunt* creditis. *Auguſtinum tamen alterum legiſſe liquet ex cap. proximo, vbi hanc ſententiam ſuis verbis repetens*, addidit etiam, *inquit*, ſe illis terrena dixiſſe, nec eos crediſſe.

Et nemo aſcendit in cælum] *Copulam adiecimus ex manuſcr. ſuffragantibus Græcis.*

deinceps in alind narrator abſcedit] *Sic rectius* MS. *quàm* accedit, *quod habebant excuſa.*

IN CAP. XXXI.

quod alij credent] MS. *conſtanter legunt* credant; *ſed reliquimus quod erat in impreſſis.*

ne quaſi duo Chriſti accipiantur] *Excuſa habebant*, ne quaſi iſta duo Chriſti, *ſed redundat illud* iſta, *nec eſt in* MS.

& verbum erat apud Deum] *Hoc ex* MS. *adiecimus.*

IN CAP. XXXIII.

Deinde ſic conſequēter dicit] *In excuſis erat*: Deinde ſi quod conſequenter dicit. MS. *duo*, Deinde ſi conſequenter dicit; *vbi ob ſequentem eandem literam c, facili lapſu prior euanuit.*

periturus ergo paruulus eſſet] *Sic duo* MS. *pro* periturus erat paruulus.

dum interim ſic venit] *Non caret hic locus ſuſpicione mendæ.*

C vt non alienentur paruuli] MS. *conſtanter legunt*, non alienentur paruuli, *ſine* vt.

IN CAP. XXXIIII.

credere inter cætera remiſſionem peccatorum] *Nō eſt in* MS. *præpoſitio* in, *quam hic addebant impreſſa: & rectè. neque enim in remiſſionem, ſed ipſam remiſſionem credimus peccatorum.*

nam paruulis baptizatis] *Sic* MS. *pro quo non rectè excuſa*, nam ſi paruulis.

ſuæ vitæ propriæ] MS. *legunt* proprium: *ſed cum impreſſis facit quod habes infrà capite proximo*, quid mali in hac propria ſua vita.

IN CAP. XXXV.

ſi fortè quod plorat] *Legendum videtur*, niſi fortè.

quas dum eſurit exigit] MS. *quoddam legit* exigit.

riſus iocuſque delectat] *Sic malim cum* MS. *quàm* delectant: *ſequitur enim* quaſi abſurditate conditus.

IN CAP. XXXVI.

& quid ait vox illa] *Sic* MS. *pro* agit.

D Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ] MS. *tum hic tum paulò pòſt legunt*, ignorantias meas: *ſed alteram lectionem habes apud Auguſtinum etiam in tomo 8. vbi Pſalmum hunc 24. explicat, & lib. 3. De lib. arbitrio, cap. 18. Vox Græca* ἀγνοίας *puncto vel ſubiecto vel detracto nunc genitiui nunc accuſatiui eſt caſus.*

IN CAP. XXXVII.

Si hæc naturæ puræ non ſunt, ſed vitioſæ primordia] *Ita hunc locum emendauimus ex manuſcr. quodam longè omnium caſtigatiſſimo: prius erat*, Si hæc natura pura non eſt, ſed vitioſa primordia.

non eſt creatus in carne peccati] *Aberat in excuſis negatio.*

IN CAP. XXXIX.

Ac veluti factum non fuerit habeatur] *Simile huic eſt quod ait lib. 1. retract. cap. 19. Omnia mandata, inquit, facta deputantur, quando quicquid non fit ignoſcitur.*

Ipſa verò ſoluto reatus vinculo, quo illam diabolus animam captiuam retinebat] MS. *legunt* quo per illam, *fortè* quo illam, *ſcilicet mentem* diabolus captiuam retinebat.

*Appendix tom. 7.*

# IN LIBRVM SECVNDVM
## DE PECCATORVM MERITIS
### ET REMISSIONE CAPVT I.

Diligentia vel facultate] *ſic* MS. *& vetera excuſa tum Amorb. tum Frobenij: quam malim quàm* facilitate, *quod in noſtris erat.*

IN CAP. II.

vt pro tali accipiendo beneficio] *Ita rectius quàm cum excuſis*, vt pro adipiſcendo beneficio.

IN CAP. III.

Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita migraret, manente illa ſententia, quod quicunq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, niſi poſt paululum ſequeretur] *Non quia veniale peccatum ſi ſolùm ſit, natura ſua dignum quenquam faciat morte æterna, cæleſti autem regno indignum; ſed quia niſi Chriſti ſanguine ab eo emundatus nemo illuc admitti poteſt: quæ remiſſio quanquam miſericordiæ eſt, eam hic tamen iuſtus quiſq; cùm viueret, pietatis & miſericordiæ operibus debitam ſibi fecit. Iuſto enim etiam ſi non careat leuioribus peccatis, tamen ob præualentem & dominantem in eo iuſtitiam, debetur vitæ æternæ præmium, quo & dignus eſt. Debetur ergo illi & ea miſericordia, ſine qua ad eius poſſeſſionem admitti nō poteſt: nam ab eo quod cuiquam iure debetur, in æternum excludi foret ſanè iniuſtum. Veniale ergo peccatum à vita æterna iuſtos remoratur, ſolum verò mortale eſt quod ſua natura prorſus excludat.*

IN CAP. V.

B Sicut enim corporis oculus] *Similitudinem hanc repetit lib. De natura & gratia, cap. 26. in fine: attingit & epiſt. 106.*

quid aliud dicimus, quàm da quod iubes?] *Hac oratiuncula vtitur lib. 10. Confeſſ. cap. 26. addens*, & iube quod vis.

qui quamuis in hoc erraret] *Sic lib. De ſpiritu & lit. cap. 13. ſub finem, & lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 7.*

vt non ſubinferatur adnitendo] *Recentior eſt hæc caſtigatio, Lipſij fortaſſe ex* MS. *aliquo petita. In noſtris duobus pro* adnitendo, *legebatur* ad viuendum, *in tertio* ad bene viuendum, *quod priores habuerunt editiones.*

niſi qui etiam aliquid ſponte conatur] *Coniunctionem addebant manuſcr.*

IN CAP. VI.

nec Deo ad opitulandum & adiuuandum] *Illud* & adiuuandum, *adiecimus ex conſenſu* MS.

IN CAP. VII.

C quæ ſuperexaltat iudicio] *Sic* MS. *quomodo & ſuprà legis lib. huius cap. 3. pro* ſuperexultat.

& renouare interiorem hominem] *Sic conſentienter manuſcr prius erat* renouari in interiorem hominem.

Nam & ipſam Dominus regenerationem] *Reſurrectio cur regeneratio dicatur; pulchrè explicat Ambroſius loco quodam ſuper Eſaiam, cuius verba repetita ex eo inuenies infrà lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 11. nam Commentarius ille Ambroſij non extat.*

plena etiam hominis in æternam nouitatem] *Pro* hominis, *exemplar quoddam legit* non minus.

Ex hoc autem quod in nouitate ſunt] MS. *vnum legit* quod innouati ſunt: *ſed alterum illud reſpondere videtur ei quod præceſſit*, quod adhuc in vetuſtate ſunt.

IN CAP. VIII.

noſipſos ſeducamus, & veritas in nobis non ſit] *Ita commodius quàm* ſeducimus, *&* in nobis non eſt.

D Dilectiſſimi, inquit, nunc filij Dei ſumus] *Aduerbium temporis ex* MS. *adiecimus, quod paulò poſt vrget.*

IN CAP. IX.

Fruſtra itaque nonnulli etiā illud argumentantur] MS. *quoddam legit* etiam argumentum illud arripiunt.

etiam iuſtus iuſtum gignere debuit] *Argumentum hoc plenius infrà tractatum habes cap. 25. & ſequentibus, item lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 18. lib. 6. contra Iulianum cap. 5. & ſermone 4. De verbis Apoſtoli.*

quia ex ſpiritu & ipſi non carne nati ſunt] *Ex manuſcr. copulam* & *adiecimus.*

nondum in nouitatem perfectam totas vetuſtatis reliquias] *ſic conſtanter* MS. *pro* totius.

neceſſe eſt vt etiam ipſe vetuſtus ſit & infirmus] *Perperam* vetuſtas.

IN CAP. X.

ex parte regeneratione ſpiritali renouatus] MS. *ſecuti conſenſum ſuſtulimus præpoſitionem* in, *quæ in excuſis addebatur.*

In tribus vtique illis viris tria quædam hominum liberanda



genera

genera præfigurans] Idem repetit epiſt. 122. in Pſal. 132. & tractatu de vrbis excidio tomo 9.

In Daniele certè hoc non poteſt dici] Sic epiſt. 89. ad Hilarium: item patres Concilij Carthaginienſis contra Pelagium & Celeſtium can. 7. & ſuprà lib. 2. contra Parmenianum cap. 12. vbi aliquid hac de re diximus. Quomodo autem intelligendum ſit quod ait lib. 4. contra Donatiſtas cap. 2. transfiguraſſe Danielem in ſe populi ſui peccata, ibi explicuimus. Hieronymus autem in cap. 9. Danielis, Pelagij Commentarium cæteris explicationibus interponens, lege vtitur Commentatorum varias alienasq; frequenter miſcentium ſententias; quomodo & quæſt. 8. ad Algaſiam: Origenem ſecutus, cuius ea eſt ſententia in finem cap. 7. ad Romanos, vnde eam & Pelagius hauſiſſe videtur, cuius hic vt Hieron. ait epiſtola ad Cteſiphontem, ramuſculus eſt. Alioqui ſi germanam propriamq; audire volumus Hieronymi ſententiam, ita ſub finem ait lib. 2. contra Pelagianos. Illud autem quod in oratione ſua Daniel loquitur, Peccauimus, iniquè egimus, iniuſtè geſſimus, & receſſimus à mandatis, & iuſtitiis tuis, & cætera huiuſmodi ſoletis dicere, quod & Dauid & Daniel, & omnes Prophetæ non pro ſe qui ſancti erant, ſed ex perſona populi ſunt locuti. Aduerſus quam opinionem ipſe reſpondebit & dicet: Cùm adhuc orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſraël. Vides ergo quòd tam pro peccatis ſuis, quàm pro peccatis populi Dominum ſit deprecatus, & effuderit deprecationes ſuas in conſpectu Domini Dei ſui.

quia ſum impius, quare non ſum mortuus?] Exemplar vnum legit, quia ſi ſum impius. Sed vtrum germanius ſit, ex Græcis non liquet; nam quæ hodie in manibus habentur, iſta non habent, vt & alia hic multa non ſimiliter legunt: nec conſentit textus quo vtitur Auguſtinus tomo 4. in Annotationibus ſuper Iob. Quin & Hieronymus eundem citans locum lib. 2. contra Iouinian. non legit ſuperiora illa verba.

plenus iracundia] Sic vertêre Septuaginta; pro quo nos habemus repletur multis miſeriis.

omnes neceſſitudines meas] Illud meas, ex MS. appoſuimus, quod & infrà eodem hoc capite additum habes.

Ipſe autem ſe metiens] Ita hunc locum ex MS. reſtituimus; pro eo quod erat metuens.

ſed quod odi hoc facio] In excuſis deerat vocula hoc.

IN CAP. XI.

Auris auditu audiebam te prius] Pro audiebam. MS. legunt intelligebam, ſed alterum conſentit cum Græcis.

Neque enim opus Dei quo erat homo] Pro quo, erat prius quod: ſed alterum legunt conſtanter MS. quod & rectius quadrat.

IN CAP. XII.

à Domino Deo rectè reprehenderetur] Perperam deprehenderetur.

An non aduertiſti in puerum meum Iob?] MS. quoddam ſic legit, Animaduertiſti in puerum meum Iob? Alterum, Animo aduertiſti, quod cum Græcis propius facit, quæ ſic habent, προσέχες ἐν τῇ διανοίᾳ σου. Non deerat tamen quod cum excuſis conueniret.

Proinde omnibus qui tunc in terra iuſti eſſe potuerunt] Pro nunc.

nouimus non propter peccata, ſed propter eius demonſtrandam iuſtitiam illa omnia fuiſſe perpeſſum] Similem locum habes lib. De perfect. iuſtitiæ cap. 11.

IN CAP. XIII.

noſipſos ſeducimus] Sic paſſim cum MS. Auguſtinus & canon ſextus Concilij Carthagin. contra Pelagium & Celeſtium.

Nam de Zacharia & Eliſabeth] Idem argumentum tractat lib. De gratia Chriſti cap. 48.

ſacerdotum ad offerenda veteris teſtamenti ſacrificia pertinentium] Excuſa legebant pertinentia. Alterum conſtanter MS. quanquam metuo ne non mendæ adhuc aliquid lateat.

deinde pro populi] Perperam populo. Illud enim non tantùm in MS. & Apoſtoli textu, ſed ſuprà etiam lib. 1. cap. 27. quem locum hic citat Auguſtinus, ſimiliter legitur.

Non enim alia lex illi, alia iſtis fuit ante Euangelium] Sic rectè MS. quoddam, pro illis; loquitur enim de Paulo Apoſtolo.

hæc propter Chriſtum damna eſſe duxi. Veruntamen] Sic MS. pro quo perperam in excuſis, hæc propter Chriſtum damna eſſe non ſolum duxi, verùm etiam.

iuſtitiam in fide] Sic MS. & Apoſtolus: in vulgatis erat iuſtitia. Et mox in reſurrectionem, pro in reſurrectione.

eiuſdem regulæ ſummitate] Sic MS, vetus Amorbachij editio ſummitatem habebat, cui Frobenius & eum imitati Lutetiani alterum addiderunt errorem, legentes, ad eiuſdem regulæ ſummitatem.

non quod iam acceperim] Similis locus eſt lib. 3. cõtra duas epiſt. Pelag. cap. 5.

nondum eſſe perfectum ea plenitudine iuſtitiæ] Ita rectius A cum manuſcr. duobus, quàm in plenitudine.

in ſua renouatione proficientes] Præpoſitionem addebant MS.

IN CAP. XV.

ſed vtrum aliquis faciat] Perperam fiat.

vtique perfectos auditores volens intelligi] Pro quo non rectè excuſa perfectiores.

maxima ex parte profecit] Non proficit.

IN CAP. XVI.

tam magna conflictatio] ſic conſtanter MS. pro conflictio, quomodo legitur non ſemel in lib. Breuiculi Collation.

quia de victoria futuri tanti certaminis certũ eum ſecurumque iam fecerat, qui eandem paſſionem iam illi reuelauerat imminere] Sentire videtur B. Paulo ſaluationem ſuam fuiſſe reuelatam.

de Dei promiſſione præfidens] Mendosè præuidens; nam & paulò pòſt ſequitur, quem adhuc futurum, iam fidendo dicebat impletum.

in ſcriptura veridica] Præpoſitio in, deerat in impreſſis.

IN CAP. XVII.

Ignorantia & infirmitas vitia ſunt] Hos peccatorum duos fontes & alibi aperit Enchiridij cap. 81. De libero arbitrio lib. 3. cap. 18. & ſuprà cap. vltimo lib. 1. De peccatorum meritis.

B Eſſent autem & duo & tres & plures ſi hoc fieri poſſet, non per Dei proprium donum, ſed per hominis liberum arbitrium] Id auſi ſunt poſtea dicere Neſtoriani ex Pelagianis exorti, quorum quidam in hanc ſuperbam & blaſphemam vocem erupit, Non inuideo, inquit, Chriſto homini facto Deo; nam ſi volo fio & ego. Mirum autem cur noluerit. Imo verò Carpocrates vetus hæreſiarcha, lõgius progreſſus dicere veritus non eſt, poſſe nos Chriſto eſſe non modò æquales (nam tales multos ſuorum eſſe iactitabat) verùm etiam ſuperiores. Author Irenæus lib. 1. cap. 24.

Ideò quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc ſcit, nunc neſcit] Vide & infrà cap. 19. & lib. De natura & gratia cap. 27. & 28. & De correptione & gratia cap. 9.

ab elationis vanitate] Perperam vnitate.

IN CAP. XVIII.

ipſa etiam ratio quæ de iis rebus à talibus quales ſumus iniri poteſt] MS. Cambronenſ. legit inueniri: in alio quodam ex iniri, factum erat mirari: ſed tertium cum excuſis conſentit, quæ nimirum vera eſt lectio. Dicimus enim inire rationem, pro cogitare, ſcrutari, indaC gare modum & rationem qua ſe res aliqua habeat, quomodo tractari, inſtitui, perfici poſſit. Non ſentit autem rationem inueniri à ſe poſſe qua oſtendatur boni aliquid nobis ineſſe non à Deo; id enim paulò antè negarat, & quomodo, inquit, inueniri poſſit ignoro.

ne ſic defendamus gratiam vt liberum arbitrium auferre videamur] Sic lib. De gratia Chriſti cap. 47. lib. 2. retract. cap. 66. De gratia & libero arbitrio cap. 1.

ità & eius malam voluntatem] MS. vnum, quomodo & vetus Amorbachij, habet, ita & eius malæ voluntatis. Alterum quoddam addit initium; ſed metuo ne ex coniectura ſit profectum. Certè conſentit cum excuſis tertium MS, cui reſpondet quod præceſſit, malam quoque voluntatem Deo authori eſſe tribuendam. Quin & argumentum non de initio tantùm, ſed de tota ipſa mala voluntate, ſecundum progreſſum & conſummationem Deo aſſcribenda efficaciter concludit.

quæ in eis eſt bonis, quorum eſſe vſus non poteſt malus] Ex hoc loco, & lib. 1. Retract. cap. 9. aliiſq; ſimilibus petitum eſt illud in virtutis definitione quo dicitur bona eſſe mentis qualitas, qua nemo malè vti poſſit: de qua Magiſter ſententiarum lib. 2. diſtinctione 27. §. A.

IN CAP. XX.

ſermo quoque iſte tam prolixus] Ex manuſcr. adiecimus voD culam iſte.

ſtudio voluntatis requirebatur] Supereſt vocula hoc, quæ in excuſis addebatur.

IN CAP. XXI.

quo nomine ſignificaretur experientiæ conſequẽtia] ſic lib. 8. De geneſi ad literam cap. 6. 14. 15. & 16.

per ætatum lapſum mutari] MS. conſtanter legunt labem, pro lapſum, quod habet & Amorb. & Frobenij vetus editio. Primus, vt arbitror, Lipſius locum reſtituit veteris alicuius codicis fidem, non dubito, ſecutus. Fefellit alios quod paulò poſt ſequitur, in labem mortemque nequitiæ verteretur.

myſtica ſignificatione demonſtrans] Ita & lib. 8. De geneſi ad literam cap. 4. & 5. lib. 13. De ciuit. Dei cap. 20.

Quæ per ſeipſa quanta ſit] Huc pertinet quod habet Auguſtinus lib. 14. De ciuitate Dei cap. 12. lib. 8. De geneſi ad lit. cap. 6. & 13. lib. 11. cap. 6. Concione 2. in Pſal. 70. ſerm. 34. De verbis Domini.

IN CAP. XXII.

Capitis huius argumentum habes latè etiam tractatum lib. 14. De ciuitate Dei cap. 15. 16. 17. & ſequentibus. De nupt. & concup. lib. 1. cap. 5.



cap. 5. & 6. & lib. 2. cap. 9, lib. 5. contra Iulianum cap. 3.

meritò appellantur pudenda] Sic lib. 4. contra Iulianum cap. 5.

quæ animaduerſio, apertio dicta eſt oculorum] Sic lib. 11. De geneſi ad literam cap. 31. De peccato originali cap. 36. lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 16.

IN CAP. XXIII.

legem concupiſcentiæ non habere] Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod erat in MS. & excuſis omnibus haberent.

IN CAP. XXIIII.

nec ſumpſit carnem peccati quamuis de natura carnis peccati] Variant hic MS. duo quædam ſic legunt, nec cum carne peccati quamuis de materna carne peccati. Cambronenſ. ſic habet, nec ſumpſit carnẽ peccati quamuis de materna carne peccati. Quomodocunque autem legas, ſentire videtur hic Auguſtinus B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Lib. 10. De geneſi ad literam cap. 18. & 20. lib. 5. contra Iulianum cap. 9.

quem eligeret creauit] ſic MS. omnia, quod malim, quã elegerat.

propter euadendum iudicium] MS. tria euacuandum legunt; ſed quartum cum excuſis conſentit.

IN CAP. XXV.

quæ in vnoquoque homine ſæpe fuerat facienda] Ita olim vetus Amorb. & Froben. editio: quare miror cur Lipſius immutandum id putarit, vt tolleret vocem ſæpe, cùm eam ſententia poſtulet, reſpondeatq; ei paulò poſt, quod ſemel datur. Pro eo quod ſequitur fructibus, MS. legunt frugibus, ſed id minutius eſt.

At enim ait Apoſtolus, filij veſtri immũdi eſſent] Idem argumentum proponit & refellit ſermo. 14. De verbis Apoſtoli.

Illud potius attẽdant] Redũdat copula quæ in excuſis præponitur.

quomodo nõ de peccatoribus] In impreſſis deerat præpoſitio de.

IN CAP. XXVI.

Non vnius modi eſt ſanctificatio] Minus commodè excuſa, Neque vnius modi. Sanctificationem ſimiliter diſtinguit, infrà lib. 3. cap. 12. & ſermo. 14. De verbis Apoſtoli.

& quod accipiunt quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt] Catechumeni quoniam Euchariſtiæ nondum participes eſſe poterant ante baptiſmum, veteri Eccleſiæ ritu panis eis dabatur à ſacerdote benedictus & conſecratus, quo præpararẽtur ad corporis Chriſti ſumptionem; vnde & ſanctum fuiſſe ait Auguſtinus, & ſanctiorem quàm reliqui eſſent cibi qui ad quotidianam refectionem ſumuntur, & ipſi tamen ex Pauli doctrina per verbum Dei & orationem ſanctificandi. Cæterùm videntur his panibus benedictis non ſoli catechumeni, ſed fideles etiam vſi, & pro munere in ſignum mutuæ amicitiæ & communionis inuicem tranſmiſiſſe. Sic olim B. Paulinus Auguſtino & Alipio panes aliquot mittit epiſtola apud Auguſtinum 31. & 35. viciſſim verò velut antidoron & Auguſtinus epiſt. 34. eulogiam appellans. Quin & apud Gregorium lib. 4. Dialogo, cap. 55. pro præſtito officio donantur duæ oblationũ coronæ, qui & panis ſanctus illic dicitur. Chryſoſtomus vel quiſquis author eſt operis apud eum imperfecti in Matth. homilia 14. refert panes à laicis oblatos ſacerdotibus vt eos benedicerent. Quod feciſſe & Hilarionem, refert Hieronymus in eius vita. Idem fit & hodie per Gallias diebus Dominicis; conſecratur enim panis à ſacerdote ante lectam epiſtolam, qui in fruſta diuiſus fidelibus ibidem in Eccleſia diſtribuitur. Alibi benedicitur ad vſum pellendorum morborum. Fuiſſe autem olim & ſalem conſecratum & Catechumenis communicatum, docet canon 5. Conc. 3. Carthaginien.

& in ſeceſſum] Præpoſitionem ex MS. adiecimus.

& ad peccatorum remiſſionem iam perueniſſe] In excuſis deerat iam: & paulò pòſt verbum eſt, vbi legitur dictus eſt in vxore.

IN CAP. XXVII.

morte Chriſti conformentur infantes] Pro conformantur.

& in peccati carne propagati] Copulam adiecimus ex MS.

IN CAP. XXVIII.

ſacramentum regenerationis accipit] Præſentis temporis verbum quod in MS. vno legebatur, magis placet quã præteriti, quod in reliquis & in excuſis erat.

Nec mireris quod dixi] Vide lib. 6. contra Iulianum cap. 8. vbi eandem rem tractat.

Denique ſi continuo conſequatur ab hac vita migratio] Id valet contra Lutherum docentem, quòd fomes peccati ſeu concupiſcentia etiam recens baptizati animam ab ingreſſu cæli remoretur. De quo vide Roffenſem contra articulum eius tertium.

IN CAP. XXIX.

quos per certiſſimam præſcientiam & iuſtiſſimam beneficentiam] Pro iuſtiſſimam legunt conſtanter MS. futuram.

in ſpiritalem renaſcendo ſaluantur] Pro his manuſcr. conſtanter legunt ſpiritaliter renaſcuntur.

A Natus eſt vobis hodie ſaluator] Perperam nobis: neque enim angelis ſaluandis natus eſt Chriſtus.

IN CAP. XXX.

hoc ſine dubitatione credunt] MS. conſtanter legunt diſceptatione.

IN CAP. XXXI.

Poterat autem etiam hoc donare credentibus] Cur remiſſis per baptiſmum peccatis non ſimul etiam mors ſublata ſit, tractat præterea Auguſtinus epiſtola 89. ad Hilarium tractatu vltimo in Ioannem. Infrà lib. 3. cap. vltimo.

Denique hoc quibuſdam in fine largietur] Aut enim, inquit lib. 2. retract. cap. 33. non morientur, aut de vita iſta in mortem & de morte in æternam vitam celerrima commutatione tanquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient. De hoc argumento latius diſputauit Auguſtinus epiſt. ad quendam Mercatorem nomine, quæ non extat quidem; ſed repetuntur inde verba huc pertinentia lib. ad Dulcitium quæſt. 3. Idem pertractat & lib. 20. De ciuitate Dei cap. 20.

erunt iam poſteri] Illud iam, addebant MS.

quandoquidem fides ita definita eſt] Loco ita, perperam legebatur iſta.

ſurgite eamus hinc] Pro ſurge.

B IN CAP. XXXII.

Nihilque tale cuiuſquam carni eorum iam tribuens, quale in carne propria demonſtrauerat] Epiphanius hæreſ. 75. contra Aërium, & Hieron. in 27. cap. Matth. ſanctos illos qui poſt Chriſti reſurrectionem reſumptis corporibus Hieroſolymam intrarunt, immortales reſurrexiſſe putat, ſed poſt Chriſti reſurrectionem. In diuerſa ſententia eſt Auguſtinus, non hoc tantùm loco, verùm etiam epiſtola 99. vbi hac de re prolixè diſſerit. Accedit & Iuſtinus quæſt. 85. ad Orthodoxos. Similiter & Theophylactus, necnon Euthym. in eundem illum Euangelij locum: & Oecumenius in 1. cap. Apocal. Id tamen de B. Virgine tota ſentit Eccleſia.

de Spiritu ſancto habebatis] Sic MS. pro habetis.

IN CAP. XXXIII.

in parturiendo patiuntur] Præpoſitionem addunt MS.

IN CAP. XXXIIII.

De paradiſo eiectus Adam] MS. conſtanter legunt dimiſſus.

Sicut ergo illi primi parentes] Primus fuit Tacianus, qui negare auſus eſt, primos parentes ſaluatos eſſe; ob hoc & inter cætera hæreſeos damnatus, vt ſcribunt Tertullian. lib. De præſcript. Epiph. hæreſ. 46. & C Auguſt. 25. ad Quodvultdeum. Qui idem epiſtola 99. totam ferè Eccleſiam ſentire ait, per Chriſti ſanguinem remiſſionem obtinuiſſe peccatorũ eſſeq; ſaluatos: quod repetit & lib. De natura & gratia cap. 21. Id quod variis argumentis adſtruere conatur Irenæus lib. 3. cap. 34. quanquam rem eam totam ſatis apertè ſcriptura definit Sapientiæ 9. & 10. Per ſapientiam, inquit, ſanati ſunt quicunq; placuerunt tibi Domine à principio. Hæc illum qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.

ſi dictum fuerit, reſpondebitur] Vocula ſic, quæ in excuſis additur, redundat, nec legunt MS.

IN CAP. XXXV.

peruerſæ autem ſunt quæ à ſiniſtris, amicitiæ cum peccatis] In excuſis erat ſunt amicitiæ, ſed mẽdosè, nec verbum hoc addunt MS.

Tales etiam illi viginti annorum adoleſcentuli figuram noui populi præmiſerunt, qui in terram promiſſionis intrarunt, qui nec in dextram nec in ſiniſtram dicti ſunt declinaſſe] Intelligere videtur duodecim viros, quos ſingulos de ſingulis tribubus filiorum Iſraël Moyſes Numer. 13. miſit ad luſtrandam & conſiderãdam terram promiſſionis: ſed quorum illic ætas expreſſa non legitur, tantùm viri princiD pes fuiſſe dicuntur. Sed nec de dextra vel ſiniſtra, in quam minimè declinarint, nulla illic vſquam mentio, non ſolùm in Hebræis, ſed nec apud 70.

IN CAP. XXXVI.

redemptionem tamen eis opus eſſe confeſſi ſunt] Pro opus eſſe, quod conſtanter legunt MS. repoſuerat quiſpiã neceſſe eſſe, quod longè durius eſt. Familiare eſt autem Auguſtino, vt accuſatiuum voci opus coniungat, præſertim accedente infinitiuo eſſe. ſic ſuprà lib. 1. cap. 34. redemptionem etiam ipſis opus eſſe concedunt. & lib. 2. cap. 13. Dominicam orationem opus eſſe arbitretur.

Nec dubitandum eſt his] ſic rectè MS. pro eſſe his, quod in excuſis ſententiam ſuſpendebat.

quæ prius voluptate peccati] MS. duo legunt voluntate.

vtrum & ipſa eodem modo propagata] Pro &, in impreſſis erat de.

Deo per ſummam præſcientiam iudicante] MS. legunt ſuam præſcientiam.

magna quæſtio eſt] Diſputat de hoc argumento epiſt. 28. ad Hieronymum, epiſtola 157. ad Optatum libris quatuor De origine animæ, lib. 3. De libero arbitrio cap. 21.

# IN LIBRI TERTII DE PECCATORVM MERITIS

## CAPVT PRIMVM.

legi Pelagij quædam ſcripta, viri, vt audio, ſancti & nõ paruo profectu Chriſtiani] Auguſt. lib. 2. retract. cap. 33. ait ſe nomen Pelagij non ſine laude poſuiſſe, quòd eum exiſtimaret ſimpliciter errare & corrigibilem eſſe. Profeſſus autem erat & paupertatem & caſtitatem, vt ſuprà lib. 2. cap. 16. tacito eius nomine, indicat Auguſtinus. Infrà cap. 3. virum bonum & prædicandum; paulò poſt; egregiè Chriſtianum; & cap. 10. virum circumſpectum appellat. Sed quid ſub his folijs & ouium veſtimentis lateret, poſt prodidit.

quæ in Pauli Apoſtoli epiſtolas expoſitiones breuiſſimas continerent] Expoſitiones, de quibus hîc agit Auguſtinus, omnino illæ eſſe videntur quæ extant titulo D. Hieronymi operum eius tomo vltimo: nam ita referunt Pelagij ingenium, ita ſunt doctrinæ ac hæreſeos eius ſeminibus aſperſi, vt authorem non alium habere potuerint: quod paucis oſtendere non fuerit inutile. Damnatorum in eo dogmatum capita ſunt, de Originali peccato, De libero arbitrio & gratia; De iuſtitiæ perfectione, de iuramento, deq; poſſeſſione diuitiarum. Quod ad primum attinet, locum ad Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mũdum, interpretatur non de contagione ac propagatione; ſed de exemplo & imitatione. Rurſus illud ibidem; in quo omnes peccauerunt; ſic exponit, hoc eſt, inquit, in eo quod omnes peccauerũt, exemplo Adæ peccant. Et in illud, qui eſt forma futuri: Sicut enim Adam, inquit, primum mandatum Dei præuaricans exemplum eſt legem Dei præuaricare volẽtibus, ſic & Chriſtus, &c. Similiter ad illud, Gratia autem ex multis delictis, Quia, inquit, non inuenit Adam multam iuſtitiam quam ſuo exemplo deſtrueret; & mox: Adam ſolam formam fecit delicti. Quas interpretationes in Pelagio paſſim damnat ac reprehendit Auguſtinus. Alterum caput eſt De libero arbitrio, quod nobis volebat ſufficere ad benè viuendum. De quo diſpiciamus quid Commentarius iſte habeat. Et in illud quidem cap. 6. ad Rom. Sed neq; exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis. Notandum, inquit, quòd homo membra ſua cui velit parti exhibeat per arbitrij libertatem. Vnde illud cap. 9. ad Rom. Non eſt volentis neq; currẽtis, dictum eſſe, ait, ex perſona aduerſarij & opponentis. Eodem pertinet quòd Prædeſtinationem Dei ex meritis noſtris eſſe aſſerit: ſic enim ſcribit in illud ad Roman. 8. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit. Quos præſciuit, inquit, credituros, hos vocauit; vocatio autem volentes colligit, non inuitos: Aut certè diſcretio non in perſonis, ſed in tempore eſt. Et addit, hoc ideò dicit propter fidei inimicos, ne fortuitam Dei gratiam iudicarent. Similiter ad illud Roman. 9. Miſerebor cuius miſerebor. Hoc recto ſenſu ita intelligitur, inquit, Illius miſerebor quem præſciui poſſe miſericordiam promereri, vt iam tunc illius ſim miſertus. At verò Gratiam Dei non aliam paſſim agnoſcit, quàm vel ipſam arbitrij libertatem, vel remiſſionem peccatorum, vel doctrinam & exemplum per Chriſtum exhibitum. Et primum quidem in illud ad Rom. 11. Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis; Diuina, inquit, ſcriptura hoc habet, vt cũ vnuſquiſque habeat libertatem faciendi bonum vel malum, Deum dicat tradere aut dare, propterea quia ipſe eſt qui dedit libertatem. De altero autem apertus eſt eius Commẽtarius in illud ad Rom. 5. Gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem: Chriſtus, inquit, gratia ſua multorum peccata diſſoluit: & mox, Chriſtus, inquit, & gratis peccata remiſit, & iuſtitiæ dedit exemplum. Vbi tertium quoq; illud coniungit. Cuius nuſquam non exempla occurrunt, nos pauca quædam annotabimus. Ad illud cap. 6. ad Rom. liberati autem à peccato, In doctrina, inquit, & exemplo Chriſti, qui non ſolùm peccata, ſed etiam occaſiones auferre docuit delictorum. Rurſus in illud cap. 7. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quia quæ Moyſes, inquit, & naturalis lex non docuit, hęc docuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, contemnere mundum & ſuperare vitia. Ad hæc in illud 1 Corinth. 4. Quid enim habes quod non accepiſti, ita ſcribit: Quid boni ex temetipſo habes, quod à nullo didiceris, vel Dei dono minimè conſecutus es? Præterea in illud Philippenſ. 1. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis. Occaſio fidei à Deo donata eſt; quia ſi non veniſſet Chriſtus & docuiſſet, non vtique crederemus: cæterùm & fidẽ voluntariam in actibus legimus. Deniq; ad illud Philip. 1. qui cœpit in vobis opus bonum; Cœpit, inquit, doctrinam ſiue gratiam ſcientiæ largiendo. Quis verò non hîc Pelagium agnoſcat, qui vel tenuiter deguſtauit librum De natura & gratia; vel de gratia Dei? Tertium caput eſt de iuſtitiæ perfectione, quam cuiuſmodi eſſe in hac vita poſſe ac debere Commentarius iſte doceat, oſtendamus. In primis ad illud Eph. 5. Vt exhiberet ſibi Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam aut ru-A gam aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata: Si in omnibus immaculata eſt, inquit, maculati alieni ab ea eſſe cenſentur, niſi rurſus per pœnitentiam fuerint expurgati. Ad illud autem Philip. 3. & virtutem reſurrectionis eius: Ideò, inquit, reſurrexit, vt nos ſimiliter reſurgamus: qui autem hoc verè cognoſcit, ſatis agit ſi omnino non peccet. Ibidem ad illud; Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, accipit non de plena iuſtitiæ perfectione, ſed corporis immortalitate. Et ad illud, Fratres, ego me nõ arbitror comprehendiſſe, ait Apoſtolum humilitatis cauſâ perfectionem ſibi detrahere. Ad illud autem, Quicunq; ergo perfecti ſumus: Quomodo, inquit, negat ſe eſſe perfectum, ſi alij ſunt, niſi humilitatis gratia hoc dictum accipias? Quicunque perfectus eſt, hoc ſentiat, vetera ſcilicet obliuiſcendo, & noua ſectando, quia perfecti debet eſſe diſcipuli Chriſti: & addit, licet ſuperius de perfectione premij, hic verò de ſcientia ſit locutus. In cap. verò 7. ad Romanos frequenter inculcat Apoſtolum non ex ſua, ſed peccatoris & adhuc ſub lege conſtituti locutum perſona. Sic enim ait ad illud, Scio quia non habitat, id eſt in carne mea bonum: Hoc, inquit, ex perſona eius dicitur qui peccandi conſuetudinem habet, & carnis vitiis tenetur obnoxius. Et rurſus in illud, Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Nunquid non Paulus, inquit, nondum erat Dei gratia li-B beratus? Vnde probatur, quia ex alterius perſona hæc loquitur. Ac mox ſuper illud, Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Rurſus, inquit, ex perſona eius qui ſub lege erat, hæc loquitur. Quæ omnia Auguſtinus in Pelagio notat ac reprehendit, cùm alibi, tum lib. De gratia Chriſti cap. 39. & ſermo. 5. De verbis Apoſtoli.

Iam de Iuramento vide quàm bellè cum Pelagio conſentiat. In illud 1 Corinth. 15. Quotidie morior per veſtram gloriam fratres. Per, inquit, non ſemper ſignificatio iuramenti eſt; nam ſi dicamus per puerum miſi, non ſtatim per puerum iuraſſe rectè putabor: ita ſe putat eluſiſſe Apoſtoli iurationem. Poſtremò de diuitiarum poſſeſſione qui Pelagij ſenſum nouit, facilè intelligit quid ſibi velit quod habet Commentarius iſte ad illa verba 1 Timot. 6. facilè tribuere. Qui facilè tribuit, citò diues eſſe ceſſabit; tribuere donare eſt, communicare multum dare. Quæ poſtrema duo, quin & cætera omnia ſi quis vel cum epiſtolis apud Auguſt. 88. & 89. conferat, de Commentarij authore nihil dubitauerit. Cæterùm eum ipſum eſſe, de quo mentionem hîc facit Auguſtinus, etiam illud maximo eſt argumento, quòd cap. 12. lib. huius tertij De peccatorum meritis idem Auguſtinus tractans locum Apoſtoli qui eſt 1 Corinth. 7. De ſanctificatione viri infidelis per mulierem fidelẽ, & filiorum C ſanctitate, aut ſic, inquit, eſt accipiendum, quemadmodum & nos alibi; & Pelagius cùm eandem ad Corinthios epiſtolam tractaret, expoſuit; quòd exẽpla iam præceſſerant, &c. Ea certè interpretatio in hoc Cõmentario manifeſtiſſimè legitur. Exemplum refert, inquit, quia ſæpe cõtigerit, vt lucrifieret vir per mulierem: vnde & B. Petrus ait, Vt ſi non credunt verbo per mulierum conuerſationem, ſine verbo lucrifiant. Cap. verò 4. lib. eiuſdem oſtendens quomodo Adam ſit forma futuri, Et nos, inquit Auguſtinus, aliud inde aliquando diximus, & aliud fortaſſe dicemus, quod tamen huic intellectui non ſit aduerſum, & ipſe Pelagius non vno modo id expoſuit. An non voluit digito oſtendere verba quæ in hoc Commẽtario leguntur, ad præfatum Apoſtoli cap. 5. ad Roma. locum? Hæc enim ſunt: Siue ideò forma fuit, quia ſicut Adam ſine coitu à Deo factus eſt, ita ille ex virgine Spiritu ſancto operante proceſſit. Quidam dicunt forma è contrario, hoc eſt, ſicut ille peccati caput, ita & iſte iuſtitiæ. Item forma Chriſti Adam factus eſt: Sicut enim Adam primus mãdatum Dei præuaricans, exemplum eſt legem Dei præuaricare volentibus, ſic & Chriſtus voluntatem Dei complens, exemplum eſt imitari eum cupientibus: Ex quibus omnibus inter ſe collatis atque compoſitis D conſtare arbitror quæ ſint expoſitiones illæ breuiſſimæ quas ſe hîc legiſſe Auguſtinus ait, earumq; authorem Pelagium eſſe dicit. Verùm vnus reſtat ſcrupulus quem eximere neceſſe eſt. Etenim verba ea omnia, totaq; ſentẽtia, quam ex eo Commentario refellendam ſibi Auguſtinus lib. huius cap. 2. ac 3. proponit, repetitq; infrà non ſemel, vt & lib. De originali peccato cap. 21. in toto eo libro quem nos proferimus, non reperitur eo loco quem indicauit Auguſtinus, ad illud videlicet cap. 5. ad Romanos; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, &c. vnde videri queat aliud eſſe ſcriptũ, de quo Auguſtinus hoc ſumpſerit; aliud de quo nos agimus, & extat apud Hieronymum tomo eius vltimo. Verba autem Pelagij ab Auguſt. citata hæc ſunt: Hi autem, inquit, qui contra traducem peccati ſunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt; quia ſimiliter, imò & magis dicit per vnum ſaluari, quàm per vnum antè perierunt. Deinde aiunt: Si baptiſmus mundat antiquum illud delictum; qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad poſteros trãſmittere, quod ipſi mi-



nimè habuerũt. Illud quoque accedit, quia ſi anima non eſt ex traduce, ſed ſola caro, ipſa tantùm habet traducem peccati, & ipſa ſola pœnam meretur: iniuſtum eſſe dicentes, vt hodie nata anima nõ ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam nulla ratione concedi, vt Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena. Hunc ſcrupum ita ſubmoueri poſſe ſentio: hæretici omnes initio ferè timidiores, venenum ſuum tectè primum & occultè proponunt atque obſcuris ambiguiſq; verbis inuoluunt, partim vt ab imperitis non facilè deprehendi poſſint, eoq; incautos fallant; partim ne doctiores prorſus à ſe alienent & contra ſe excitẽt: at verò in progreſſu occupatis quorũdam animis & comparato aliquantorum fauore ac beneuolentia, fidentiores facti palam ſe aperteq; prodũt, ac errores ſuos manifeſtè prædicant & defenſare audent. Ita quoq; Pelagius ac Celeſtius, vt de iis teſtatur Auguſt. lib. De originali peccato cap. 21. 22. & 23. de his ipſis loquens contra originale peccatum argumentis, quemadmodum quæ initio apertè dicere auſi non fuere, poſterioribus dictis libriſq; magna contentione animorum aſſeruerint. Id quod & Pelagium in his Commẽtariis factitaſſe arbitror, vt hæreſim initio ſuam non apertè in iis proponeret, Catholicamq; doctrinam damnaret; ſed occulta modò ſemina totò paſſim libro aſpergeret; in quibus tamen ſententia eius, licet tectiùs, tota tamen comprehenſa eſſet. Fundatiſſimam ergo de originali peccato fidem euertere molitus, facit hoc propoſito breuiter argumento vno ac altero, nõ ex ſua, ſed alterius perſona, vt non tam ipſe ita ſentire, quàm audire ac doceri velle videretur, quid contra ita ſentiẽtes reſpondendum dicendumq; foret: quo nomine & laudat eum Auguſtinus lib. 3. De peccatorum meritis cap. 3. Capite verò 10. etiã circumſpectum appellat, ſed antequam hominis noſſet ingenium. At verò vbi aduerſus B. Auguſtinum aperire ſeſe opinionemq; ſuam retinere ac pertinaciter tueri ſtatuit, ſuſtulit quæ velut ex aliena perſona dicta eſſe videbantur, proq; iis apertam ſimplicemq; aſſertionem repoſuit. Nam pro his verbis, Hi qui contra traducem peccati ſunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ, inquiũt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt; aliam ſententiam ex propria perſona ſubſtituit, ita ſcribens ad illud cap. eiuſdem, Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Quomodo poteſt, inquit, Deus vnius delicto Adæ omnes homines condemnare, cùm nec vnius Chriſti iuſtitia omnes homines iuſtificati ſint? Omnes autem dicens, non generaliter dicit, ſed vniuſcuiuſque partis ſignificat multitudinẽ. Alioquin inueniuntur omnes homines iuſtificati in Chriſto, ſicut & in Adam condemnati, & non erit vltrà qui puniatur. De traduce verò peccati audacter ſententiam ſuam aperit in illud cap. 7. ad Romanos, Sine lege enim peccatum mortuum erat. Inſaniũt, inquit, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum. Ergo Commentarios iſtos tales nunc prorſus habere videmur, vt ſunt ab eo poſterius correcti & emendati: Auguſtinus verò vt ſunt primùm ab eo editi, in quibus verba tum illa eo modo legebãtur. Sed de his plus ſatis.

### IN CAP. II.

ſi Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt] Idem argumentum proponit & refellit ſerm. 14. De verbis Apoſtoli.

prodeſſe vllis non credentibus non poteſt] Sic MS. pro illis, in genere enim loquitur.

Non cenſet indignos] In excuſis deerat negatio.

Conſequenter igitur ſi non baptizentur] Mendoſè Conſequentur.

non quia parum eſt] Ex MS. adiecimus verbum eſt.

### IN CAP. III.

vt eam ipſe confiteri aut verecundatus aut veritus fuerit] Ea nimirum vera eſt cauſa: initio enim more hæreticorum diſputabat tantum, non aſſerebat, idq; tanquam ex aliena, non propria perſona. Vnde Celeſtius apud Auguſt. lib. De peccato originali cap. 3. inducitur dicere, vtrum ſit tradux peccati rem eſſe quæſtionis non hæreſis. At verò poſt fidentior factus auſus eſt apertè negare.

& quòd ſine peccato damnetur homo] Pro peccato, antè legebatur baptiſmo, quemadmodum & paulò poſt, Poſtremo quod ſine peccato. Senſu planè alieno: tria enim abſurda ponit quæ ex ſupradictis conſequantur, primo quòd ſine peccato naſcatur homo, alterum quòd damnetur quiſpiam nullum habens peccatum; tertium quòd imago Dei nullo peccato vitiata ad regnum eius non admittatur. Vbi ſi in poſterioribus duobus loco peccati, baptiſmum, vt prius erat, reponas, nõ iam abſurda illa, ſed veriſſima erunt. Atqui vnde cœperat, Et fortè, inquit, hoc ipſe non ſentit, in fine periodi huius concludens, Hæc ergo, inquit, & alia quæ hunc ſequuntur errorem, nimium peruerſa & Chriſtianæ repugnantia veritati, credo quòd vir ille (Pelagius videlicet de quo nõ ita malam adhuc habebat exiſtimationem) tam egre-A giè Chriſtianus, omnino non ſentiat. Certè pro membri tertij caſtigatione facit quod paulò poſt ſequitur, atque ita vel in æternam mortem præcipitetur. Pro ſecundo, quod huic opponens ait paulò poſt initium cap. 4. nec diuino iudicio poſſe aliquem iniuſtè damnari. Et mox, non autem damnari poſſent ſi peccatum vtique non haberent. Et cap. 5. poſt recitata Cypriani verba, intelligere noſtrum fuit ſine peccato animam perire non poſſe.

Ego autem & ſi refellere eorum argumẽta non valeam] Modus eſt potentialis, neq; enim refellere ſe poſſe negat, ſed docet etiamſi refutare non poſſet, inhærendum eſſe tamen fundatiſſimæ Eccleſiæ doctrinæ in ſcripturis clariſſimè traditæ, quæ vt intelligi non poſſit, certa fide ſuſcipiendam eſſe. Vnde paulò poſt, Reſtat intelligere, inquit, vel ſi hoc nondum poſſumus, ſaltem credere, trahere paruulos originale peccatum. Falluntur ergo qui putant Auguſtinum quæſtionis obſcuritate propè ſe oppreſſum fateri: certè argumenta poſt diſſoluit, ſimiliter & ſerm. 5. & 14. De verbis Apoſtoli.

### IN CAP. IIII.

poſſuntque in aliam duci transferrique ſententiam] Priorem coniunctionem ex MS. addidimus.

quia non eſt neceſſarius Ieſus] In MS. non legitur Ieſus, vt ad medicum referatur, & fortaſſe redundat.

B de quibus fortè dubitabamus] ſic MS. veteraq; Amorbachij & Frobenij, pro dubitamus.

ex eadem forma cum peccato eſſe generatos] Sic rectè MS. pro & eadem forma.

Nam & nos aliud inde aliquando diximus, & aliud fortaſſe dicemus, quod tamen huic intellectui non ſit aduerſum] Epiſt. 89. ad Hilarium, duas adfert interpretationes: Poſt quod, inquit, adiunxit de Adam, qui eſt forma futuri. Neq; enim hoc vno intelligitur modo: aut enim forma Chriſti à contrario eſt, vt quemadmodum in illo omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificentur: & quomodo per ipſius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ſic per iſtius obediẽtiam iuſti conſtituantur multi. Aut formam futuri cùm dixit, quòd ipſe inſtixerit formam mortis poſteris ſuis. Ille tamen eſt melior intellectus, vt à contrario forma eſſe credatur, quam multum commẽdat Apoſtolus. Hactenus Auguſtinus. Priorem hunc Commentarium ſequitur & lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 27. Cum poſteriori conſentit quod ſuprà lib. 1. De peccatorum meritis cap. 11. & lib. 6. contra Iulian. cap. 4. formam accipit condemnationis. Tripliciter ergo formam futuri interpretatur; primùm peccati, deinde condemnationis & mortis, tertiò à contra-C rio: in prioribus duobus ad poſteros futuros reſpicitur, in tertio ad Chriſtum futurum. Et ipſe Pelagius non vno modo id expoſuit: Verba illa ex Commentario eius in epiſtolas Pauli apud Hieronymum hæc ſunt: Si ideò forma fuit Chriſti, quia ſicut Adam ſine coitu à Deo factus eſt, ita ille ex virgine Spiritu ſancto operante proceſſit. Quidam dicunt forma è contrario, hoc eſt ſicut ille peccati caput, ita & iſte iuſtitiæ. Item forma Chriſti Adã factus eſt; ſicut enim Adam primus mandatum Dei præuaricans, exemplum eſt præuaricare volentibus; ſic & Chriſtus voluntatem patris complectens, exemplum eſt imitari eum cupientibus. Qui Pelagium norunt, vident quàm bellè hæc cum eius doctrina conſentiant.

### IN CAP. V.

Quantum præſenti quæſtioni ſatis viſum eſt] Mendoſè præſentium.

pauca inde transferẽda arbitratus ſum] Citat cõtra Pelagianos libenter hunc locum Cypriani lib. 3. epiſt. 8. ad Fidum Auguſtinus, vt epiſt. 28. lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 29. De verbis Apoſtoli ſermone 14. lib. 2. contra Iulianum cap. 3. lib. 4. contra duas epiſtolas Pe-D lagian. cap. 3.

conſiderandam eſſe legem circunciſionis antiquæ] Pro conſiderandum.

in euangelio ſuo dicat] Ex manuſcr. adiecimus ſuo, & legit Cyprianus.

quid tamen de illis apertiſſimè fateatur] In excuſis pro tamen, erat tandem.

magis adultos & prouectos] Sic MS. cũ Cypriano. Excuſa perfectos legebant, loco prouectos.

hoc ipſo facilius accedit] In impreſſis erat in hoc ipſo, ſed non eſt nec in MS. nec apud Cyprianum.

qui hæc documenta certiſſima] Sic MS. In excuſis erat non rectè, Quia hæc documenta.

ſed cùm illic alia conſultatio] Pro illa conſultatio.

propter legem carnalis circunciſionis] Ex MS. adiecimus carnalis, quod addunt paulò infrà etiam excuſa, cùm etiam de ipſa carnali circunciſione ratio redderetur.

omni die licere ſuccurrere] manuſcr. conſtanter legunt debere ſuccurrere.

IN CAP. VI.

nullus enim abſque peccato ] Coniungit diuerſa duo loca Iob, priorem ex cap.14. ſecundum Septuaginta, alterum ex cap.25.

& numerabiles anni vitæ illius ] Sic MS. & Septuaginta, pro quo nos habemus, breues dies hominis ſunt. Perperā prius excuſa & innumerabiles, quomodo legebatur in vulgatis etiam Hieronymi exemplaribus; ſed poſt in Victorianis locum inueni vt à nobis factum eſt, emendatum.

à fratribus conſulamur] MS. legunt fratribus conſulamus, ſed alterum magis arridet. in excuſis noſtris mendosè legebatur conſolamur.

IN CAP. VII.

quidā extitit Iouinianus nomine] Illud nomine, non legunt MS.

virgines ſanctimonio dicatas] Sic conſtanter manuſcr. & Amorbachius, quod Frobenius in ſanctimoniæ mutauit, ignarus veteris loquendi conſuetudinis.

tenemurque rei in ſimilitudinem ] Sic apud Hieronymum; citatq; ſimiliter Auguſtinus epiſt.28. ad Hieronymū, vbi vtrunq; eius locum & hoc & ſuperiore capite citatum repetit.

quando in eius natura illa inſita ] MS. conſtanter legunt inſita eſt vis: ſed ſenſus nō admittit hoc additamentū, aut deeſt certè aliquid.

vita vnius hominis ] Perperam huius hominis.

IN CAP. VIII.

mortalia vitia primordia] MS. vnum legit mortalium, ſed non rectè, mox enim mortalia primordia immortalibus opponit.

ad hæc fortè] Pro ad, legebatur vt.

quomodo præputium quod per circuncìſionem aufertur] Vtranq; hanc ſimilitudinem repetit ſermo.14. De verbis Apoſtoli: quibus aliam addit de olea & oleaſtro. item lib.6. contra Iulianum cap.3. & lib.1. De nuptiis & concupiſc. cap.19.

IN CAP. IX.

remiſſione mundatum] Pro mandatum.

Cedite veritati ] MS. legunt Credite, ſed nos alterū retinuimus.

quia ſicut fieri potuit] Ex MS. adiecimus quia.

Homo qui naſcitur renaſcitur] MS. conſtanter legunt renaſcatur, quod minus placet.

IN CAP. XI.

quàm illo quo dictum eſt ad Corinthios] ſic MS. quod rectius eſt quàm quod erat in excuſis quàm alio loco quo, &c.

Hic autem ad Romanos vtrunque poſuit] Addit MS. vnum vtrumque expoſuit.

de reſurrectione diu tractatum] Pro diu, erat in impreſſis dn̄i, quod minus quadrat; nam de Chriſti reſurrectione non eo loco, verùm in præcedentibus diſputarat, ſed vtique propter noſtram.

Aculeum autem quo mors facta eſt ] Similiter explicat lib.4. contra duas epiſtolas Pelag. cap.4.

Tunc ei dicetur, Vbi eſt mors victoria tua] MS. hic legunt contentio tua, quomodo Louanienſis editio aliis præterea tribus capitis huius locis caſtigatum habet. Sed vereor ne coniectura ſit, parum ex Auguſtini ſententia: nam quanquā non deſint loca, vt lib.2. contra Iulianum cap.3. De perfect. iuſtitiæ cap.6. ratiocinat.14. ſermo. De verbis Apoſtoli 2.3.& 6. Lib. De vera relig. cap.12. lib. De moribus Cathol. eccleſ. cap.30. & lib.83. quæſt.70. & aliis compluribus, quibus cum Tertulliano lib. De reſurrectione carnis; Cypriano lib.3. ad Quirinum cap.58. Hieronymo epiſt.61. contra errores Ioannis Hieroſol. & in 13. cap. Oſeæ legat contentio; tamen vix dubito quin hoc capite ſcripſerit victoria. Certè ſequentia planè id videntur arguere, vbi ſic paulò poſt ait, Morti inquam corporis tunc dicetur, Vbi eſt mors victoria tua, qua hic omnes ſic viceras, vt etiam Dei filius tecum confligeret; teq; non vitando, ſed ſuſcipiendo ſuperaret? Viciſti in morientibus, victa es in reſurgentibus. Victoria tua, qua abſorbueras corpora morientium, temporalis fuit; victoria noſtra, qua in corporibus abſorpta es reſurgentium, æterna conſtabit. Cæterùm varietas hæc apud Apoſtolum hinc nata eſt, quòd alij legerint νῖκος, alij νεῖκος; illud victoriam, hoc contentionem ſignificat.

etiam in noſtris corporibus fieres] MS. legunt figeres, ſed alterum rectius eſt, niſi deeſt fortè quippiam.

IN CAP. XII.

quemadmodum & nos alibi ] Lib.1. De ſermone Domini in monte cap.27.

& Pelagius cùm eandem ad Corinthios epiſtolam tractaret, expoſuit] Verba eius hæc ſunt: Exemplum refert quo ſæpe contigerit vt lucrifieret vir per mulierem, vnde & B. Petrus ait, Vt ſi non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant: id eſt, cùm viderint eas in melius commutatas, cognoſcant omnes Dei legem, ita conſuetudine inueterata potuiſſe mutari. Item ideò vir & vxor inuicem ſanctificantur, quia ex traditione Dei ſanctæ ſunt nuptiæ. Et mox ſuper illud, Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt, ſic ait: Si non ita eſſet vt dico, filij veſtri adhuc infideles permanerent: ſæpè enim contingeret, vt filij illos parentes qui crediderant, ſequerentur. Sub qua ſpe credi voluit alterum ſaluari poſſe, tam liberorum exemplo quàm coniugis.

ſanctificabantur vir & mulier] Pro vel mulier.

quæ ibi apertè poſita non eſt] Ita melius quàm propoſita.

IN CAP. XIII.

non tamen quaſi factum fuerit confidendum] MS. duo legunt confitendum, ſed alterum videtur magis genuinum.

multum errat] Mendosè erat.

vt etiam cum eius timore ſuperando ſuſcipiant pro fidei ſinceritate certamen] MS. vnum habebat eius timorem ſuperando: ſed alterum videtur magis congruere ſuprà cum lib.2. cap.34.

*Annotationum in tres libros De peccatorum meritis & remiſſione finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI LIBRVM DE NATVRA ET GRATIA.

*Ex collatione ad MS. Gemblacenſ. & Societatis apud nos nominis Ieſu: necnon ad excuſionem veterem Amorbachij ac Frobenij, recentioremq; Bartholomæi Grauij.*

IN CAP. I.

Librum quem miſiſtis chariſſimi filij Timaſi & Iacobe] Horum meminit epiſtola 95. quæ eſt ad Innocentium papam, nomine Aurelij, Alipij, Auguſtini, Euodij, & Poſidij; ſed ſolius Auguſtini calamo ſcripta: ex qua intelligi nonnihil poteſt qui qualeſq; hi fuerint. Miſimus, inquit, reuerentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religioſi & honeſti adoleſcentes ſerui Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timaſius & Iacobus vocantur: qui ſicut audiuimus, & iam noſſe dignaris, ipſius Pelagij exhortatione ſpem quam habebant in ſeculo reliquerunt; & nunc continenter Deo ſeruiunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando per qualemcunque operam noſtram Domino inſpirante caruiſſent, protulerunt eundem librum, Pelagij eſſe dicentes, & vt ei reſponderetur, impendio rogauerunt. Factum eſt, ad eoſdem reſcripta eſt ipſa reſponſio; agentes gratias reſcripſerunt. Vtrunq; miſimus & cui reſponſum eſt, & quod reſponſum eſt, &c. Meminit eorundem & epiſtola 106. quæ eſt ad Paulinum. Quid verò de hoc Pelagij libro Innocentius pontifex iudicarit, ex eius reſpōſione intelligi poteſt, quæ eſt apud Auguſtinum epiſt.96. Librum ſanè, inquit, qui eius eſſe diceretur, nobis à veſtra charitate tranſmiſſum, euoluimus; in quo multa blaſphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus diſpliceret, à quouis damnandum atque calcandum, cui ſimilia niſi qui iſta ſcripſerat, nemo alter in mentem reciperet atque ſentiret.

IN CAP. II.

Ac per hoc natura] Perperam, At per hoc.

quoniam non deſunt adhuc vltimæ gentes, licet vt perhibetur, pauciſſimæ, in quibus hoc nondum fuerit prædicatum] Idem habet ſuprà lib. De Vnitate Eccleſiæ, cap.14. & Epiſt.80. ad Heſychium, lib.3. contra Creſcon. cap.63.64. & ſequentibus, item lib.4. cap.60.& 61. Similiter & Origenes tract.28. ſuper Matthæum. diuerſum ſenſiſſe videntur Hieron. in cap.24. Matth. & in cap.11. Eſaiæ. Commentarius Ambroſio inſcriptus in cap.10. ad Roman. Et Chryſoſt. homil.21. in Matth. niſi quod addit, ferè exiſtimantes ſuis aut etiam Apoſtolorum temporibus impletam fuiſſe prophetiā Pſalmiſtæ, In omnem terram exiuit ſonus eorum: & Chriſti prædictionem de proferendo Euangelio, vſq; ad vltimum terræ. Sed experientia Auguſtino & Origeni ſuffragatur.

IN CAP. III.

Omnia quidem bona quæ habet in formatione, vita, ſenſibus, mente] MS. legunt, quæ habet informatione vitæ. Sed reliquimus quod erat in excuſis.

IN CAP. IIII.

Hæc autem Chriſti gratia] Pro autem, in excuſis erat igitur, ſed alterum habent manuſcr.

IN CAP. V.

& ſi omnibus debitum damnationis ſupplicium] Sic De corept. & gratia cap.10. Quotquot, inquit, ex hac ſtirpe gratia Dei liberantur, à damnatione vtique liberantur, qua iam tenentur obſtricti: vnde etiamſi nullus liberaretur; iuſtum Dei iudicium nemo iuſtè reprehenderet.

poſſet



poſſet culpare iuſtitiam] pro iuſtitia.

IN CAP. VI.

Hoc ſi ſecundum ſcripturas] Id malim cum MS. quàm ſcripturam, numero ſingulari.

neque in paruulis medico indigere] pro indiget.

IN CAP. VII.

tanto & multo] Perperam prius tantum.

quod in libro iſto agitur] Non rectè noua hic erat facta periodus.

tranſgredi ad aliud grauiſſimum eſſe, atque extra ordinem ducimus] Locus eſt mutilus, nec quicquam ex MS. præſidij.

IN CAP. X.

ſed per gratiam Dei inquies ] Sic manuſcr. quomodo & poſtea ſemper, non inquis.

aut confiteri ſolùm] MS. vt & Amorbachius addunt negationem; ſed ipſa reclamat ſententia.

illud per quod res efficitur] Pro efficitur, non rectè prius erat dicitur.

IN CAP. XI.

Nam ſi dixero] Loco Nam, legebatur Nunc.

Videtur certè] Legendum putarim Videtis.

IN CAP. XIIII.

nuſquam eſſe ſcriptum] Etiam Pelagius agnouit; non debere quæ fide credantur, omnia eſſe in ſcripturis expreſſa.

IN CAP. XV.

Linguam autem hominum] Sic hodierni hæretici, addita interrogationis nota, corrumpunt illud Auguſtini ex ſerm.15. De verbis Apoſtoli: Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te?

Si enim hoc ſentiri vellet] Sic MS. & Amorb. non ſentire.

donante illo qui dixit ad ſuos] MS. vnum legit donante.

IN CAP. XX.

Et ſi ita eſt, inquit, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod ſubſtantia caret ] Quo argumento hic vtitur Pelagius ad negandam naturæ deprauationem, idem vſurpat Celeſtius lib. De perfect. iuſtitiæ cap.2. ratiocinatione 4. ad euertendam gratiæ Dei neceſſitatem.

nec exiſtimemus] pro exiſtimamus.

quoniam peccatum iam didicimus] pro dicimus; ſubeſt enim tacita ironia.

quod debuit & gaudere] Fortè legendum quo debuit.

IN CAP. XXI.

Quos poſteros ] manuſcr. legunt Qui ſuos poſteros, ſed alterum prætulimus.

IN CAP. XXIII.

ſed dignos deſeri tantum deſerere ] Idem habet infrà cap.26. Ex quibus locis ſumptum eſt illud vulgatum, Deus neminem deſerit niſi deſertus.

deſerti quippe vt dixi] non dixit. Nam & ſequitur, quæ commemoraui.

vt autem redeat] MS. pro his legunt, veruntamen vt redeat, ſed inter hæc nihil intereſt.

Non ei dicimus ] Pro ei, perperam legebatur enim; ſic etiam & paulò ſuprà, Nemo ei dicit.

ad ſanctæ memoriæ Marcellinum] Vbi & quando Marcellinus obierit, dicemus in Commentario noſtro rerum Donatiſticarum, quanquam attigimus & ſuprà nonnihil ad initium Breuiculi Collationum.

IN CAP. XXIIII.

Ecce, inquit, veniet princeps huius mundi, & in me nihil inueniet] Legit per futurum, quomodo hodie nec Græca nec Latina.

Auertiſti faciem tuam à me] MS. addunt à me.

& factus ſum conturbatus] Sic quoque manuſcr. quomodo & ſuprà legebant excuſa.

IN CAP. XXV.

Hoc ſuperbus animus] MS. legunt amicus, vt ad Pelagium referatur, quem & infrà cap.26. amicum eorum nominat.

vt mercedem mutuam] mendosè metuam.

IN CAP. XXVI.

futurus dirigatur inceſſus] Cùm ita legant & MS. & vetus Amorbach. & Frobenij editio, mirum quis pro inceſſus, reponendum putauit ingreſſus.

ſed ex illius operibus] manuſcr. vnum legit opibus, quomodo & infrà cap. vltimo.

ſicut enim oculus corporis] Eadem ſimilitudine vtitur & lib.2. De peccat. merit. cap.5. & epiſt.106. ad Paulinum.

IN CAP. XXVII.

neſcio quem ſtimulum carnis] Stimulum carnis varij variè accipiunt. Auguſtinus quanquam neſcire ſe hic dicat quis fuerit, in Pſal. tamen 98. & 130. vehementem corporis dolorem interpretatur. Commentarius in Paulum Hieron. inſcriptus, quem ſuprà in 1. cap. lib.3. De peccat. meritis, oſtendimus eſſe Pelagij, inter cætera capitis peculiariter dolorem recenſet, quo eum frequenter laboraſſe famam eſſe ait. idem habent Primaſius & Haymo. attingit & Hieron. in illud ad Galat.4. cap. Et tentationem veſtram quæ erat in carne mea non ſpreuiſtis. At Chryſoſt. homil.26. in 2. ad Corinth. & eū ſecuti Theoph. & Oecumen. reijciunt illud de dolore capitis; intelliguntq; moleſtias, iniurias, & perſecutiones quas ob Euāgelij prædicationem Apoſtolus perferebat: vt idem ſit cùm eo quòd ſubijcitur, Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Quæ ſanè non improbabilis eſt ſententia. Amplectuntur eam & Theodoretus, Ambroſio item inſcriptus Comment. & Primaſius. Quorum poſtremus tertium proponit commentarium de ardore & ſtimulo libidinis; quem habet & Anſelmus; Haymo verò etiam probabiliorem eſſe exiſtimat. Cæterùm lib.2. De peccat. meritis & remiſſ. cap.16. putat Apoſtolum ad mortem vſque hoc carnis ſtimulo non caruiſſe.

Quare ergo cum timore] Valet hic locus contra Lutheranos, qui nos volunt de ſalute æterna eſſe ſecuros, nec iuſtis vllam timendi eſſe cauſam. Idem docet Auguſt. cap.9. lib. De corrept. & gratia.

IN CAP. XXIX.

Omne ergo peccatum & ſuperbia eſt ] Simile quiddam dicere videtur & Proſper lib.3. De vita contemplat. cap.2.3.& 4.

IN CAP. XXXI.

Et hæc quidem ita dixerim] Sic MS.

vt altius Dei conſilium] MS. legunt iudicium, pro conſilium; ſed illud magis placet.

Reuela ad Dominum] Ita manuſcr. & Septuaginta. Conſentit quod aliquanto infrà eodem hoc capite ſequitur, Reuelemus ergo ad eum viam noſtram.

Præuenit autem vt ſanemur] Duplicem diſtinguit gratiam, Præuenientem & Subſequentem.

IN CAP. XXXII.

Auertet, ſicut ſcriptum eſt, ſemitas noſtras à via ſua; & noſtram faciet eſſe quæ ſua eſt ] Id vbi apud Septuaginta ſcriptum ſit, necdum reperire potui: nam in noſtra verſione non legitur.

quod totiens dixi] non dixit.

IN CAP. XXXIII.

comparari hominem Deo ſi abſque peccato eſſe aſſeratur] Neſcio an Pelagius Hieron. notarit: certè vtitur ille eodem argumento epiſtola ad Cteſiphontem quæ eſt contra Pelagium. Nunquid, inquit, præcepit mihi Deus, vt eſſem quod Deus eſt, vt nihil inter me eſſet & Dominum creatorem; vt maior eſſem Angelorum faſtigio, vt haberent quod angeli non habent? De illo ſcriptum eſt quaſi proprium, Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Si hoc & mihi cū Chriſto commune eſt, quid ille habuit proprium? Hactenus Hieronymus.

noſtrum futurum eſſe prouectum] Prouectum, non profectum, legunt MS. quomodo ferè ſemper legiſſe Auguſtinum oſt. ad lib.3. De baptiſmo contra Donatiſtas cap.15.

IN CAP. XXXIIII.

vt in parte veritatis, non in parte] Vocula vt, in excuſis perperam tranſpoſita legebatur.

ne cauſa humilitatis] Pro ne male erat in excuſis nec.

hoc falſum dixiſſe videatur] Sic MS. & vetus Amorb. & Frobenij: in vulgatis iam exemplaribus pro hoc, legebatur hic.

putare poſſe ideò dictum] Ex manuſcr. adiecimus duas voculas poſſe ideò.

imò verè conuincamur] Fortè verò.

ne acciderent] MS. legunt accederent.

IN CAP. XXXV.

quod nefas eſt credere] MS. legunt dicere.

in altare cordis noſtri] Sic MS. pro altari.

IN CAP. XXXVI.

Abel, Enoch,] Nomina hæc omnia in MS. leguntur nominandi caſu; ſimiliter effert Amorb. & Frobenij vetus excuſio. Nos tamen quod in noſtris erat reliquimus.

Debboram, Annam] Non Delboram, MS. conſentientibus 70.

vnde enim ſcimus quid ei plus gratiæ] Sic MS. pro quod ei plus gratiæ. Verùm D. Thomas parte 3. quæſt. 27. art.4. ita hunc locum legit, inde enim ſcimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem cōſtat nullum habuiſſe peccatum. Quam lectionem certè præferrem, ſi quod exemplar MS. ſuffragaretur.

nónne vna voce clamaſſent] Ex MS. adiecimus nónne.

quod humiliter faterentur quia veritas in eis eſſet] manuſcr. & vetus Amorbach. legunt quod humiliter quia faterentur, veritas in eis eſſet. Alteri lectioni reſpondet quod ſequitur, quia veritas in eis non eſſet.

IN CAP.

IN CAP. XXXVII.

A O ſanna fili Dauid] MS. legunt filio.

vberius & plenius adſtruatur] Sic S. Amandi manuſcr. prius erat planius, quomodo infrà cap. 49. legunt MS. vbi excuſa è diuerſo habent plenius.

IN CAP. XXXVIII.

ſcriptura commemorare noluerit] Sic MS. pro eo quod non rectè erat voluerit. Nam paulò pòſt habes, nec tempus quo nati ſunt, nec numerum, nec vocabula oſtẽdens: & mox, ita nec commemorandum fuit.

vnde nonnulli parum conſiderantes] Pro vnde, perperam erat inde: errori locum fecit longum hyperbaton.

aliquanto immoderatius] Sic MS. B. Amandi, pro aliquando.

IN CAP. XXXIX.

poſſumus enim aliquid bona fide teſtes adſtruere quod experti ſumus] Sic MS. in excuſis erat teſtibus. cui lectioni alteram prætulimus. Nam teſtibus probamus frequẽter quæ ipſi experti nõ ſumus.

O vtinam non dico aliud quàm in illis literis] Sic MS. & vetus Amorb. miror vnde pro dico, irrepſerit dicat, pro illis, verò illius.

IN CAP. XL.

quo bene viuamus] Sic MS. quod malim, quàm quod erat in excuſis qua bene viuamus.

B & neſcit quemadmodum viuere] Addendum videtur debeat. Nam ex prioribus duriuſculè repetatur.

IN CAP. XLI.

ſic & per vnius] & adiecimus ex MS. & Amorbachio.

IN CAP. XLII.

Hic rectè facit aliquando conſentire] Phraſis Græca pro conſentiendo, vel vt aliquando conſentiat, cuiuſmodi vtitur aliquando Auguſtinus & alibi, vt lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 1. benefaciunt anathema dicere. Et epiſtola 156. ad Probam, Rectè facis mala huius mundi tolerabilia ducere ſpe futuri.

diffunditur in cordib. noſtris] Amandi MS. legit diffundetur.

IN CAP. XLIII.

qui peccati malo] Pro qui, perperam legebatur cui.

IN CAP. XLIIII.

quod non per Dei gratiam homines] MS. legunt hominem.

& quibuſdam fratribus idoneis teſtibus] fratribus non eſt in manuſcr. Amandi.

IN CAP. XLV.

C ecqui fieri poteſt] In excuſis erat & qui, vbi vel redundat copula, vel legendum ecqui.

Dicimus enim cuiuſque rei poſſibilitatem] Hanc diſtinctionem Pelagij habes verbis eius latius adhuc explicatam lib. De gratia Chriſti cap. 4. ac toto deinde penè libro, præſertim cap. 15. & 16.

IN CAP. XLVI.

quia id omnino nolle non poſſumus] Natura enim humana tot tantiſq; per peccatum bonis ſpoliata, tot tantiſq; malis conſecutis, beatitudinis tamen appetitum amittere non potuit, vt ait Auguſt. Enchiridij cap. 25.

IN CAP. XLVII.

ſentiri poſſibile eſt] Sic MS. pro ſentire.

IN CAP. XLVIII.

Si de integra & ſana] Pro quo erat integritate.

IN CAP. XLIX.

Quid ſi alius] Perperam Quod.

& nolentem] Prius erat volentem, non rectè.

Non enim vt ſtulti putant] Inter quos Plinius lib. 2. naturalis hiſt. cuius hæc cap. 7. quo de Deo diſſerit, verba ſunt: Imperfectæ in homi-D ne naturæ præcipua ſolatia, ne Deum quidem poſſe omnia; namq; nec ſibi poteſt mortem conſciſcere ſi velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis? Sed procul aberrat; omnia poteſt Deus quæ poſſe, potentiæ eſt; non ea quæ imperfectionem, infirmitatem vel defectum includunt; nam hæc poſſe impotentiæ & defectibilitatis eſt, non potentiæ. Similia ſunt apud Auguſtinum loca lib. 5. De ciuitate Dei cap. 10. & lib. 22. cap. 25. Lib. 1. De ſymb. cap. 1. & ſerm. 119. De tempore.

Sed ita dici poſſet planius] Sic MS. pro plenius, & omnino rectius; præcedit enim, Intortè hoc dixit, & ideò ſubobſcurè.

IN CAP. L.

etiam à neſciente qui loquitur] Non quid. De Pelagio enim loquente agit, quem neſcire ait quòd hæc doctrina Chriſti crucem euacuet. Sed norat diabolus quo conſilio hæc ei dicenda ſcribendaq; ſuggeret.

IN CAP. LI.

Cùm vult ergo faciat, quia non vult non facit] Locus corruptus. Fortè legendum, Cùm vult ergo facit, cùm non vult, nõ facit.

quæ vitari potuit] Secuti ſumus editionem Louanienſem.

IN CAP. LII.

A Adhuc videte quas moles conetur, qui ſuam ſententiam ducat irrumpere ſi valeret] Locus mutilus & corruptus. Amorbach. & Frobenij vetus editio pro qui, legunt qua; pro ducat verò dicat. Sed nec ſic reſtitutus eſt locus.

contraria eſt inquiens] Pro inquies.

Deinde reſpondet] Pro reſpondit.

qua verbum caro factum eſt] Sic MS. pro quia.

IN CAP. LIII.

carius hoc loco, nomine] Illud loco, adiecimus ex MS.

Et reſpondeatur] Pro reſpondetur.

rectiſſimè dicitur] Perperam tectiſſimè.

IN CAP. LIIII.

non natura accuſatur] Prius erat non mutata accuſatur.

quis fecit homini ſpiritum] hominis legebat MS. alterum, ſed infrà eodem hoc capite citatur quoq; caſu datiuo.

Æſtus & frigus] Fortè Æſtum & frigus.

poſſint dici non bona] Negationem ex MS. adiecimus.

reſpondet iſte, idem credo Deus] Fortè reſpondebit.

IN CAP. LVI.

ſed de operibus ſentire neceſſe eſt] Excuſa legebant de operi-B bus ſubſtantiæ; ſed illud ſubſtantiæ, ſupereſſe videretur: Nam nec MS. legunt, nec Auguſtinus ſententiam mox repetens addit, vt ad carnis potius opera quàm ſubſtantiæ referatur.

quæ veniunt de carnis concupiſcentia] Sic malim cum MS. carnis, quàm carnali, quod prius erat; reſpondent enim ſibi carnis ſubſtantia, carnis opera, carnis concupiſcentia.

IN CAP. LVII.

vt liberè faciat] Perperam erat libera.

In quantũ quiſque ſpiritu ducitur] Non rectè dicitur legebatur.

IN CAP. LVIII.

cùm diabolo reſiſtitur] Sic MS.

IN CAP. LIX.

vel profiteri] Hoc ex MS. adiecimus, quod habet & Amorbachius.

& noluit aliquid dicere] Pro noluerit.

quòd ipſa natura] Pro natura, perperam legebatur noſtra.

IN CAP. LX.

& heri] In excuſis redundat vel, quod interſerebatur his vocibus.

in iſto corpore viueret] Pro viuere.

ad qualemcunque prouectũ] Hoc germanius eſſe quàm profe-C ctum, ſemel iterumq; iam admonuimus: vide quod ſcripſimus ad lib. 3. contra Donatiſtas cap. 15. & conſentiunt MS.

IN CAP. LXI.

nolim vt erret] Sic MS. pro nolo.

quia nomen eius qui ea dixit, non ibi legi] Lactantius author eſt vnde hæc Pelagius repetiuit: & ſanè videtur ille incarnationis Chriſti myſterium non ſatis penetraſſe.

Oportuit magiſtrum doctoremque virtutis] Extant hæc verba lib. 4. diuinarum inſtitut. cap. 24. ſed paulò aliter quàm hic referuntur. ſic enim habet: Oportet magiſtrum doctoremque virtutis homini ſimillimum fieri; vt vincendo peccatum, doceat hominem, vinci ab eo poſſe peccatum.

Et iterum: vt deſideriis] Ex MS. adiecimus vt, quod legit & Lactantius. Locus hic eſt eiuſdem lib. cap. 25. ſub finem.

ſed propoſiti ac voluntatis] Sic rectè MS. conſentiente Lactantio. prius erat ſed propriæ voluntatis.

Ego deſideria carnis accipio, ſicuti eſt fames] Lactantius haud dubiè non de his, ſed de illicitis deſideriis agit: verùm ſic loquitur propter D ſimilitudinem carnis peccati; non quaſi talia habuiſſet, ſed quia nihil admiſit quo talibus ceſſiſſe deſideriis videri poſſet. Niſi fortè ſenſit hæc etiam in Chriſto fuiſſe.

IN CAP. LXII.

Beatus verò Hilarius] Petita ſunt verba hæc ex Commẽtariis eius in 4. canonem Matthæi, ad illud, Beati mundo corde.

& immortalitate mutati] Ex MS. & Amorbachio copulam adiecimus, pro qua apud Hilarium nunc legitur etiam.

quid iſtum adiuuet, neſcio] Excuſa addebant verè, ſed non legunt manuſcr.

Item quod eum dixiſſe commemorat] Locus hic non extat in Hilarij operibus quæ nunc in manibus habentur. Lib. autem 2. contra Iulian. cap. 8. citantur non pauca verba ex homilia quadam De libro ſancti Iob, titulo B. Hilarij, ſed quam putarim intercidiſſe: inde videtur & hic locus repetitus.

non quid in hoc ſeculo] Pro quod.

nihil horum tamen ſcire ſe rectè poſſe] Videtur deeſſe aliquid, aut ſubintelligendum ait, vel ſimile quid.

quos



quos Apoſtatas vocant] Ita ex Hilario locum hunc reſtitui. prius erat vocat, ſed minus rectè.

ei cedatur dicenti] Non credatur, vt liquet ex proximè antecedentibus.

IN CAP. LXIII.

Sanctus autem Ambroſius in eo loco] videlicet in Commentariis ſuper 1. cap. Lucæ.

vbi in hymno ſuo dicit] Hymnus hic totus extat & legitur à Ciſtertienſibus ad Tertiam, ſed non vno in loco deprauatus. quoniam autem vulgo notus non eſt, viſum eſt totum hic eum inſerere, vt vel eius reſtituendi occaſionem ſtudioſis præbeam.

Iam ſurgit hora tertia
Qua Chriſtus aſcendit crucem;
Nil inſolens mens cogitet,
Intendat affectum precis.
Qui corde Chriſtum ſuſcipit,
Innoxium ſenſum gerit,
Votiſq; perſtat ſedulis
Sanctum mereri ſpiritum.
Hæc hora quæ finem dedit
Diro veterno *crimini; (fortè criminis, vel criminum.)
Mortiſq; regnum diluit,
Culpamq; ab æuo ſuſtulit.
Hinc iam beata tempora
*Chriſti cepere gratiam; (fortè, Cepere Chriſti gratiam.)
*Fide repleuit veritas (fortè, Fidei.)
Totum per orbem eccleſias.
Celſo triumphi vertice
Matri loquebatur ſuæ,
En filius mater tuus,
Apoſtole en mater tua.
Prætenta nuptæ fœdera
Alto docens myſterio,
Ne virginis partus ſacer
Matris pudorem læderet.
Cui fidem cæleſtibus
Ieſus dedit miraculis,
Nec credidit plebs impia;
Qui credidit, ſaluus erit.
Nos credimus natum Deum;
Partumq; virginis ſacræ;
Peccata qui mundi tulit
Ad dexteram patris ſedens.

Votiſque perſtat ſedulis] Exemplaria omnia etiam in Breuiariis & Diurnalibus, vt vocantur, præſtat legebant, ſed perſtat legendum ſenſus ipſe clamat.

Commemorabo & ego de hoc ipſo opere] Locus eſt ſuper præfationem B. Lucæ.

Quem enim miſeratur] Sic manuſcr. & Ambroſius quoque, pro miſereatur.

IN CAP. LXIIII.

Item Ioannes Conſtantinopolitanus epiſcopus] His non abſimilia legis hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. in parte morali: verba verò hæc à Pelagio citata reperire hactenus non potuimus.

quod beatiſſimum Sixtum Romanæ Eccleſiæ epiſcopum dixiſſe commemorat] Rufinum ait Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem librum Xiſti Pythagorei hominis abſque Chriſto atque ethnici immutato nomine Sixti martyris & Eccleſiæ Romanæ epiſcopi prænotaſſe. Idem admonet in cap. 18. Ezech. ſed tacito Rufini nomine. Hinc videtur & Pelagius falſus fuiſſe. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 42. eundem authori ſuo vindicat. Cæterùm librum iſtum Hieronymus præfata epiſtola non admodum laudat, imò verò damnat: In quo, inquit, iuxta dogma Pythagoricorum qui hominem exæquãt Deo, & de eius dicunt eſſe ſubſtantia; multa de perfectione dicuntur: vt qui volumen Philoſophi neſciunt, ſub martyris nomine, bibant de aureo calice Babylonis. Deniq; in ipſo volumine nulla prophetarum, nulla patriarcharum, nulla Apoſtolorum, nulla Chriſti fit mentio; vt epiſcopum & martyrem ſine Chriſti fide fuiſſe contendat. Vnde & vos plurima contra eccleſiam vſurpatis teſtimonia. Vnde & Rufinum hoc nomine temeritatis & inſaniæ accuſat.

ne cùm quiſque] Sic MS. pro quiſquam: & nuſquam non vtitur ſic ea voce Auguſtinus. Sic paulò poſt, ne cùm fuerit quiſque.

IN CAP. LXV.

Item quod ait à memorato dictum eſſe presbytero] Locus eſt lib. 2. contra Iouinianum.

IN CAP. LXVII.

caueri poteſt] In excuſis & vno MS. inſerebatur igitur, ſed in altero MS. erat deletum. Et intereſt ſanè, vel locus mutilus eſt.

vel reſiſtente] ſic MS. pro reſiſtendo. conſentit Auguſtinus lib. 3. De lib. arbitrio cap. 18. vnde repetitus eſt hic locus.

amittat ſcire quid rectum ſit] Pro quod. Et mox:

qui rectè facere non poſſet] pro rectum, quomodo etiam habet Auguſtinus eodem loco.

peruerſa defenſione non fruſtremus] Prius erat fruſtremur.

IN CAP. LXVIII.

vt & illinc] Prius erat illi: ſed alterum erat in MS. nec quicquam præceſſit aut ſequitur, quò illi referatur.

cùm inſtituerint] Perperam erat inſtruerint.

non ſe dicant habere peccatum] In excuſis erat non habere peccatum, ſed non rectè.

IN CAP. LXIX.

& plenitudo legis charitas] Pro charitatis.

Si ambularent ſemitas bonas, inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ leues] Locus eſt Prou. 2. ſecundum Septuaginta; pro quo nos le-A gimus, vt ambules in via bona, & calles iuſtorum cuſtodias.



IN CAP. LXX.

ſed miror] ſic MS. & Amorb. In excuſis erat, ſed maior.

vel naturæ vel voluntatis opibus] ſic MS. quod malim, quàm operibus, quod habebant vulgata.

Annotationum in lib. De natura & gratia finis.

# ANNOTATIONES IN LIBROS DVOS, ALTERVM DE GRATIA CHRISTI, alterum de originali peccato.

Ex collatione ad MS. B. Amandi; & vetera excuſa Amorbachij & Frobenij, necnon recentiora B. Grauij.

IN LIBRI PRIMI CAP. I.

B Meminit prioris operis huius Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 8. cuius titulum ibi eſſe ait, De gratia Dei contra Pelagium, tacitò nomine Celeſtij; & paſſim toto hoc gratia Dei appellatur potius quàm Chriſti.

dilecti à Deo Albina, Piniane & Melania] In excuſis perperam legebatur Albine: nam feminæ, non viri nomen eſt. Meminit eius Auguſtinus epiſtola 224. ad Alipium: ad eandem ſcripta eſt proxima epiſtola 225. vbi & Piniani & Melaniæ quoque ſit mentio. Eadem & ipſa eſſe videtur quam nominat Hieron. epiſt. 16. ad Principiam; ſalutátque epiſtola 99. ad Bleſillam ſub finem. Quare bis mendoſus eſt titulus epiſtolæ 227. apud Auguſt. Albino, Piniano, & Meliano: pro quo legẽdum Albinæ, Piniano & Melaniæ. Nec minus & Hieron. epiſt. 79. ad Alipium & Auguſtinum, vbi pro eo quod ſcribitur, Sancti filij cõmunes Albinus, Apinianus & Melania plurimum vos ſalutãt, reponẽdum Albina, Pinianus & Melania. Ita enim medius ille appellatur ab Auguſt. non ſolùm hoc loco, ſed & præfata epiſtola 225. & 227. ſic & lib. 4. contra Iulian. cap. 8. & à Proſpero cap. 43. lib. contra Collatorem. Imò verò ita legit eadem illa Hieron. epiſtola tomo 2. apud Auguſtinum numero illic 25. Quanquam Metaphraſtes in vita S. Me-C laniæ Apinianum appellat. Error hinc natus eſt, quòd inter ſonandũ duas haſce dictiones Albina, & Pinianus, vix diſcernas quò vocalis illa prima pertineat, ad prioriſne finem an poſterioris initium: vt autem huic potius iungeretur, fecit, quòd indecorum videretur feminam viro præponi, fortaſſis etiam ſacerdoti. Hinc factum Albin. Apinianus, quod alij ſupplere volentes, ſcripſerunt Albinus, Apinianus. Cæterùm nobiliſſimi fuerunt hi & opulentiſſimi Romanæ vrbis ciues; familiaq; Conſulari. Arbitror autem Albinam Piniani & Melaniæ matrem fuiſſe....... & Auguſtinus epiſt. 225. Pinianum filium eius vocat. Scio iuxta Metaphraſtis ſententiam, generum ſic appellari potuiſſe; ſed non eum fuiſſe, vt is vult, Melaniæ maritum, cùm qua pòſt vnanimi propoſito continentiam vouerit, abunde docet Hieron. epiſt. 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ, vbi eam ait Romæ cùm adhuc eſſet, primùm maritum, pauloq; pòſt duos filios perdidiſſe. Nam concepto iam ſanctioris vitæ propoſito, alteri nubere voluiſſe, prorſus improbabile eſt. Siquidem D. Hieron. Damaſi temporibus Romæ cùm eſſet, multas inſignes matronas interq; cæteras Albinam & Melaniam ad mundi contemptum excitauit, perſuaſitq; vt ad loca ſacra inuiſenda proficiſcerentur. Albinæ (niſi alia fortaſſis eſt) Hieron. D ſub finem epiſt. 99. ad Aſellam, ſororem Marcellam addit, Marcellinam item, ſanctamq; Felicitatem; ſed an poſteriores duas etiam ſorores faciat, incertum. Epiſt. 16. quæ eſt ad Principiam, filiam ei dat Marcellam nomine, à priore haud dubiè diuerſam. Videtur autem & fratrem aut patruum ſaltem vel auunculum habuiſſe Marcellum, qui ſub Conſtante imperatore ſub annum Domini 341. cum Probino Conſul Romæ fuit. Nam Rufinus lib. 2. inuect. in Hieron. Melaniam neptem eius facit: nám de altero illo Marcellino, qui gentiliſſimi tempore vnà cum Aurelliano Auguſt. anno Domini 276. conſul fuit, non eum arbitror loqui. Ergo Hieroſolymam priuſquam abirent, ſi Metaphraſtæ credimus, in Siciliam primùm, deinde in Africam conceſſere, Tagaſtæq; natali ſolo B. Auguſtini, vbi Alipius epiſcopatum gerebat, aliquamdiu hæſere: ad quos ibidem agentes ſcripſit Auguſt. epiſtolam 227. Paulò verò pòſt cũ Hipponem ſalutandi eius cauſa veniſſent, Pinianus à tumultuante populo cupiente eum illic retinere, magna contentione animorum ad presbyterium illic ſuſcipiendum poſtulatur; cúmque nec Auguſtini reclamantis authoritate tumultus ſedari poſſet, iurauit ſe Pinianus Hippone permanſurum, nec niſi in eius ciuitatis Eccleſia clericatus honorem ſuſcepturum. Vnde pòſt Auguſtinus in magnam Albinæ matris indignationem incidit,

kk tanquam

tanquam ipſe opulentum iuuenem retinendum illic curaſſet: qua de re excuſat ſe Auguſtinus tum apud Alipium epiſtola 224. tum apud Albinam epiſt. 225. Quomodo autem contentio tandem illa compoſita ſit neſcio; nam certum eſt Pinianum non ibi hæſiſſe. Etenim cum Albina matre ſororeq; Melania, Paula Euſtochioq; ac alijs compluribus viduis virginibusq; comitantibus, in Palæſtinam poſtea abijt, Hieroſolymam, Bethlehem, Ægypti ac Nitriæ monaſteria inuiſit, tandem Hieroſ. ſedem fixit: vbi cum Pelagio, qui & illic habitabat, contracta notitia egit cum eo, vt quæ aduerſus eum dicerentur ſcripto damnaret, cuius reſponſum communi matris ac ſororis nomine ad Auguſtinum tranſcripſit, de quo hic libri huius cap. 2. Vnde apparet non eum tantùm, ſed & cæteras quoque celebre illic nomen habuiſſe. Melaniam verò in primis commendat Hieron. quam & in Chronicis ſui temporis Theclam appellat. Epiſtola verò 25. ſic de ea ſcribit: Sancta Melania, inquit, noſtri temporis inter Chriſtianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihiq; concedat in die ſua habere partem, calente adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato duos ſimul perdidit filios. Rem ſum dicturus incredibilem, ſed teſte Chriſto non falſam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, ſparſis crinibus, veſte conſciſſa lacerũ pectus inuadere? Lachrymæ gutta nõ fluxit, ſtetit immobilis, & ad pedes aduoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit. Expeditius, inquit, tibi ſeruitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti. Sed forſitan ſuperatur in cæteris? Quinimo qua illos mente contempſerit, in vnico poſtea filio probat: cui omni quam habebat poſſeſſione conceſſa, ingruente iam hyeme Hieroſolymam nauigauit. Hîc addere licebit quæ de ea ſcribit epiſtola 99. ad Aſellam. Hæſit autem cum Hieron. non paruo tempore, doctrinæ in primis eius, & ſanctitatis admiratrix: ſed poſt Rufinum Euagriumq; Ponticum ſecuta, poſtquam eis cum Hieronymo propter Origenis doctrinam contentio incidit, cœpit & ipſa à Hieronymo diſſidere, eumq; mordere: vnde reprehendit eam Hieronymus epiſtola 101. ad Pammachium, De optimo genere interpretandi; epiſtola verò ad Cteſiphontem, eandem haud obſcurè notans, nomen habere dicit à tenebris perfidiæ. Tandem verò poſt Albinæ Pinianiq; mortem Romam regreſſa eſt, abiecto etiam vitæ ſanctioris propoſito. Cæterùm hinc intelligi poteſt quàm vera ſit Metaphraſtæ in vita eius, hiſtoria, qui mihi videtur pleraque, quæ de Paula ſcribit Hieronymus, in eam conferre voluiſſe.

IN CAP. II.

Scripſiſtis mihi cum Pelagio vos egiſſe] nimirum cùm Hieroſolymis apud eum eſſent.

Anathemo qui vel ſentit vel dicit] Sic MS. & vetus Amorb. ac Frobenij editio: qua voce vtitur & Auguſtinus non ſemel epiſtola 95. ad Innocentium pontificem, anathemet ergo, inquit, Pelagius ſcripta ſua: & mox, anathemet ea tamen & damnet. Pro quo ibidem aliquanto antè dixerat anathematizet ea. Eã ergo vocem mutauit quiſpiam in anathema, quod habebant noſtra excuſa.

literis ſuis quas Romam miſit] Ex MS. adiecimus quas, quanquam legebant & vetera Amorbach. & Frobenij: conſentit & Louanienſis editio.

quia iuſtè viuendo iuſtèque docendo] Fortè iuſtaq; docẽdo.

IN CAP. III.

ſed illam quæ in poteſtate noſtra non eſt] Pro illam, non rectè erat illa.

hoc eſt poſſibilitas, tam ſit inualidum] Pro quo erat ordine perturbato, hoc ſit inualidum, id eſt poſſibilitas. Nam deerat & vocula tam.

IN CAP. IIII.

eſſe in effectu locamus] Perperam affectu.

in hoc natura recipit] Sic MS. quod malim, quàm in illo.

vnde hoc propter calumniam veſtram] Sic MS. pro noſtram; verba ſunt enim Pelagij aduerſus Catholicos: niſi quis calumniam noſtram, paſſiuè accipiat, qua ſe Pelagius ab eis impeti fingebat.

confeſſione poſſibilitatis] Redundat copula quæ in excuſis addebatur, quam nec MS. noſtrum, nec Amorb. legit.

IN CAP. V.

Deum in nobis dixit operari] Ita malim cum MS. & Amorb. quàm in vobis: nam licet Apoſtolus ſecunda ſit vſus perſona, Auguſtinus eam tamen pro argumenti ratione in primam commutauit.

IN CAP. VI.

Sed cur hoc dixerit] pro dixit.

non ait ipſam voluntatem vel ipſam operationem] Prorſus non intellexit Pelagij hæreſim, qui hoc loco ad marginem adſcripſit, In tenui labor eſt.

ſine cuius adiutorio quid eſt homo?] Pro quis eſt homo? Amorbachius legebat, ſine eius adiutorio quis eſt homo: hinc editio Louanienſis fecerat, ſine cuius adiutorio iuſtus eſt homo: annotãs ad marginem & aliam coniecturam; quia ſine eius adiutorio iuſtus eſt homo: vt ex Pelagij perſona dictum ſit. Sed alterum eſt in MS.

IN CAP. VII.

multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminationẽ] Sic MS. noſtrum, cui conſentiunt ipſa Pelagij verba paulò antè citata. In excuſis per accuſatiuum legebatur multiformem & ineffabilem.

IN CAP. VIII.

Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare] Sic MS. conſentiente Apoſtolo in exemplaribus & Græcis & Latinis.

IN CAP. X.

& mutorum more animalium] Copulam &, adiecimus ex MS.

volumus iſte aliquando fateatur] Miror quis hinc faciẽdum putarit, nolumus. Iſtam aliquando fateatur; cùm alterum ſit & in MS. & in Amorbachio.

ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus] Negationem ex manuſcr. adiecimus, quæ erat etiam in veteribus excuſis & Louanienſ. editione.

IN CAP. XI.

Et tamen dicit] Prius erat: Et cùm dicit.

IN CAP. XII.

Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur: in infirmitate ſcilicet non vt ille putat carnis tantùm, ſed & carnis & animi] Id repetitum videtur ex libris Pelagij De libero arbitrio, de his enim hic diſſerit Auguſtinus: certè in Commentariis eius ſuper epiſtolas Pauli, locus iſte nõ attingitur. Rectè autem ait Auguſtinus Paulum Apoſtolum cùm in terris verſaretur, infirmum adhuc fuiſſe, non carne tantùm, quia mortalis eſſet, multiſq; adhuc corporis miſeriis obnoxius; ſed & mente quoque, quia videlicet nondum ad ſummam illam iuſtitiæ perfectionem veniſſet, qualis beatorum eſt angelorum, qualemq; & ipſe in cælis expectabat, qua nimirum fieret vt peccare & deficere amplius non poſſet. Quandoquidem, vt ipſemet ait, periculum adhuc ei erat, ne magnitudine reuelationum extolleretur; cui malo elationis reprimendo ſanandoq; admodum opportuna erat huius infirmitatis imperfectioniſq; conſideratio; adeò verò neceſſaria, vt, quemadmodum hic ait Auguſtinus, perfici non poſſit qui ſe non fateatur infirmũ. Vnde & Hieron. epiſtola ad Cteſiphontem hanc vnam dicit vitæ huius eſſe perfectionem, vt te imperfectum agnoſcas. Idem hoc argumentum de hac mentis, non carnis tantùm infirmitate fuſe atque eleganter tractatum habes apud eundem Auguſt. ſerm. 5. De verbis Apoſtoli, & lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7. quorum collatione non parum hic locus illuſtrabitur. Auguſtini ſententiam ſecutus eſt & Primaſius, qui & verba eius ex præfato lib. contra duas epiſt. Pelag. Commentario ſuo inſeruit. Sed ſcrupulus hic nonnullus exiſtet: nam licet veriſſimus ſit Paulinus hic locus, etiam vt Auguſtinus facit, intellectus; quæſtionem tamen habet, vtrum is Commentarius Apoſtolici textus conſequentiæ circunſtantiæq; conueniat. Etenim infirmitas eadem hic eſſe videtur cum ea, vbi paulò poſt ait, Lubenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Et placeo mihi in infirmitatibus meis. Rurſus cap. 11. quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Hæ autem quæ ſint, haud obſcurè in ſequentibus explicat, recenſens aduerſitates, afflictiones, perſecutiones, in quas propter Euangeliũ incurrebat: quomodo & Græci omnes infirmitatem interpretantur: ſub quibus intelligi poſſunt & morbi corporales; quò retulit Hieron. epiſt. 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ. In his ſanè ſimilibuſq; carnis moleſtiis, doloribuſq; pro Chriſto illatis gloriari & placere ſibi quiſque poteſt, imò ſi neceſſe ſit, appetere, iiſdemq; ſeſe offerre licet: at verò in mentis infirmitate, ac iuſtitiæ imperfectione, in concupiſcentiæ, elationis, ac ſuperbiæ pronitate vel tentatione, non ſolùm gaudere ac gloriari non oportet, quin potius ob hæc dolere, gemere ac lachrymari debemus; nullo verò modo appetere vel deſiderare. Quis enim rectè optarit vt aliquid ei deſit iuſtitiæ, quam ſemper eſurire & ſitire iubemur? quis piè conſentiat vt vel in ſola parte ſenſitiua contra legem mentis cõcupiſcentia, luxuriandiq; deſiderium excitetur? aut elationis inflationiſq; cogitatio, etiam ſi non ei conſentiat, in animo ipſius oriatur? Quare citra præiudicium eorum qui rectius fortaſſis explicare hoc poterunt, videtur Auguſtinus Paulinam ſententiam non tam ſecundum loci ipſius circunſtantiam interpretatus, quam quomodo ſeorſum extra contextum ſumpta, veriſſimè ſaniſſimeq; ſecundum fidei analogiam intelligi poſſit. Cæterùm quæ ſit Virtus apud Apoſtolum quæ infirmitate perficiatur, dicemus ad cap. 7. lib. 3. contra duas epiſt. Pelagian.

quia & animus erat in comparatione ſummæ illius perfectionis infirmus, quando extolleretur] Locus mutilus; legendum fortaſſe, quando adhuc periculum ei erat ne quãdo extolleretur.

nondum percipientium quæ ſunt Spiritus Dei] Mendosè perficientium.

IN CAP. XIII.

tanquam hoc ſit certiſſimum indicium quod à Deo didiceris, ſi id quod didiceris, feceris] Sic MS. ſingulari numero, quod malim, quàm plurali cum excuſis.

Qui autem nouit quid eſt quod fieri debeat, & non facit] Sic MS.



In excuſis erat, Qui autem nouit quidem quid fieri debeat. Sed illud quidem, non habet aduerſatiuam.

IN CAP. XV.

quod poſſumus, inquit, videre oculis] Pro inquis, vt liquet ex initio etiam capitis proximi.

IN CAP. XVII.

Illud ergo timuit vt non diceret] ſic tamen loquitur Pelagius in Commentariis ſuis in illud ad Roman. 11. Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis. Verba citauimus ſuprà ad initium lib. 3. De peccat. meritis & remiſſione.

quia illud poſſe ad vtrunque donauit] In fine ſecundi libri Sententiarum diſputari à ſcholaſticis doctoribus ſolet, Vtrum peccandi potentia nobis à Deo ſit. Docent autem ſi quidem peccandi potentia pro animæ facultate ſumatur, hoc eſt arbitrij & voluntatis libertate qua bene vel malè agimus; haud dubiè à Deo eſſe: atque ita hîc accipit Auguſtinus & ſequentibus capitibus. Sin verò eadem peccandi potentia accipiatur pro potentia deficiendi à recto & à Deo recedendi, quæ nõ tam potentia quàm impotentia eſt, ex Deo non eſſe, ſed ex creaturæ ipſius imperfectione: cùm enim de nihilo condita ſit, ex natura ſua habet vt deficere, labi & ad nihilum redire poſſit: ſolus enim Deus natura ſua immutabilis eſt, ac indefectibilis. Alioqui enim, ſi ex Deo foret hæc deficiendi potentia, etiam peccatum quod hinc naſcitur, authori Deo aſcribendum foret: à quo enim potentia, ab eodem & eius actus. Sic Auguſtinus lib. 14. De ciuitate Dei cap. 13. Vt natura ſit, ex eo habet, inquit, quod à Deo facta eſt: vt autem ab eo à quo facta eſt deficiat, ex hoc quod de nihilo facta eſt. Et lib. 12. cap. 1. Dicimus, inquit, immutabile bonum non eſſe, niſi vnum verum Deum beatum; ea verò quæ fecit, bona quidem eſſe quod ab illo; veruntamen mutabilia, quòd non de illo, ſed de nihilo facta ſunt. Similia ſcribit lib. 1. contra Iulian cap. 8. & lib. 3. cap. 24. Lib. 2. De nupt. & concupiſc. cap. 28. & 29. Denique epiſt. 56. Diuerſum ſentit epiſtola ad Demetriadem virginem, cuius initiũ, Si ſummo ingenio; ſed quam Pelagij eſſe infrà docebimus ad cap. 37.

IN CAP. XIX.

quando Dei accipit gratiam] MS. pro Dei, legunt à Deo.

IN CAP. XX.

quæ non ex patre eſt] Perperam parte.

IN CAP. XXI.

Quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quàm charitas] Similia habet lib. 19. De ciuitate Dei cap. 7. & lib. 12. cap. 9. Lib. 50. homil. 8. Conc. 2. in Pſal. 36. ad illud, Fœneratur peccator. & alibi quoque. Vbi ſi charitatem accipere placet, quomodo propriè in ſcripturis vſurpatur, pro ea dilectione qua pia fiducia ſperantes nos in Dei filios eſſe adoptatos, amamus, amplectimur & interpellamus eum vt patrem noſtrum, dicentes Abba pater; quæ nimirum ſancta eſt cum Deo amicitia, nec eam habere quiſquam poteſt, niſi per inhabitantem Spiritum ſanctum; propriè quoq; intelligenda erit voluntas bona; ea nimirum quæ perfectè talis eſt, cui per inhabitantem Spiritum ſanctum lex Dei inſcripta ſit, hominem bonum, iuſtum, & ſecundum Euangelium, arborem bonam faciẽs; talemq; omnino qui ad vitam æternam capeſſendam idoneus ſit. Quomodo definiſſe videtur Auguſt. lib. 4. cõtra Iulianum cap. 3. vbi inter cætera huiuſmodi etiam verbis ſub finem vtitur: Scito, inquit, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumq; perduci. Libro verò 1. De libero arbitrio cap. 12. Bonam voluntatem eam eſſe dicit qua appetimus rectè honeſteq; viuere, & ad ſummam ſapientiam peruenire. Non viuunt autem homines bene, vt idem ait lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 2. niſi effecti filij Dei. Vt ergo bona voluntas eadem ſit cum proprij nominis charitate, ita eam hic vſurpatam intelligere debemus. Sin verò generatim accipere placet, pro virtutis ac iuſtificationis deſiderio, cuiuſmodi in pœnitentibus prærequiritur ante peccatorum remiſſionem, generaliter etiam charitas erit accipienda, pro eius initio quodam & inchoatione. Sed quam Eccleſiæ vſus perfectæ tantùm dilectioni accommodauit.

IN CAP. XXII.

in eo libro quem ad ſacram virginem ſcripſit] Demetriadem videlicet: de quo libro infrà aliquid dicturi ſumus ad cap. 37.

quas Romam miſit] ad Innocentium videlicet pontificem; de quibus & infrà ad cap. 32. Cæterùm in excuſis pro quas, mendosè legebatur quam.

vt de conuerſione eius apertiſſimè gauderemus] Fortè apertiſſima.

ſicut fidelibus & piè viuentibus additur gratia, qua reſiſtant fortiter tentatori, cũ tamen gratiam etiã primitus accepiſſent, vt Dei facerent voluntatem] Haud obſcurum habes hic Auguſtini teſtimonium quo meritum agnoſcit in gratiæ augmento.

qui ei adhærendo iugiter] Naſutulus quiſpiam fecerat hinc iungitur, ſed contra MS. & veterum excuſorum fidem. Quin ipſe Auguſtinus infrà non vno loco ſimiliter citat: vt cap. 23. eique adhærendo iugiter; & cap. 24. & ei iugiter adhærendo.

vt cùm adheſerimus eo non adiuuante] Pro eo, non ſatis commodè erat Deo.

IN CAP. XXIII.

cùm ſine vllo adiutorio] In MS. eſt cùm ſine illo adiutorio: ſed nos alteram lectionem prætulimus.

Non ex vobis, ſed Dei donum eſt] MS. cõſentit Apoſtoli textus: excuſa nobis legebant.

quo nobis non donetur gratuito] Sic MS. pro gratuita.

à Deo non adiuti adhærebimus Deo?] Ita hunc locum ex MS. caſtigauimus, qui deprauatiſſimè in excuſis legebatur hoc modo, nõ adiuti non adhærebimus Deo?

IN CAP. XXIIII.

vtrum rex ille Aſſyrius] Aſſuerus videlicet. Idem argumentũ proponit lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 20. vbi ait, hunc librum Heſter ſpiritu Dei conſcriptum.

in claritate intuitus eſt eam] Perperam charitate.

& ei iugiter adhærendo] Excuſa, inhærendo legunt: ſed prius illud habent manuſcr. quomodo & ſuprà cap. 22. & 23. eadem Pelagij verba leguntur.

omnemque ſuam mortificauerat voluntatem] Sic manuſcr. & Amorb. non mortificauerit, vt ex præcedentibus & ſequentibus clarum eſt.

ſed inter vtramque medium in aliquid declinare?] Inter indignationem videlicet & lenitatem. perperam in excuſis inter vtrunque. Prior lectio eſt non tantùm in MS. ſed & in vetere Amorb. Feſellit Frobenium vocula medium, ſed quæ hic reſpondet ei quod præceſſit, cor neutra affectione præoccupatum.

IN CAP. XXV.

qui hoc poſſe adiuuat] Miror quis hæc in vulgatis delenda putarit, cùm non modò in MS. ſed in Amorb. quoque legantur, repetatq; mox etiam Auguſtinus: Non ſolùm enim, inquit, Deus poſſe noſtrum donauit atque adiuuat.

Non quia nos non volumus, aut nos non agimus] Ergo Dei gratiæ cooperatur liberum arbitrium; non verò patitur tantùm; vt Lutherus voluit.

ſed vt bonum faciatis] In excuſis deſiderabatur vt.

IN CAP. XXVI.

non turbetur peruicaci eius obſtinatione] Sic manuſcr. pro pertinaci.

Cogitationem & electionem] Videri queat legendum Cognitionem, niſi antecederet cogitamus, & cogitare.

& tunc ſcientia non inflat quando charitas ædificat] Erudita enim charitas vehementer pietatem promouens.

IN CAP. XXVIII.

tam firmum eſt ad non peccandum] Perperam legebatur infirmum, contra fidem MS. & Amorbachij quoq; editionem.

IN CAP. XXX.

Prorſus nuſquam] Pro nunquam. Illud enim etiam præcedente verſu legitur.

deputantur in ſemen] Sic manuſcr. & textus Græcus Apoſtoli. prius erat ſemine.

quos iudiciis eccleſiaſticis allegauit] Romæ videlicet ſub Zoſimo. de quibus & infrà cap. 33.

literas nuper & libellum Romam fidei ſuæ miſit] Et hinc intelligi poteſt iam olim conſuetudinis in eccleſia fuiſſe, vt qui de hæreſi ſuſpecti vel infamati eſſent, rationem ſuæ fidei reddere cogerentur Romano pontifici: quod non leue eſt ſupremæ in eccleſia poteſtatis eius argumẽtum. Cæterũ de hoc libello fidei paulò poſt in cap. 32. aliquid dicemus.

IN CAP. XXXI.

iuuatur à gratia] Præpoſitionem ex MS. adiecimus.

cùm eos qui hoc dicunt] pro hæc. Vnum enim ibi tantum errorem vrget.

Chriſti munitur auxilio] Perperam muniuntur. Refertur enim ad bonum conditionis, quod antecedit.

qui bene libero vtentes arbitrio] Pro vtens.

debitum eis reddi fatetur] Pro eis, erat eius.

IN CAP. XXXII.

ſed ab his literis Pelagius ad fidei ſuæ librum vult tranſire lectorem] Tomo 4. D. Hieron extat fidei ſymbolum ordine inter cætera ſecũdum, cuius initium, Credimus in Deum patrem: finis autem, hæreticum comprobabit. Quod ſi cum hoc 32. & 33. capite & lib. 2. De peccato originali cap. 1. & 21. conferas, prorſus videbitur liber hic eſſe fidei quem ad Innocentium pontificem Pelagius tranſmiſit: nam quæ de eo hic recenſet Auguſtinus, omnia illic eodẽ prorſus modo deſcripta inueniuntur.

cuius vobis mentionem fecit] Perperam nobis.

cùm enim ab vnitate trinitatis] Cùm ita legant MS. & vetus Amorb. miror quis legendum putarit vnitatis trinitate.

IN CAP. XXXIII.

Legant, inquit, illam epiſtolam, quam ad ſanctum virum Paulinum epiſcopum ante duodecim ferè annos ſcripſimus] Nolanus hic fuit epiſcopus, vt ait Proſper lib. contra Collat. cap. 43. quem Pelagius datis ad eum literis, quarum hic fit mentio, fallere & ad ſe pertrahere conatus fuit. Et amauit quidem ille hominem tanquam ſeruum Dei priuſquam hæreſim eius perſenſiſſet. Ad quem proinde Auguſtinus cum Alipio epiſtolam ſcripſit quæ eſt numero 106. qua eum aduerſus fraudes & verſutias eius præmunit.

IN CAP. XXXVII.

Legant etiam, inquit, quam ad ſacram Chriſti virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus] Extat hic liber tomo 4. D. Hieron. falsò eius nomini aliquando inſcripta. Reperitur & inter Auguſtini epiſtolas numero 142. cuius initium, Si ſummo ingenio. In hoc enim opere extant ea omnia quæ ab Auguſtino inde citantur, tum hoc loco, tum ſuprà cap. 22. & 27. & infrà cap. 38. & 40. Diſcimus ergo ex Auguſtino authorem eius eſſe Pelagium: quo ne virgo falleretur, matrem eius Iulianam monet Auguſtinus epiſtola 143. Oppoſuit eidem quoque velut antidoton B. Proſper epiſtolam doctiſſimam, ipſi etiam Demetriadi inſcriptam, quæ ei humilitatem virginitatis cuſtodem in primis commendat: falſo autem Ambroſio inſcribitur. Aduerſus eandem ſcribit & Beda lib. 1. in Canticum canticorum cap. 5. vbi eam, quod mirum eſt, Iuliano tribuit Celanenſi epiſcopo Pelagiano, cuius infrà frequens erit mentio. Ad eandem prius & Hieronymus ſcripſerat matre & auia Proba rogante, de ſeruanda virginitate librum, qui eſt in eius epiſtolis numero 8. ad quarum poſteriorem extant Auguſtini epiſtolæ numero 121. & 156. ad vtranque 179. Fuere autem hæ omnes Romanæ vrbis nobiliſſimæ opulentiſſimæque matronæ, quæ vaſtationem illic Gotthicam fugientes in Africam tranſierunt. De quibus plura in præfata Hieronymi epiſtola.

nec mediocritati diffidamus ingenij] Apud Hieronymum & Auguſt. epiſtola 142. legitur nec de mediocritate.

nec id poſſe credendum eſt, qui inſtaurati per Chriſti gratiam] Perturbatior erat excuſorum lectio, in quibus ita ſcriptum erat, inſtauratos id poſſe credendum eſt, nos qui per Chriſti gratiam & in meliorem hominem. Vbi haud dubiè copula quoque ipſa mendum ſubeſſe clamabat. Locum ergo ex Hieron. & Auguſt. epiſtolis correximus, niſi quòd pro inſtaurati, vt habebat manuſcr. Amandi, legebant inſtructi; ſed illud præferendum putauimus.

cùm Chriſti intuemur exemplum] In excuſis erat imitamur, ſed prius erat in MS. cui propius etiam accedit quod mutatis per errorem apicibus vetus habet Amorb. editio imitemur. Vnde alij imitamur, faciendum putarunt. Vtrunque coniungit Auguſt. capite trigeſimonono, ſed intuendum & imitandum in doctrina euangelica virtutis eius exemplum.

IN CAP. XXXIX.

Hoc enim quod tu de Apoſtolo intelligere cupis, omnes eccleſiaſtici viri in peccatoris & ſub lege adhuc poſiti, aſſerunt eum dixiſſe perſona] Quoniam verba hæc obiter hic tantum & alterius rei gratia, proferuntur, reſpondet iis autem Auguſt. aliis compluribus locis, lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 8. & ſequentibus. Lib. De prædeſtinatione ſanctorum cap. 4. Sermo. 5. De verbis Apoſtoli. Lib. 2. contra Iulian. cap. 3. 4. 5. & 8. & lib. 6. cap. 23. nos quod dicendum hic erat, in poſtremum hunc locum differemus.

qui nimia] pro quia, MS. conſentiente & Amorb.

Vbi locum ipſum de quo reſpondet] ſcilicet Pelagius: perperam erat reſpondetur.

IN CAP. XLI.

quam diſcipulis ſic poſſit exponere] Ita rectius MS. & Amorb. quàm poſſet.

propter quod & orandum eſſe concedit.] Perperam adorandum, cùm illud legant non tantùm MS. verùm etiam Amorb.

IN CAP. XLII.

in ſcripturis ſanctis] Illud etiam, quod in excuſis erat, ſuſtulimus, cùm in MS. non eſſet, & redundaret.

IN CAP. XLIII.

flos quidam ſpecioſus enituit] In manuſcrip. erat pretioſus, in aliis præcipuus; ſed neutrum placet, tùm quòd præceſſit paulò antè, in cuius præcipuè libris, tùm quòd floris non pretium, ſed ſpecies & decor laudari ſolent. Certè lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. vltimo, vbi eadem Pelagij verba repetuntur, legitur ſpecioſus, etiam MS. conſentientibus. Eandem Ambroſij commendationem repetit & cap. vltimo lib. De Originali peccato.

IN CAP. XLIIII.

Vides itaque] Sic MS. pro quo in excuſis erat vtique, ſed neutrum eſt hodie in Ambroſio.

Videtis quemadmodum] plurali, non ſingulari numero. ſcribit enim ad tres, non ad vnum. Certè præter manuſcrip. ita legit & Amorbach.

Secundum hominem, inquit] MS. legunt homines; verùm alterum eſt apud Ambroſium; ſed vbi pro debuerat, quod nos habemus, extat hodie debuerit.

IN CAP. XLV.

nunc ſedentem, nunc ſtantem] Non rectè in excuſis erat tunc ſedentem, cùm illud habeant & MS. & Amorb.

Quid in eo Pelagio] Præpoſitionem in, quia legebatur non tantùm in MS. ſed in veteribus quoque Amorb. & Frobenij editionibus, reſtituimus in ſuum locum.

IN CAP. XLVI.

Audiat eundem antiſtitem Dei in ſexto libro eiuſdem operis dicentem] Hæc in ſeptimo iam libro leguntur, haud procul ab initio, ad illud Lucæ 9. Sinite eos & nolite prohibere. Vnde intelligimus aliam fuiſſe olim librorum iſtorum ſectionem: niſi fortè error eſt, & pro ſexto, legendum eſt ſeptimo.

quia vt dicit etiam noſtrorum temporum homo eius] Fortè homo Dei, niſi referas ad id quod proximè anteceſſit, ſed miſerentis Dei.

IN CAP. XLVII.

ita eſt ad diſcernendum difficilis] Idem ait lib. 2. Retractat. cap. 66. lib. De gratia & libero arbitrio cap. 1. Lib. 4. contra Iulianum cap. 8. lib. 2. De peccatorum meritis cap. 18.

latebris obſcuritatis] Ex MS. adiecimus huius.

& ſic adiuuari] Id deerat in excuſis.

IN CAP. XLVIII.

quia videlicet in ſcriptis eius] pro in, irrepſerat ex.

verè atque omnimode] Ea voce libenter vtitur Auguſtinus, quam habebant etiam MS. non omnino.

IN CAP. XLIX.

Audiat denique ipſum venerabilem Antiſtitem, cùm exponeret Eſaiam prophetam] Non extat hoc opus, ex quo tamen Auguſtinus non pauca & aliàs producit, vt infrà lib. De originali peccato cap. vltimo, lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 35. lib. 1. contra Iulianum cap. 4. & lib. 2. cap. 8. lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 1. & 2. Meminit huius operis ipſemet Ambroſius lib. 2. in Lucam ſuper illud capitis 2. vt ſiſterent eum Domino.

omnimodo perfectæ iuſtitiæ] Ita & hic MS. pro omnino.

IN CAP. L.

diuina ſubuenit gratia] perperam ſubiicit.

## IN LIBRI SECVNDI CONTRA PELAGIVM ET CELESTIVM, QVI EST DE ORIGINALI PECCATO, CAPVT PRIMVM.

aut cùm faceret, non calumnioſiſſimus videretur] Sic MS. pro quo in excuſis erat, aut eis faceret? Cui verò calumnioſiſſimi viderentur.

omneſque ſine vllo vitio natos eſſe oſtendunt] Prorſus hæc vera videtur lectio, pro qua prius erat nullo ſanè ſenſu, omnes qui ſine vllo.

IN CAP. II.

damnare voluerit eos] perperam damnari, vt liquet ex cap. 4. Et propter hanc dubitationem ſuam non damnauerit eos qui dicunt quòd peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & apertius cap. 10. propterea Celeſtium noluiſſe damnare.

IN CAP. III.

Et poſt aliqua alio loco] Cùm illud aliqua, extet non tantùm in MS. ſed & in veteri Amorb. editione, putaui non eſſe omittendum.

IN CAP. IIII.

dico Adam conſtitutus] Locus videtur corruptus, niſi reſpondere ſibi intelligantur Rogo, quod anteceſſit, & iſtud dico, pro reſpondeo.

IN CAP. VI.

Hunc ſenſum ſuum vobis aperire Pelagius vel timuit vel erubuit, quem diſcipulus eius palam, ſine vllius obſcuritatis ambagibus, apud ſedem Apoſtolicam confiteri non timuit, nec erubuit] Hoc eſt quod de iiſdem ait Hieron. epiſtola ad Cteſiphontem: Sola hæc hæreſis eſt quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò



docere non metuit. Magiſtrorum ſilentia profert rabies diſcipulorum: quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant: vt ſi placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magiſtrorum: ſin diſplicuerit, culpa ſit diſcipuli, non magiſtri. Celeſtij in dicendo libertatem etiam alibi Auguſt. oſtendit, vt ſuprà cap. 2. & infrà cap. 10. & 12.

diſtricta feriendo ſententia] Id malim cum MS. quàm cum excuſis diſtrictam ferendo ſententiam.

quo iam propendere videbatur] Prius erat non rectè pendêre.

veſtra ſententia corrigatur] pro noſtra. Sic enim & infrà cap. 23.

IN CAP. VII.

quod promiſerat] non quid.

IN CAP. VIII.

& commemoratum cùm venerabili papæ Zoſimo ſynodus Africana reſpondit] Pro cum, legebatur eum. Significat autem partem eam epiſtolæ Innocentij repetitam & inſertam fuiſſe literis ſynodi Africanæ, quas ad Zoſimum miſerunt. Obſcurus interim locus eſt & fortè mutilus. Non extat autem hæc ſynodi Africanæ epiſtola.

IN CAP. X.

vobis occultaſſe Pelagium] Ita potius cum manuſcrip. quàm nobis.

noluiſſe damnare] Non voluiſſe. MS. enim conſentit & vetus Amorbach. quanquam & ſententia id poſtulet.

IN CAP. XI.

moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat] Deſunt hæc omnia vſque ad vocem reſurgat, in excuſis & MS. verùm ex epiſtola 106. locum hunc reſtituimus; aliòqui enim nullam habet ſententiam.

poſſe eos habere] eos addunt & MS. & vetus Amorbachij.

IN CAP. XII.

quid inter iſtum] Pro quod.

hic aſtutior] Perperam in excuſis auſterior.

error obrepſerit] Sic MS. pro obrepſit, priorem lectionem habent etiam excuſa infrà cap. 23.

IN CAP. XIII.

& quod in eo etiam libro poſui quem de geſtis Palæſtinis] Dolendum eſt hunc librum non extare.

IN CAP. XIIII.

ad venerabilem ſenem noſtrum Aurelium] Carthaginis epiſcopum. Perperam pro ſenem, legebatur ſemen.

Illa ergo reſponſione] Pro ergo, fortè legendum ego.

plus mirari cœpi] Non dubitaui ita hunc locum reſtituere: erat autem anteà, prius mirari cœpi.

Si autem poſtea illud opus pollicitus eſt] Non caret locus ſuſpicione mendæ, & pro pollicitus, legendum fortè molitus.

IN CAP. XV.

quia iſti præceptum capere nondum poſſunt] Pro quia, perperam legebatur qua.

IN CAP. XVI.

Etenim hoc illi obiiceretur] Legendum videtur obiiciebatur.

quando tibi illa damnanda obiiciebantur] non damnando.

qui damnanda tenuiſti] In manuſcr. eſt damnata: ſed alteri lectioni fauet quòd vox eadem paulò antè & præcedit & ſequitur.

IN CAP. XVII.

Romanumque imperium] Author eſt Poſſidius in vita Auguſtini cap. 17. Honorium imperatorem piiſſimum audito Eccleſiæ Dei Catholicæ contra Pelagium, & Celeſtium iudicio, ſuis etiam legibus damnaſſe, interque hæreticos habendos conſtituiſſe. Quibus edictis vſum fuiſſe Bonifacium, & Sixtum pontifices in Celeſtio tota Italia depellendo author eſt Proſper contra Collatorem cap. 41.

multis tamen Domini miſericordia eſt conſultum] Poſt Pelagij Celeſtiique excommunicationem, & Honorij imperatoris edictum multos conuerſos fuiſſe, teſtis eſt quoque Poſſidius in Auguſtini vita cap. 17.

Sed non ſic illis hæc obiiciuntur] Pro abiiciuntur.

IN CAP. XX.

Sed quid deinde iſte ſubiungat aduertite] In MS. erat attendite, ſed parum intereſt.

id eſt, quis tam impius eſt] Duo verſus iſti cùm aliud nihil quàm eiuſdem dicti habeant repetitionem, videri queant ſupereſſe, & ex margine in contextum tranſlati.

quamuis nobis videretur magis eam mortalem] Pro eam in MS. eſt eum: hoc ad Pelagium, illud ad vitam refertur.

IN CAP. XXI.

quò verò eant ſe neſcire dicebat] Poſt hæc verba addebatur in omnibus exemplaribus aut dicit, quod non dubitauimus tollere; quia prorſus ſupereſt, & ſenſum perturbat. Videtur autem varia lectio fuiſſe vocis dicebat, quæ cùm ad latus, aut ſupra vocem illam adſcripta eſſet, poſtea in ipſum textum irrepſit.

Vbi Pelagius epiſtolam Pauli] Duriuſculè hæc cohærent, vt videri queat quippiam vel hic vel in ſequentibus deeſſe.

IN CAP. XXIII.

ſed quæ ad fidem non pertinet] Perperam finem legebatur.

cùm tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet] Viri quidam non indocti Paradiſum, è quo Adam cùm vxore ſua poſt peccatum expulſi fuere, putant per diluuium fuiſſe corruptum, & amiſſa priſtina felicitate amœnitateque ab hominibus iam inhabitari. ſecus hic ſentire videtur Auguſtinus, vt Chriſtianam etiam fidem dicat ea de re nihil dubitare: niſi fortè contra Origenem agit tantum, qui corporalem Paradiſum euerſa hiſtoriæ veritate allegorica interpretatione ſuſtulit. Putaſſe tamen etiamnum extare haud obſcurè ſignificat lib. 1. De peccatorum meritis, & remiſſione cap. 3. Sed nec ipſe ſolus, verùm & Irenæus lib. 5. cap. 5. Iuſtinus lib. quæſtio. ad Orthodoxos quæſt. 85. Hieronym. ad Pammachium contra errores Ioannis Hieroſolym.

Vel cùm quæritur vbi nunc ſit Helias, vel Enoch] Irenæus lib. 5. cap. 5. à diſcipulis Apoſtolorum acceptum eſſe ait, in Paradiſum eſſe tranſlatos, ibique nunc agere. Idem tradit Athanaſ. lib. quod Nicæna ſynodus, &c. Iuſtinus quæſt. 85. ad Orthodoxos. Hieronymus aduerſus errores Ioannis Hieroſol. Id quod & ſcriptura ſacra Eccleſiaſtici 44. diſertis verbis edocet: Enoch, inquit, placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam. Nam quanquam illud in paradiſum, non ſit in Græcis, legunt tamen conſtanter Latina omnia.

quos tamen non dubitamus in quibus nati ſunt corporibus viuere] Suprà ad cap. 3. lib. 1. De peccatorum meritis & remiſſione ex veterum PP. teſtimoniis docuimus eos aduerſus Antichriſtum venturos, vt quemadmodum Ioannes Baptiſta primum Chriſti aduentum præceſſit, ita iſti ſecundum. Viuere autem etiamnum præter eos, quos ibi citauimus, teſtes ſunt quoque Irenæus lib. quadrageſimiprimi cap. 30. Tertullian. lib. De reſurrectione carnis. Hieron. contra errores Ioannis Hieroſol.

Vbi potuerit Mathuſalem viuere qui in arca non fuit] Quæſtionem hanc tractat ſoluitque Hieron. lib. quæſtionum ſeu traditionum Hebraicarum in Geneſim. Famoſa quæſtio, inquit, & diſputatione omnium eccleſiarum ventilata, quòd iuxta diligentem ſupputationem, 14. annos poſt diluuium Mathuſala vixiſſe referatur, &c.

veſtra ſententia corrigatur] In omnibus exemplaribus erat ſcientia, non ſententia, ſed veram hanc eſſe lectionem & ſenſus ipſe docet, & ſuprà locus cap. 6. vbi eadem verba repetuntur.

IN CAP. XXIIII.

quorum ille nos] manuſcr. pro quorum, legunt quoniam: ſed altera potior eſt lectio.

IN CAP. XXV.

Ecce virgo in vtero accipiet] MS. legebant concipiet; ſed alterum conſentit cum Septuaginta.

exultauit vt gigas ad currendam viam] Sic MS. & Amorb. pro exaltauit. conſentiunt & Septuaginta.

& occurſus eius vſque ad ſummum cæli] MS. legunt eius, ſed alterum habent Septuaginta; vnde intelligimus tom. 8. textum Pſal. in Auguſtini Commentariis eſſe mutatum abs quopiam.

ſed tanquam in vellere pluuia] Sic & alibi epiſtola 95. & ſermo. 2. De verbis Domini. Plura loca annotauimus ad cap. 5. lib. De vnitate Eccleſiæ.

IN CAP. XXVI.

tempora diuidamus] Idem repetit lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 21.

fulgori priſtino] Sic MS. & Amorb. pro fulgore.

detrita rubigine redderetur] Loco videretur.

nec mediatore homine] Redundat præpoſitio de, in excuſis.

IN CAP. XXVII.

qui ſum dies permanens] Perperam pro ſum, legebatur ſunt.

IN CAP. XXVIII.

quod eſt mediator] Sic manuſcrip. in excuſis erat quia; fortè quo.

Per hoc ergo mediator per quod homo] Sic & lib. 10. Confeſſ. cap. 43.

IN CAP. XXIX.

facta eſt poſſeſſio perditoris] Diaboli videlicet, quod malim cum manuſcr. quàm perditorum.

IN CAP. XXX.

ſcriptura non exprimit] fuiſſe tamen aſſeuerare nō dubitat lib. 5. contra Iulian. cap. 9.

repercuſſa & confracta diſſiliet] pro deſiliet.

IN CAP. XXXI.

ſecundum Platonicos] Eundem errorem refellit ſuprà lib. 1. De peccatorum meritis & remiſſ. cap. 22. & epiſt. 157.

cùm haberet ante hoc tempus] MS. legunt quoniam haberè non poteſt; Amorb. quoniam haberet. Sed videtur excuſorum lectio præferenda, vt referatur ea pars ad præcedentia, non ad ſequentia.

Hæc autem ſunt tria] De tribus connubij bonis diſſerit lib. De bono coniugali cap. 3. & infrà hic lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 17. lib. 5. contra Iulianum cap. 8. lib. 9. De geneſi ad literam cap. 7.

IN CAP. XXXV.

abſit vt opinemur tales futuras fuiſſe nuptias in paradiſo] Nuptiarum in paradiſo felicitatem explicat Auguſt. lib. 14. De ciuitate Dei cap. 23. ac tribus ſequentibus.

ſicut pes ad ambulandum] Locum ſimilem habes illuſtratum & latiùs tractatum lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 6. & lib. 2. cap. 31. & lib. 5. contra Iulianum cap. 4.

B ex parte veritatis] Legendum videtur expertæ: præceſſit enim, quia in iſta mortalitatis conditione inexperta ſunt.

IN CAP. XXXVII.

qui nolunt diſcernere iſta] non iſtam. MS. conſentit etiā Amorb.

IN CAP. XXXIX.

Qua enim regeneratione] pro Quia.

IN CAP. XL.

non oleas generant] Perperam regenerant. manuſcr. conſentit etiam Amorbach.

Cur hoc creat bonitas Dei] Eandem quæſtionem proponit & ſoluit epiſtola 157. ad Optatum.

vt pecus ſit] pro pecus, perperam legebatur potius. Miror vnde hæc deprauatio irrepſerit, cùm & vetus Amorb. recta hic fuerit lectio.

IN CAP. XLI.

Quem reuocaret] manuſcr. vnum legit Quomodo: Ambroſij exemplaria habent Quem.

Omnes homines ſub peccato naſcimur] Sic MS. & ipſe Amorb. non naſcuntur.

C ſed quaſi de ſpiritu natus] Excuſa addunt ſancto; ſed non eſt in MS. nec hoc loco nec lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. vltimo. Imò nec in excuſis lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 5.

Annotationum in libros De gratia Dei & originali peccato finis.

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI DE NVPTIIS ET CONCVPISCENTIA LIBROS III.

Ex collatione ad MS. B. Amandi, Cambronenſe, Carthuſienſe, Gemblacenſe, Tornacenſe, veteraq; Amorbachij & Frobenij excuſa, necnon editionem B. Grauij.

In epiſtolam ad Valerium comitem.

D Laudes itaque tuas in Chriſto, ſiue magis in te laudes Chriſti] Sic MS. & omnino rectiùs, quàm vt prius erat, Laudes itaque tuas ſiue in Chriſto. Neq; enim illud laudes tuas, repeti in ſecunda parte poteſt, quod poſtulat coniunctionis geminatio.

quanta tibi cura ſit] Sic MS. In vetere Amorb. editione legebatur quanta tibi curæ ſit, inde factum quantæ.

quanto magis ad te ſcribitur vbi, &c.] Locum hunc MS. noſtra paulo aliter legunt, quanto magis quod ad te ſcribitur? Tanquam præſenti loquar vt aduertere digneris attentius, & accipere gratius. Nos excuſorum lectionem prætulimus, quam habet vetus quoque Amorbach. editio.

IN LIBRI PRIMI CAP. I.

adulteriorum & fornicationum malum] MS. conſtanter legunt adulterorum & fornicantium malum. Alteram lectionem habet Amorb. quam prætuli; quòd ſic repetatur infrà lib. 2. cap. 2. & lib. 3. contra Iulianum cap. 21. qualem locutionē habes & infrà lib. huius cap. 12.

fieret quippe ſine iſto morbo] Ita legendum, non fieri, teſtantur non tantùm MS. omnia, ſed & infrà locus qui eſt lib. 2. cap. 2.

A ſine quo nunc fieri non poteſt] MS. quædam non addunt illud nunc, ſed omnino addendum liquet ex lib. 2. cap. 2. iam ſemel iterumque citato.

in corpore mortis huius] Verſus quinque in excuſis ad finem vſq; capitis ſequentis, non reperiuntur in MS. nec veteribus Amorb. aut Frobenij. Tranſlata ſunt autem ex libri ſequentis cap. 2. Vbi locum hunc explicat Auguſtinus: quæ cùm ad marginem fortè quiſpiam annotaſſet, tandem in contextum irrepſere.

IN CAP. II.

& Apoſtolus enim Petrus] Copulam ex MS. adiecimus.

paratos nos eſſe præcipit ad ſatisfactionem] Ita MS. omnia vnico excepto quod legit ad confeſſionem. Vtrunque habebat vetus Amorb. ad ſatisfactionem & confeſſionem. Rectè autem Frobenius in prima editione prius tantum poſuit: quod cur ſublatum ſit poſtea, & alterum in eius locum ſubſtitutum, mirari nequeo, cùm Græcè ſit πρὸς ἀπολογίαν.

de fide & ſpe noſtra] Illud fide, non eſt in Apoſtolo nec Græcè nec Latinè, nec additur in ſpeculo Auguſtini, quanquam videtur ibi textus ad noſtram lectionem à quopiam immutatus. Legunt tamen conſtanter MS. omnia: addidiſſe & Bedam ex Commentario huius loci apparet.

IN CAP. III.

etiam propriam voluntatem] pro etiam, erat eam.

IN CAP. IIII.

& ſocialis nidificandi ſolertia] Perperam ſocietatis.

naturaliter non vult] Illud pati, quod in excuſis additur, nulla habent manuſcr.

etiam non vniuiras Chriſtianas] Ita MS. omnia; pro quo prius erat etiam non vni viro. Similem ſententiam habes & infra lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 5. lib. De bono viduali cap. 15. lib. 4. contra Iulian. cap. 8. Et apud Chryſoſt. lib. De virginitate, non procul ab initio.

IN CAP. V.

Hinc eſt quod] Quædam MS. legunt, Hoc eſt.

& nudum quotidie] MS. duo legunt ad nutum, ſed alterum prætulimus, & notum, fortè redundat.

IN CAP. VI.

iniuſtum enim erat vt obtemperaretur] Defendit hunc locum lib. 5. cap. 3. contra Iulianum in ipſo exordio.

nam quid eſt quod oculi] & hunc lib. 5. cap. 4.

proprium perdidiſſet imperium] non perdidiſſent.

C Hunc itaq; motum] Tuetur hunc locū lib. 5. contra Iulian. cap. 5.

quod non arbitrio volentium mouebatur] ſingulari, non plurali numero.

IN CAP. VII.

nec propter illius peruentionis bonum] Miror vnde pro bonum, irrepſerit malum, cùm non MS. tantùm omnia, ſed vetus quoque ita legat Amorbachij editio.

IN CAP. VIII.

ſed vt iſte concubitus] Totus hic locus contra Auguſtini & Apoſtoli mentem corruptus erat & deprauatus: neque enim præcipit Apoſtolus, aut ſic eum interpretatur Auguſtinus quaſi præcipiat, vt concubitus qui inter coniugatos peragitur, nihil habeat morbidæ libidinis adiunctū; id enim fieri non poteſt, ſed vt ne eam ſpectent, & illius cauſa inuicem vtantur. Redundat ergo verbum ſit, quod additur in excuſis. Et paulò pòſt vbi dicitur quod nunc habet adiunctū, diſpungendum eſt ideò. moxq; non ſit voluntatis, ſine vt. Sic enim MS. omnia; conſentitq; Amorb. niſi quòd loco ideò, habet id; ſed & hoc redundat.

vt tranſituri filij naſcantur] non naſcūtur. Porrò pro tranſituri, MS. conſtanter legunt tranſitorij: ſed illi aptius reſpondet permāſuri.

D ſic patres ſanctos] MS. duo legunt noſtros, pro ſanctos, quod fortè alicui magis arridebit, quia mox ſequitur cap. proximo, Nā ſi Deo patrem noſtrum. Sed illud legitur lib. 5. contra Iulianum cap. 9. vbi hunc contra eum Auguſtinus locum defendit.

IN CAP. IX.

facta coniugum copula] Sic MS. omnia, pro coniugij.

tamen plures feminæ] Idem habet lib. De bono viduitatis cap. 5. vide Gellium lib. 1. cap. 23.

vnde ſi vna concumbat] Illud vna, adiecimus ex MS.

IN CAP. X.

fieri verum connubium poteſt] Miror vnde hic negatio irrepſerit, ſenſum efficiens planè contrarium, cùm prior lectio ſit non tantum in MS. omnibus, ſed extet etiam in Magiſtro ſententiarum lib. 4. diſt. 35.

manet quoddam vinculum coniugale] MS. conſtanter legunt, manet quiddam coniugale: nos tamen priorem lectionem reliquimus, Nam & cap. 11. abſit, inquit, vt inter illos vinculum coniugale rumpatur. Quanquam non ſatis aptè cohæret quod paulò ſuprà habemus, non ad vinculum fœderis.

ſicut Apoſtatæ anima] Sic legunt MS. omnia, vetus quoq; Amorb. & Frobenij



& Frobenij editio; pro quo neſcio quis, Apoſtata ſcribendum putarit.

IN CAP. XI.

Calumnias Iuliani aduerſus hoc caput refellit Auguſtinus lib. 5. contra Iulian. cap. 8.

voluptuariis corporum nexibus] pro corporis; reſpondet enim ei quod ſequitur animorum.

eſſe æqualis Deo] MS. duo legebant eſſe ſe æqualem Deo.

IN CAP. XII.

ſine illa carnis pudenda concupiſcentia] Prius erat ſine vlla carnis prudentia concupiſcentia. MS. legunt, ſine illa carnis concupiſcentia, quomodo & vetera Amorb. & Frobenij. Suſpicor Lipſium ex veteri aliquo codice addidiſſe pudenda, quomodo ſuprà in fine cap. 5. & 15. & aliis præterea locis tam hoc lib. tum ſecundo frequentiſſimè. Id à parum attentis caſtigatoribus mutatum eſt in prudentia. Rectam verò & germanam lectionem dedit nobis editio Louanienſ.

inconunbiorum verò neceſſitatibus] Ex MS. adiecimus verò.

Ibi de domino tali turpitudo damnatur] MS. legunt dominio. Sed magis placet excuſorum lectio, quæ eſt in veteri quoque Amorbach. ſequitur enim quod huic opponitur, hic de pediſſequo tali honeſtas verecundatur.

qui ex conſenſu] perperam ſenſu.

IN CAP. XIII.

per illud atque hoc tempus] Pro per, erat ſuper.

qui emunt, tanquam non poſſidentes] MS. omnia legunt tanquam non ementes: ſed hoc neq; in Græcis neq; in Latinis reperitur; & alterum habes in vetere Amorbachij editione.

aliquid hinc breuiter dicam] pro huic.

quod facilius fit] MS. tria legunt quod ea felicitate fit; quomodò habuere vetera & Amorb. & Frobenij. Codex vnus S. Amandi legit, quod ea facilitate fit. Vnde quiſpiam accepiſſe videtur quod eſt in vulgatis hodie exemplaribus, quod facilius fit. Si diuinare liceat, putamus legendum, quod eò facilius fit, vel quod tota facilitate fit.

in quibus iubentur non fraudare inuicem] Sic MS. vnde ſequitur & paulò pòſt, Nolite inuicem fraudare.

tamen ſecundum veniam] Copulam quæ hic erat in excuſis additā, nulla legunt MS. nec vetera Amorb. & Frobenij excuſa.

ſed libidinis voluptate] redditiuam ex MS. adiecimus.

velandæ turpitudini obtendunt] manuſcr. cum Amorbach. legunt turpitudinis.

C conceptos fœtus aliquo modo] Sic MS. pro quo in excuſis erat aliquando: ſed quia hoc proximè antecedit, prior lectio magis arriſit.

occidi antequam naſci] ſupple volendo; eò enim referendi ſunt hi infinitiui. prius erat occidit antequam naſcatur; ſed illa eſt manuſcr. quoque lectio.

audeo dicere] Secutus Ambroſ. cuius verba ex lib. De regeneratiōnis ſacramento, ſeu de Philoſophia cōtra Platonem, qui nunc non extat, citat Auguſtinus lib. 2. contra Iulianum cap. 7. Intemperans, inquit, in coniugio, quid aliud niſi quidam adulter vxoris eſt. Alluſiſſe videtur Ambroſ. ad illud Xiſti Pythagorei, Adulter eſt vxoris propriæ amator ardentior: quod citat D. Hieron. ſuper 18. cap. Ezechielis; & ſub finem lib. 1. contra Iouinianum.

IN CAP. XVI.

nec poſt peccatum eſſe permiſſa eſt] ſcilicet in paradiſo, hoc enim hic ex priori parte repetendum eſt. Primi enim parentes paulò pòſt quàm eam in ſe ſenſere, eiecti ſunt de loco illo felicitatis. Vnde erroneum eſt quòd manuſcr. quædam negationem alteram addunt, non eſſe permiſſa eſt.

maledicti gratia] Illud gratia, adiecimus ex MS. præſertim cùm & Græca ſic legant.

IN CAP. XVII.

Sed membrum Chriſti coniugis] Fortè, Sed mens Chriſtiani coniugis.

adulterium coniugi debet timere] Sic MS. omnia pro coniugij.

Sacramētum verò quod nec ſeparari nec adulterari admittunt coniuges, qui concorditer caſteque cuſtodiunt] Locus hic valde perplexus eſt, & reſtitutu difficilis, quod ex lectionum varietate facilè intelligi poteſt. In primis enim excuſa etiam Amorb. legunt quod nec ſeparari, nec adulterari amittunt: quæ lectio cum ſequentibus pugnare videtur, vbi habes, qui concorditer caſteque cuſtodiunt. Codex quidam Carthuſiæ Louanienſis ſic habet: Sacramentum verò quod nec ſeparari permittit & adulterari prohibet, admittunt coniuges. Tornacenſe verò & Gemb. legunt, quod nec ſeparari & adulterari admittunt coniuges, qui &c. Cæterùm Amandi ea eſt lectio quam nos præ cæteris delegimus; quanquam nec ipſa plenè ſatisfacit. Pendet autem ſententia ab ipſo capitis exordio.

Carnis autem concupiſcentia] In excuſis additur pudenda, ſed non eſt in manuſcr. nec addit Auguſtinus, vbi locum hunc lib. 6. contra

A Iulianum defendens in initio cap. 12. repetit.

ſed toleranda] MS. Gemblac. addit propter nuptias, ſed non additur nec loco citato contra Iulianum.

IN CAP. XVIII.

propter hanc ergo fit] MS. duo habebant hoc, ſed alteram eſſe genuinam lectionem intelligi poteſt infrà ex capitis 19. initio, vbi ſic ait, Ex hac igitur concupiſcentia carnis quod naſcitur, &c.

ſi iam regenerati ſunt] ſic MS. omnia; quomodo repetitur hic locus lib. 6. contra Iulian. cap. 5. Prius erat generati.

ſed ex quo adhuc filij ſeculi] Sic manuſcr. omnia, quibus conſentit quod mox ſequitur, Ex quo itaque ſumus filij ſeculi. Prius erat, Ex hoc quod.

niſi regenerentur] Plurali, non ſingulari numero.

adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri] In excuſis poſt adoptionem, addebatur filiorum Dei, ſed quod nec in manuſcr. nec apud Apoſtolum legitur: imò nec infrà vbi idem locus repetitur cap. 31.

& ambitio ſeculi quæ non eſt à patre] MS. Camb. legit & ambitio vitæ. Idem cum Tornacenſi pro à patre, habet ex patre.

B Et mundus tranſibit & cōcupiſcentia eius] Legit per futurum, quod hodie in Apoſtolo legitur tempore præſenti.

ſicut & Deus manet in æternum] Id adiecimus ex manuſcr. mirè conſentientibus.

IN CAP. XIX.

vt enim quod dimiſſum eſt in parente] Locum hunc explicat latius & tuetur contra Iulian. lib. 6. cap. 2. in initio.

creatorem prouidiſſe] non prodidiſſe.

& de carne iuſti vtrinque peccator] MS. legunt vterque.

IN CAP. XXI.

Reſpondebit nobis operatio] MS. duo legunt opera.

Reſpondebit etiam connubij ſacramentum, de me ante peccatum dictum eſt in paradiſo] Sentire videtur connubium ſacramēti quoque rationem in paradiſo habuiſſe. Idem ait & lib. De bono coniugali cap. 15. Semel initum, inquit, connubium in ciuitate Dei noſtri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam ſacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo poteſt niſi alicuius eorum morte diſſolui.

IN CAP. XXIII.

neque exhibeatis] MS. duo legunt exhibueritis.

& niſi ab illo & ipſi] Totum hunc locum ad Louanienſem editionem reſtituendum putauimus, MS. nequicquam adiuuantibus. Primùm autem ante niſi, copulam poſuimus. Deinde illud, Nam ipſa quidem, parentheſi incluſimus, vſq; ad illum locum poſt verſus octo, reatus eius valet in generato. Ad hæc, vbi prius erat, Sed quia modo quodam loquendi, ſuſtulimus quia. Copulam verò addidimus paulò pòſt legentes, quod & peccato facta eſt. Denique ſuſtulimus voculam reum, quæ poſt hæc verba ſequebatur, & peccatum ſi vicerit facit. Quibus ita caſtigatis erit totus ille locus, alioqui intricatiſſimus, vtcunq; expeditus. Significat autem concupiſcentiam in renatis ei non conſentientem proprij nominis peccatum non eſſe; vocari tamen ita per tropum duabus de cauſis, tum quia peccato introducta & facta ſit, tum quia ſi vicerit & ad conſenſum opusq; pertraxerit, peccatum faciat & pariat; vt peccatum illic accuſatiuus ſit, non nominatiuus: Quomodo infrà habes paulò pòſt, Itemque ſic vocatur peccatum, quia peccatum ſi vincit facit. Vbi clarum eſt illud reum addi non poſſe. Certè illud, reatus eius valet in generato, nullo modo proximè antecedentibus cohærere poteſt, rectius cum ſuperioribus illis quæ parentheſim proximè antecedunt, niſi quòd numerus mutetur, quod poteſt longo hoc, vt ſit, hyperbato eueniſſe. Viſum eſt ergo hac vti lectione donec alia occurrat commodior. Ex Collatione lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 13. vbi idem hoc tractat

D Auguſtinus, videri queat deeſſe quippiam eo loco vbi parentheſim finiuimus: Sed hæc etiam, inquit, ſi vocatur peccatum, &c. Idem tractat lib. 6. contra Iulian. cap. 11.

tanquam de ſuo frutice] id commodius quàm à ſuo frutice.

IN CAP. XXIIII.

voluntate dominante] Redundat præpoſitio à, quæ in excuſis erat.

quæ moueri voluntate non poſſunt] Suſtulimus voculam ſola, MS. ſecuti, quia, vt paſſim hic inculcat Auguſtinus, planè hic imperium voluntas perdidit.

IN CAP. XXV.

dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo] Locum hunc explicat & tuetur contra Iulianum lib. 6. cap. 6.

ſed affectio eſt quædam malæ qualitatis] ſimiliter & hunc lib. eodem cap. 7.

qui redimit de corruptione] pro redimet. Alterum habes & in Commentario ſuper Pſal. 102.

accedente autem ſenectute] MS. omnia ſimulq; vetus Amorb. & Frobenij

& Frobenij legunt accedente etiam. quod qui genuinum putabit, eligat licebit.

eiſdemque partibus] pro eiuſdemque partibus. cum MS. conſenſu etiam Amorbach.

IN CAP. XXVI.

hoc eſſet nō habere peccatum] MS. conſtanter legunt peccata.

præterierunt actu, manent reatu] Tuetur & latius explicat hunc locum lib. 6. contra Iulian. cap. 8.

IN CAP. XXVII.

velut arma] pro vel arma.

agit autem quid?] non qui.

nos inſtruit dicens] Sic MS. omnia, pro inſtituit.

IN CAP. XXVIII.

tantùm errat] pro erat.

IN CAP. XXX.

quoniam malum mihi adiacet] Sic MS. omnia, pro quia.

Condelector enim, inquit, legi Dei] Ex MS. adiecimus inquit.

non eſt timor torquens] MS. duo legunt torpens.

Ibi ſumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti] Significat libertatem in eo poſitam eſſe, ſi Deo ſeruiamus non inuiti, eiusq; lege delectemur. Alioqui nemo vlla in re delectatur inuitus.

vbi vellet intelligi] Sic MS. omnia; pro intelligere.

IN CAP. XXXII.

vt eius reatus cum illa ſit] ſcilicet lege peccati. Sic manuſcr. omnia; non cum illo.

qui eum teneat æterni ſupplicij debitorem] Ad ſenſum retulit, alioqui feminino genere extuliſſe debebat, præceſſit enim, in prole.

ſi quid inde in oleam] Sic MS. pro oleum, etiam Amorb.

vnde tamen oleaſter naſcatur] non inde.

IN CAP. XXXIII.

ſic inquam accipiendum eſt, vt eodem lauacro regenerationis & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur atque ſanentur, non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non vt baptiſma quotiens peccatur totiens repetatur, ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit vt non ſolum anteà, verùm etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.] Ex hoc loco videtur Caluinus occaſionem arripuiſſe euertendi ſacramenti pœnitentiæ, docens peccata quæ poſt baptiſmum remittuntur, non alio quàm baptiſmi ſacramento & eius per fidem recordatione remitti. Sed non eſt ea in his verbis D. Auguſt. ſententia, cùm aliis locis apertiſſimè diuerſum tradat. Remiſſionem ergo poſteriorum peccatorum, quomodo & fructum pœnitentiæ & eleemoſynarum, iuſtitiæ perfectionem, liberationem ab omnibus malis, reſurrectionem glorioſam, & vitam æternam, cæteráque bona omnia baptiſmum conſequentia, ita illi tribuit & aſſignat: quomodo natiuitati & his quæ à parentibus generatione accepimus, acceptum ferimus corporis incrementum, perfectionem virilem, morborum ſanationem; quæ tamen nec ſtatim nec ſine externis adminiculis proueniunt. Vires enim naturæ generatione natiuitatéque acceptæ omnino incrementum & ſanationem efficiunt, non ſine ciborum adminiculo, arte medici, fomētis ac pharmacis. Vtrumq; ergo concurrat oportet, & alterum alteri cooperetur. Sic Lazarum à Chriſto reſuſcitatum rectiſſimè dixeris vitam eum parentibus debuiſſe; neque enim aliorum reſuſcitatio eſſe poteſt, niſi qui ſunt prius ex ſuis parentibus nati. Hoc tamen vitæ reuocatæ beneficium verè propriéq; Chriſto tribuitur. Sic ex eo quòd vxor alicuius effecta ſit quæpiam, eius ſunt omnia quæcunque etiam poſterius marito obueniunt: quemadmodum & filius quæcunque à patre obtinet inde habet, quòd filius ſit & naturam ab eo ſemel acceperit. Eodem ergo modo baptiſmo tribuitur poſteriorum peccatorum remiſſio, quia vis & virtus eius cooperatur eleemoſynis, ieiunio, pœnitētiæ & abſolutioni, adeò vt niſi baptiſmus præceſſiſſet, nullus eſſet horum omnium effectus; vt nulla in corpore humano eſſe poteſt per pharmacum ſanationis operatio, niſi natura ipſa ſimul operetur. Sic enim ſeipſum explicat ſequentibus verbis Auguſtinus. Quid enim prodeſſet, inquit, vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet. Vbi vides effectum tribui pœnitentiæ, ſed baptiſmum præſupponi, velut pharmaco naturam humanam. Similiter explicat lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7. Quapropter, inquit, & in baptiſmate dimittuntur cuncta peccata, & per ipſum lauacrū aquæ in verbo, exhibetur Chriſto Eccleſia ſine macula & ruga. Quia niſi eſſet baptizata; infructuosè diceret, dimitte nobis debita noſtra, &c. Non ergo excludit Auguſtinus his verbis pœnitentiæ ſacramentum & abſolutionem, eccleſiæq; claues.

Itemque eleemoſynarum largitas] perperam largitate.

IN CAP. XXXV.

ſed quaſi de ſpiritu natus] Prius erat, ſed quia de ſpiritu ſancto natus: verùm altera eſt MS. lectio, cui conſentiunt etiam excuſa infrà lib. 2. cap. 5. & lib. De peccato originali cap. vltimo, in quibus eſt quaſi, non quia: vt reſpondeat ei quod præceſſit quaſi homo. Nec MS. vſquam addunt ſancto.

qui autem expers delicti] verbum eſt, quod hic addebatur, non legunt MS. vti nec infrà lib. 2. cap. 5. lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 11. Nec ſuprà cap. vltimo lib. De originali peccato.

huius ſuæ ſententiæ] Ex MS. adiecimus ſuæ.

# IN LIBRI SECVNDI DE NVPTIIS ET CONCVPISCENTIA CAPVT I.

Totus hic liber refellit calumnias Iuliani aduerſus primum caput libri ſuperioris, quas quidam de toto illius opere quatuor librorum decerptas Valerio Comiti tranſmiſerat.

ſed & admones] Copulam ex Gemblac. codice adiecimus.

IN CAP. II.

cuius ſe opprimi] MS. legunt premi.

quia cuncta Eccleſiæ Catholicæ pectora conuenit] id eſt alloquitur, compellat: qua voce mox vtitur, fidémque ipſam antiquitus traditam atque fundatam, clara quodammodo voce compellat. eodem inuitat quod ſequitur, & aduerſus eos vehementiſſimè permouet quod diximus, &c. Q. d. Callidè Iulianus ea verba mea prætermiſit: quib. etiam Catholicorum animos & pectora, & fidem eorum fundatiſſimā compello & alloquor, & aduerſus ipſum eiuſdémq; erroris ſocios vehementer moneo & percello. Vnde intelligimus non cum excuſis, cunctæ Eccleſiæ Catholicæ pectori, ſed cum MS. cuncta, & pectora, legendum.

eóſque de parentibus quibuſcunque naſcantur] Sic MS. & eſt ea ſuprà lib. 1. cap. 1. Auguſt. lectio. prius erat eóſque qui de parentibus quibuſcunque naſcuntur.

quale in paradiſo ante peccatum fuit] Tollenda eſt negatio quæ in excuſis legitur ante verbum fuit. Neque enim legunt MS. nec ſenſus patitur. Nam in corpore mortis huius nunquam non fuit lex iſta menti repugnans, ſed non vtique antequam corpus mortis factum eſt, quale nimirum in paradiſo ante peccatum fuit. Hoc ergo eſt quod hoc loco ſignificat.

vt alicubi mediis detractis, ſententias interrumperet] Quid mirum? cùm eadem fide citent tractentq; ſcripturas? Vnde notum eſt illud Cypriani lib. De ſimplicitate prælatorum, ſeu de vnitate Eccleſiæ: Corruptores Euangelij atque interpretes falſi, extrema ponunt & ſuperiora prætereunt, partim memores & partim ſubdolè corrumpentes, vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli vnius ſententiam ſcindunt.

IN CAP. III.

Frater beatiſſime] eum Turbantium, & conſacerdotem appellat lib. 3. contra Iulian. cap. 17.

Tu verò in paruulis cùm ſalui ſint corpore, nihil] MS. legunt cùm ſalui facti ſint, nihil &c. ſed neutra lectio ſatisfacere videtur.

Iam ſcelerata ſentienti] MS. pro ſentienti, legunt ſententia. Vnum, tam ſceleratam ſententiam.

Quin tibi fit] manuſcr. legunt Quid.

& te hominem facis eſſe] Fortè ſcias eſſe.

retia maligni] MS. legunt maligna.

IN CAP. IIII.

fruticibus Catholicis] perperam fructibus.

dum tamen ſententia teneatur in libris] Illud in libris, addidit Lipſius, neſcio cuius codicis fidem ſecutus; neque enim legunt vel MS. vel Amorb. & vetus Froben. tamen quia mirè congruit loco huic, & conſentit cum Auguſtini phraſi gaudente paſſim ſimiliter cadentibus ac deſinentibus, noluimus tollere.

nec enim Euæ nomen] Idem addidit coniunctionem enim.

Sed hoc ita fortaſſis] Ex MS. adiecimus ita.

tanquam per prophetam] Et hoc mutauit Lipſius, cùm non MS. tantùm, verùm & Amorb. & vetus Froben. editio, legant propheticam.

vnde nunc differere longum eſt] Pro nunc, perperam legebatur nec.

Prima, inquit, compellatione] MS. cum Amorb. conſtanter legunt appellatione.

potentia Dei operationis interuenit] MS. duo non legunt Dei. Fortaſſe pro operationis, rectius legeris operatoris.

Et etiam hoc eſſe Catholicum confitemur] Illud hoc, adiecimus ex MS. quanquam legebatur & olim apud Amorbachium.

Pelagiana & Celeſtiana hęreſis] pro Celeſtina. Quanquā enim Hieronymus epiſtola apud Auguſt. 24. Celeſtinam ſimiliter hæreſim appellet; Auguſtinus tamen alterum potius vſurpauit: vnde ſuprà cap. 3. Pelagiani



Pelagiani & Celeſtiani non ſemel vocantur. ſic & infrà cap. 5. & alibi. Eadem inflexione dogma Celeſtianum dicit lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 3.

non negamus adhuc eſſe ſub diabolo] Sic MS. & verba ſunt Auguſtini quæ repetit Iulianus ex lib. ſuperioris cap. 1. In excuſis deerat non negamus. Amorb. conſentit cū MS. niſi quòd nō legit illud adhuc.

oſtende ergo nunc] Illud ergo nunc, videtur redundare.

quæ Deus fecit] Sic MS. omnia, pro facit. Quomodo & infrà cap. 5. Per quid igitur ſub diabolo ſunt quos Deus fecit.

priuilegio vindicatur] pro vendicatur.

IN CAP. V.

Ecce venit princeps huius mundi, & in me nihil inueniet] MS. legunt inuenit; verùm etiam alibi per futurum extulit. In tractatu 79. ſuper Ioannem legitur habet, ſed an id Auguſtini ſit, ex Commentario non poteſt intelligi.

quæ prius pudenda non fuerunt] Sic MS. omnia, pro fuerant.

Sic enim per vnum hominem] Ita MS. duo, pro Sicut enim.

quando omnes ille vnus] Ex MS. adiecimus ille.

Nunquid etiam iſtum] pro iuſtum.

quod eum dicebat eſſe Iouinianus] Iouinianus Catholicos & inter cæteros Ambroſium, quia contra ipſum aſſererent B. Mariam etiam in partu virginem permanſiſſe, eoq; iuxta ſententiam Syricij papæ damnatus ab eis, & excommunicatus eſſet, Manichæos appellabat tanquam Chriſti corporis veritatem negantes. Qua de re vide Ambroſium epiſtola 81. ad Syricium papam. Repetit hoc Auguſt. & infrà cap. 23. huius libri, contra Iulian. lib. 1. cap. 2. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. & 2.

ne inimicum quidem auſum eſſe reprehendere] In excuſis addebatur eum, ſed ſuſtulimus ſecuti fidem duorum MS.

IN CAP. VI.

Reſpondet] MS. legunt Reſpondeo, tanquam ex perſona Iuliani, ſed magis placet Auguſtini eſſe interlocutionem, qualis occurrit & paulò poſt.

deformis eſt conditio corporum] Sic Amandi codex; prius erat &, pro eſt.

Ab ipſo igitur commixtio corporum] Verbum eſt, quod hic additur, non legitur nec in MS. nec in Amorb.

Iam ſuprà reſpondimus hæc eſſe ex Deo] Sic MS. pro hoc.

ſexuum, cōiunctionum] MS. quoddam legit commixtionum, ſed paulò poſt prior vox repetitur.

IN CAP. VII.

folia eſſe ficulnea] MS. Collegij Theolog. legit ficulneæ, quomodò & olim Amorb. & Froben.

contexit & dicit] MS. omnia, Amorb. quoque & vetus Frobenij legunt contexat & dicat.

Quis hinc dubitet] pro dubitat. Sequitur enim quis hoc neget?

quod nomen nouum inuenerit] Illud nouum, adiecit Lipſius neſcio vnde, neque enim legitur in MS. noſtris, nec vetere Amorb. aut Froben. editione.

Quæ tametſi frenentur temperantia vel continentia vſus eorum aliquantulum] Codex Gemblac. Amorbachij quoque & vetus Froben. legunt frenetur, ſed magis arridet pluralis numerus, vt ad membra referatur. Cæterùm continentia & temperantia, videntur eſſe ablatiui; vſus verò genitiui caſus. Quidam pro vſus, diuinat legendum auſus.

IN CAP. VIII.

Neſcit non eſſe ob aliud dictum] Illud ob aliud, non legunt MS. habet tamen Amorb.

extrema coëundi voluptate fundatur] Sic MS. omnia. Amorbachius legebat extra coëundi voluptatem fundatur, id deinde in voluntatem, degenerauit, ſed contra loci ipſius ſententiam. Neque enim id eſt eorum qui iuxta Apoſtolum vas ſuum in morbo concupiſcentiæ poſſident.

vel ipſius hominis creator ex ſemine] Sic legunt duo MS. quod omnino rectius eſt, quàm quod prò ex ſemine, legunt excuſa exiſtere.

de natura ſeminis humani] MS. omnia legunt de natura hominis, ſed altera quam nimirum habet etiam Amorb. genuina eſt, vt ex ſequentibus liquet; vbi ait, Nam ſi ſemen ipſum nullum habet vitium. Videtur autem locus ſtudiosè ab aliquibus mutatus, quod inſolens videretur eſſe ſentētia, Originale peccatum de ſeminis vitio trahi: quod tamen non hic ſolùm habet, ſed & lib. 6. contra Iulian. cap. 6. ipſa pars corporis, inquit, ob hoc iuſſa eſt amputari, vt hoc vitium purgaretur. Quod niſi eſſet in ſemine, ad paruulos quibus circumciſione illa corporis auferendum eſt, nullatenus pertineret. Et lib. 3. De peccatorum meritis & remiſſione cap. 9. Fideles, inquit, infidelitatem in poſteros traiiciunt, quod non eſt iam illorum per ſpiritum regeneratorum, ſed quo in carne generati ſunt, mortalis ſeminis vitium.

ſemen enim illorum] In MS. non eſt illorum, ſed habent Græca; quare videtur lectio ad vulgatam verſionem mutata.

Cur autem hominis mala] Pro Cuius, quod prius legebatur, non dubitaui reponere Cur, cui reſpondet quod paulum antecedit.

& cùm eſſemus mortui peccatis] Copulam &, id eſt etiam, adiecimus ex MS. quod ſit etiam in Græcis.

procreata naturaliter in captiuitate & interitu] Sic MS. per ablatiuum, non per accuſatiuum. Similiter & paulò poſt in fine cap.

IN CAP. IX.

ſuam abſtinuit bonitatem] Cùm ita legāt MS. omnia, vetus quoque Amorb. & Froben. editio, miror quis pro abſtinuit, putarit abſtulit, ſubſtituendum. Certè ſimiliter loquitur lib. 3. contra Iulian. cap. 4. qui nec ab ipſa, inquit, vniuerſa maſſa perditionis abſtinet ſui operis bonitatem: & cap. 9. in fine, ſuam nō abſtinet ab eius conditione bonitatem. Porro eandē rem docet Auguſt. Enchirid. cap. 27.

quanto poſſunt labore] MS. legunt quantum poſſunt.

IN CAP. X.

malam naturaliter definiſti] Sic MS. & vetera Amorb. & Frob. excuſa. Neſcio quis malum, potius legendum putarit.

quaſi concupiſcentia carnis antè defuerit illis] Latius hoc explicat lib. 3. contra Iulian. cap. 11.

IN CAP. XI.

quid offendiſſet Deum] perperam oſtendiſſet.

Tunc ergo diſſipauit teſtamentum Dei, non hoc de imperata circunciſione, ſed illud de ligni prohibitione] Similem interpretationem habet lib. 16. De ciuitate Dei cap. 16. Quò pertinet etiam illud quod ait conc. 25. in illud Pſal. 118. Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ.

ad ſignificationem purgationis valebat] Non ait ad purgationem, ſed ad purgationis ſignificationem valuiſſe circunciſionem. Probabile eſt tamen ea hic pro iiſdem habuiſſe: nam aliis locis Circunciſioni apertè tribuit peccatorum purgationem, lib. 3. contra Iulian. cap. 18. & lib. 6. cap. 6.

magnis & paruulis] Illud magnis, adiecimus ex Petro Lombardo, qui lib. 4. ſentent. diſt. 1. ſic legit: Cui ſatis fauet quod habes eodem hoc cap. paulò infrà, eadem tamen fides mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis.

impediat à ſalute naturam] pro impedit.

IN CAP. XII.

Quare, niſi quia nominare erubeſcit, laudare non erubeſcit] Sic manuſcr. ſic veteres Amorbach. & Frobenianæ editiones. in excuſis eſt quam laudare.

IN CAP. XIII.

à quo ipſa conduntur & corpora] perperam ipſo.

ſine vllo ardore] MS. vnà cum vetere Amorb. & Frob. legunt illo.

prudentium vel piorum] Sic manuſcr. omnia, quomodo repetitur & infrà cap. 14.

grauis error infecit] Ita rectè MS. pro grauius.

infudit in vitio] MS. Collegij Theol. legit initio.

Sed Deus cui curæ erat] pro cura.

quæ amota eſt verendis] MS. legunt quæ mota eſt verecundis. Non caret locus ſuſpicione mendæ.

IN CAP. XIIII.

non viuificatur] pro viuificat.

niſi moriatur] In excuſis additur prius, ſed videtur tranſlatum ex vulgata lectione; nam nec legunt MS. nec Apoſtoli Græca.

ſed nudum granum, fere tritici aut alicuius cęterorum] Cùm ita legant MS. omnia, vetus quoque Amorb. & Froben. editio, temerarium nimis fuit pro fere, ponere farris, cùm vox Græca εἰ τύχοι, quam Eraſmus vertit exempli gratia, noſter interpres, vt putà, ne veſtigium quidem vllum eius habeat.

de quā fraude quid adiuuaretur] pro adiuuatur.

incontaminabili vbique præſentia] Ita conſtanter MS. omnia; pro eo quod eſt in excuſis incommutabili: quod tamen ſi quis maluerit, per nos licebit.

IN CAP. XVII.

quia facit ſolem ſuum] Sic manuſcr. pro qui.

IN CAP. XVIII.

grauis error infecit] Ita iterum hoc loco MS. non grauius.

& gratias ago] Copulam ex MS. adiecimus.

non ipſe, ſed Catholici] Sic MS. non ipſi.

IN CAP. XIX.

inuicem maſculi in maſculos] In excuſis erat in inuicem, ſed præpoſitionem non habent manuſcr. non hoc tantùm loco, ſed & infrà cap. 20.

quo in Sodomis ipſa igneo imbre puniuit] pro ipſe.

flagitiis obliti ſunt] Sic MS. pro quo prius erat obligati: ita lib. 5. contra

contra Iulian. cap. 5. loquitur & Iulianus, omnium flagitiorum ſordibus oblinatur.

ipſa & filij eius] MS. quædam legunt ipſæ, ſed in Græcis vox eſt generis feminini, & omnino ad Sodomam refertur.

dein de maſculis] Perperam deinde: præceſſit enim; denique prius idem Apoſtolus de feminis, &c.

quam ſi illicitè & feminis; ſed tamen & naturaliter vterentur] Ita rectius cum MS. quàm tranſlata copula, & illicitè.

IN CAP. XXI.

addit impudentiam peius malum] non penes malum. Pro impudentiam, rectius fortè legeris impudentiæ.

IN CAP. XXII.

In paradiſo autem ſi peccatum non præceſſiſſet, non eſſet quidem ſine vtriuſque ſexus commixtione generatio] Aliter ſenſere ea de re quidam veteres Græci, ſine coitu putantes futuram hominum propagationem: quam ſententiam proponit nec reijcit lib. De bono coniugali cap. 2. & initio 3. At verò refellit ex profeſſo lib. 9. De Geneſi ad literam à cap. 3. & ſequentibus, vſque ad 12. Contrariam quoque aſſertionem habes non hoc tantùm loco, ſed & lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 5.

IN CAP. XXIII.

aut non intelligit, aut nō vult intelligere quid dicamus] Pro intelligere, MS. Amorb. quoque & Froben. vetera legunt intelligi, nec hoc tantùm loco, ſed & paulò pòſt. Reliquimus tamen quod erat in excuſis; quòd cum eo magis quadret ratio quod ſubijcit, Si autē non vult, inquit, quid dicamus intelligere, peruicaciæ vitiū eſt, quo ſuum defendit errorem. Atqui hoc agere ne quod dicitur, ab aliis intelligatur, non tam peruicaciæ, quàm doli & fraudis eſt.

ſed dicamus malum primis hominibus, id eſt primis coniugibus accidiſſe] MS. ſimulq; Amorb. & Froben. vetera legunt, ſed dicamus primum hominum primis hominibus accidiſſe. Miror vnde Lipſius alteram hauſerit lectionem.

IN CAP. XXIIII.

bonum aliquid eſſe] Ita rectius cum MS. quàm aliquod.

non huc peruenit quò ille conatur adducere] Pro quo, prius erat quod.

IN CAP. XXVI.

nihil agere iſtum] manuſcr: legunt plurali numero; vt & mox illud negat habere.

vt probet cauſam mali bonū eſſe non poſſe] perperā bonam.

peccatum autem quod inde à naſcentibus trahitur] Illud inde, ex MS. adiecimus. Sic enim habes & paulò antè, nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur, non poteſt accuſari.

etiam ſi nolunt] Ita rectius cum MS. quàm nolint; amat enim Auguſtinus ſimiliter cadentia: ſequitur autem, ſine quo non poſſunt implere quod volunt.

nihil aliud & ipſe in Catholica diceret] Ex MS. adiecimus ipſe.

IN CAP. XXVII.

Sed hæ pertinent] Non hæc; præcedit enim Per nuptias?

quæ cauſam fecerunt mali] In Gemblac. & Amandi codice, appoſita eſt poſt hæc verba litera Ө, quæ quid ſignificet neſcio, an fortè lacunam eſſe in medio.

Parentes igitur qui conuentu ſuo] Suſtulimus præpoſitionem in, quod ſine ea idem locus repetatur lib. 3. contra Iulianum cap. 24.

trahi ex his originale peccatum] Ex MS. adiecimus trahi, quod ipſum legit etiam Amorbach.

ad procreandos filios coniugatos] Perperam coniugati; præceſſit enim; neque parentes arguit, &c.

quiſquis peccare voluit, peccādi inuenit exemplum] Sic MS. pro voluerit, & inueniet. Eadem verba repetuntur & alibi vſpiam.

Et in his, inquit] Ex MS. adiecimus, Et.

Et non, inquit, ſicut per vnum peccantem] Excuſa addunt hominem, ſed non eſt nec in MS. nec in Græcis.

ſicut dicimus de literarum Magiſtro] Vide ſuprà lib. 1. De peccatorum meritis cap. 28. & quæ circa illum locum annotauimus.

IN CAP. XXVIII.

fructuum malorum] Perperam fructum.

ipſam dico voluntatem malam] pro dicam.

qui factura vel opus eſt Dei] Ita rectè codex S. Amandi; pro quo erat in excuſis quia factura.

IN CAP. XXIX.

Perfectè Manichæus eſt qui malum originale defendit] Latius hoc refellit Auguſt. lib. 1. contra Iulian. ſtatim initio libri. Cap. verò 8. & 9. docet Catholicorum De originali peccato ſententiam adeò non patrocinari Manichæis, vt illius negatione Pelagiani eos potius plurimum adiuuent. Lib. autem 2. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 2. confert inter ſe Pelagianos cum Manichæis.

aut quando in libris] Illud quando, non eſt in codice Gemblac.

Quas enim dixerat ſordes] ſic & ſuprà lib. De originali peccato cap. 32. Iulianus ſordes has pannorum intelligi volebat, non peccatorum, vt teſtis eſt alicubi contra eum Auguſtinus. Porro pro dixerat, manuſcr. legunt dixerit.

cùm prius iſte ſit paſſus, quàm illa in orbe Romano peſtis apparuit] Idem repetit lib. 3. contra Iulian. cap. 17. lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 8. Et lib. 13. contra Fauſtum cap. 4. Paſſus eſt enim Cyprianus ſub Valeriano Imperatore anno Domini 259. decimo octauo Calend. Octob. Manichæus autem hæreſim ſuam aperire cœpit, vti ait Epiphanius lib. De ponderibus & menſuris, ſub annum nonum Gallieni, qui incidit in annum Domini 263. Euſebius lib. 7. cap. 25. & 26. ait Romæ innotuiſſe ſub Diocletiani tempora, pontificatu Felicis: quanquam inter huius imperium ac illius pontificatum anni interſunt circiter decem. Imperator enim ille factus eſt anno 284. Calend. Maij: Felix martyrio coronatus anno 275.

quàm cū Pelagianis cuiuſlibet eloquij prædicatione laudari] Sic MS. quod & magis conſentit cum eo quod præceſſit, paratiores ſumus cum iſtis viris quælibet maledicta & contumelias perpeti.

IN CAP. XXX.

quæ etiam ipſe poſuit] non potuit.

Succinctoria quippe] Latius hoc tractatum habes lib. 3. contra Iulian. cap. 7. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 16.

IN CAP. XXXI.

quando & de ſcripturis ſanctis] Ex MS. copulam adiecimus.

quando eius non copia vrgemur] Sic MS. Vbi perperam excuſa pro non, legebant nos.

& homo ſeminaretur] MS. conſentiunt & Amorb. & Frobenij vetera, in vulgatis erat vt, pro &.

IN CAP. XXXII.

quibus non detraxit etiam ſenſus] Ex MS. adiecimus etiam.

ſine pudenda libidine poſſet fieri] Excuſa, quæ nunc in manibus habentur, addunt in corpore vitæ illius, ſed non ſolùm non MS. ſed ne Amorb. quidem aut Frobenij vetera legunt. Addidit ergo quiſpiam de ſe, quia ſequebatur, Et nunc quamuis ſine illa non fiat in corpore mortis huius.

ab adulteriorum peccato] Ita commodius cum MS. quàm adulterorum, quod habent excuſa.

eædem ipſæ ſunt nuptiæ] Ex MS. adiecimus ipſæ.

IN CAP. XXXIII.

etiam licitus & honeſtus] Illud etiam, deerat in excuſis.

Sed paſſio in lingua Latina, maximè vſu loquendi eccleſiaſtico, non niſi ad vituperationem conſueuit intelligi] MS. omnia & vetus Amorb. legunt negatiuè, non ad vituperationem conſueuit intelligi, omiſſa voce niſi, quæ in Frobenij prima editione ab Eraſmo videtur adiecta; qui an veteris hic alicuius exemplaris fidem ſecutus ſit neſcio. Vtcunque ſe id habet, non eſt tamen hoc perpetuum, vt ea vox in malum ſumatur. Ambroſ. enim cap. 24. De Arca & Noë, etiam in bonum accipit. Venenatorum, inquit, reptilium ſimiles immundas in corpore accipe paſſiones: manſuetorum autem decoras. Omnis enim affectus qui eſt præter deformis delectationis illecebram, paſſio quidem eſt, ſed bona paſſio. Cupiditas mollior eſt, & ira & timor: hæ noxiæ ſunt animæ paſſiones.

de his nobis] MS. duo legunt nouis.

habent profectò & paruuli delicta originalia] Ergo etiam ſecundum Auguſt. habent ſinguli proprium & particulare originale peccatum, non vnum commune omnibus. Idem habet etiam clarius lib. De correptione & gratia cap. 6. Pluraliter loquitur quoque lib. 2. contra Iulian. cap. 3.

IN CAP. XXXIIII.

Si ante peccatum, inquit, per Deum creatum eſt] Sic MS. In excuſis perperam pro ante, erat autem, vt liquet ex eo quod ſequitur, adſcribetur ſine dubio ſanctitas naſcentibus, cum eis quoque peccatum tunc adſcribendum foret: Nō ergo peccatum vult creatum à Deo intelligi, ſed ſemen eiúſque naturam bonam vnde homines naſcerentur.

adſcribitur ſine dubio] pro adſcriberetur: ſic enim legit Auguſt. hæc repetens lib. 3. contra Iulian. cap. 26.

Quod quia manifeſtiſſimè nuptias dānat] Sic MS. cum Amorb. Locum hunc prima editio Frobenij deprauauit, legens O quia manifeſtiſſimè nuptias damnat; quod poſteriores deinde amplius corruperunt, mutato damnat, in damnas. Sed germana eſt quam nos reſtituimus lectio.

Sed planè naturæ perſuaſit, quia homo natura eſt] Pro quia, erat non rectè qua.

maius atque altius diabolus inflixit] MS. legunt infixit.

Quapropter quamuis & in hominibus] pro omnibus.

tamen quia remiſſa eſt in remiſſione peccatorum] In excuſis erat non



erat non rectè in remiſſionem. Loquitur autem de baptiſmi gratia.

IN CAP. XXXV.

domanda pudicis] Ex MS. adiecimus pudicis.

ne aliquando voluntas tanta, tantæ felicitatis negaretur] MS. non legunt tanta.

ſed ſiue conceptura] Illud ſed, non eſt nec in MS. nec veteribus Amorbach. vel Frobenij.

etiam ipſam vitiatam] Sic MS. pro quo perperam erat in excuſis, etiam ipſum vitium eſſe carnis concupiſcentiam.

carnali coniugio non fruuntur] Gemblac. legit carne coniugum non fruuntur.

vt non eos laudet inutiliter] In excuſis ordo erat inuerſus, non vt eos laudet.

Caſtigationum in duos libros De nuptiis & concupiſcentia, finis.

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI CONTRA IVLIANVM PELAGIANVM LIBROS SEX.

Ex collatione ad MS. B. Amandi, Gemblacenſe, & Carthuſianum, necnon ad vetera Amorbachij & Frobenij excuſa, recentioraq; B. Grauij.

QVANQVAM libri quatuor qui ſunt ad Bonifacium pontificem contra duas epiſtolas Pelagianorum ante eos, quibus Iuliano ſex libris reſpondetur, ſcripti eſſe videantur; vtpote cuius opus quod hic Auguſtinus refellit, poſterius in eius manus venerit, vnde & in libris Retractat. illorum prius quàm horum ſit mentio; poſtulat tamen ordinis ratio, vt hi prioribus illis præponantur. Nam & apologiam continent libri primi De nuptiis & concupiſcentia, & libri ſecundi eiuſdem operis perfectio ſunt & complementum. Quin & Iulianus prius quoque contra librum Auguſtini ſcripſit, quàm Romam vel Theſſalonicam literas eas mitteret, quæ libro ad Bonifacium refutantur: facit enim in his literis ſcripti ſui alterius mentionem, vti liquet ex lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 2. & lib. 1. ad Bonifacium, contra duas epiſtolas Pelag. cap. 5. Cæterùm hic Iulianus Memoris ſeu Memorij cuiuſdam filius fuit, viri pij & ſancti, qui & epiſcopus alicubi poſtea fuit: ad quem extat Auguſtini epiſtola numero 131. vbi & Iuliani ipſius iam diaconi mentionem facit. Meminit eiuſdem & infrà libri huius primi cap. 4. Ego certè, inquit, beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non paruam inierat amicitiam colloquio literarum, téque ipſum mihi chariſſimum fecerat. Fuit autem Iulianus in arte dicendi ſtudiiſq; philoſophicis probè exercitatus; viſus etiam idoneus qui eccleſiæ Celenenſis in Campania epiſcopatum gereret, vt conſtat ex initio Commentariorum Bedæ in Canticum canticorum, & Proſperi Chronicis, atque illo eius carmine quod in obtrectatorem Auguſtini conſcripſit,

Aut hunc fruge ſua æquorei pauere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.

Gennadius in catalogo ſuo Capuanum appellat, ſed mendum eſſe arbitror, proq; Capuano, legendum eſſe Campano. Certè meminit & Hieronymus epiſtola 79. & apud Auguſtinum 24. Aniani cuiuſdam Celenenſis, qui aduerſus tres libros eius contra Pelagium ſcripſerit, qui Iuliani huius diaconus fuiſſe videtur. At verò ſecularis eruditionis tumore inflatus, ſeu ante ſeu poſt adeptum epiſcopatum incidit in Pelagij Celeſtijq; hæreſim, quam adeò auidè arripuit mordicúsq; defendit, vt inter præcipuos eius ſectæ propugnatores haberetur. Refert eum Gennadius in magna quadam rerum omnium penuria facultates ſuas omnes pauperibus erogaſſe, eáque miſerationis ac beneficentiæ ſpecie multos nobilium, præſertim religioſorum, ſibi conciliaſſe, ac in hæreſis ſuæ ſocietatem pertraxiſſe. Scripſit quoq; libros non paucos quibus errores ſuos propagare & tueri conatus eſt, in quib. B. Auguſtinum odioſiſſimè petulantiſſiméque eſt inſectatus. In primis autem libros quatuor aduerſus priorem Auguſtini De nuptiis & concupiſcentia, quos hic refellit Auguſtinus. Cuius deinde reſponſioni oppoſuit alios octo: quos refutare aggreſſus Auguſtinus, Vandalica præpeditus obſidione, paulóque poſt & morte præuentus, quod cœperat perficere non potuit: quanquam intercidit etiam hoc qualecunque fragmentum, Bedæ tamen temporibus adhuc ſuperſtes. Scripſit & epiſtolam quandam quam Romam ad ſuos miſit, vnaq; cum aliis quindecim erroris ſui conſortibus epiſcopis, & alteram ad epiſcopum Theſſalonicenſem, ad eum ſi poſſent in ſuas partes pertrahendum: quas ambas refellit Auguſtinus libris quatuor ad Bonifacium. Commentatus eſt & in Canticum canticorum, in cuius operis libro primo, de amore diſſerit, ſub obtentu, vt inquit Beda in exordio Commentariorum ſuorum in Cantica, quaſi hunc à fœdiſſima foret voluptate ſecreturus, re autem vera ſuam hæreſim confirmaturus. Librum etiam, vt ibidē cap. 5. author eſt Beda, De bono conſtantiæ ſcripſit, in quo ſe ait bonum naturæ libertatémque noſtri arbitrij contra Manichæi perfidiam tueri: vt autem veritas probat, inquit Beda, magna peruicacia contra cæleſtis gratiæ fidem durat. Quibus de cauſis poſt Pelagium Celeſtiúmq; meritò eſt & ipſe damnatus ac excommunicatus, déque epiſcopatu ſuo deiectus, vt liquet ex Epheſini concilij epiſtola ad Celeſtinum pontificem, vbi ſe concilij illius patres in eo anathematizando Celeſtini iudicium ſententiámque approbare ſe dicunt. Idem verò Sixti pontificis tempore anno Domini 442. cùm amiſſi dudum epiſcopatus intemperans eum cupido exagitaret, multimoda fallendi arte correctionis ſpem præferens, molitus eſt in eccleſiæ communionem irrepere; ſed his inſidiis Sixtus papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus habere permiſit: author Proſper in Chronicis. Mortuus eſt autem, vt ait Gennadius, imperante Valentiniano Conſtantij filio.

## IN EPISTOLAM AD CLAVDIVM EPISCOPVM.

quem me ad illum ſcripſiſſe cognouerat] Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod prius erat, quem me aduerſus illum: neq; enim de Iuliano, ſed de Valerio loquitur, cui Auguſtinus librum priorem De nuptiis & concupiſcentia dicarat.

## IN LIB. I. CONTRA IVLIANVM CAP. II.

Vt nullo modo ad earum culpam] Mendoſè eorum.

ſic ſpernunt veſtra calumnioſa] Sic rectius MS. quàm ſpernent.

IN CAP. III.

quibus tamen noſtri contradictores cogantur] Perperam cogamur.

ab antiqua ſerpentis plaga] Quidam antiqui ſerpentis malunt. Sed ſimiliter repetit ſuis verbis paulò pòſt Auguſtinus. conſentit & Irenæus.

ſoluatur per virginem] Gemblac. exemplar habet ſaluatur. Verùm altera lectio eſt in excuſis Irenæi, cui reſpondet quod præceſſit verbum adſtringi.

virginalis inobedientia] MS. legunt virginali. Vetera Irenæi excuſa virginalis inobedientiæ. Sed prætulimus noſtram lectionem.

Adhuc enim protoplaſti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente] Irenæus habet peccatum, & accipiens. Gembl. exemplar loco correptionē, legit correctionem; Lutet. corruptionem, ſed non rectè.

ſerpentis prudentia deuicta per ſimplicitatem columbæ, vinculis illis reſoluti ſumus per quæ alligati eramus morti] Paulò aliter legit hodie Irenæus, & ſerpentis, inquit, prudentia deuicta, in columbæ ſimplicitate, vinculis autem illis reſolutis per quæ alligati eramus morti.

ſi grauiſſimis delictoribus] Vitioſè dilectoribus.

remiſſa peccatorum datur] Sic MS. & Cyprianus, vt aliàs ſemper, pro remiſſio: quomodo & paulò poſt, Qui ad remiſſam peccatorum accipiendam.

Rheticium ab Auguſtoduno epiſcopum magnæ authoritatis fuiſſe in eccleſia tempore epiſcopatus ſui] Huius non meminit Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum: Epiſtola tamen 6. ad Florentium ſublimi ore ſcripſiſſe ait diſertationes in Canticum canticorum; quanquam epiſt. 133. ad Marcellam vt eloquentem agnoſcit, ita ineptum interpretem vocat. De Romano iudicio, ad quod in cauſa Cæciliani è Galliis fuerit ab Imperatore Conſtantino euocatus, diximus libris ſuperioribus aduerſus Donatiſtas, de quo & Optatus lib. 1. & nos dicturi aliquid ſumus in Comment. rerum Donatiſticarum.

Olympius Hiſpanus epiſcopus, vir magnæ in Eccleſia & in Chriſto gloriæ] Nec huius meminit Hieronymus lib. De ſcriptoribus eccleſ. Eundem autem eſſe ſuſpicor quem Optatus vnà cum Eunomio epiſcopo in Africam miſſum eſſe lib. 1. ſcribit, vt remoto & Cæciliano & Maiorino alium Carthagine epiſcopum conſtitueret, extrema tamen ſententia Cæcilianum confirmaſſe. Idem fortaſſis cum eo quem Gennadius Olympum appellat Hiſpanum & ipſum, quem & librum fidei ſcripſiſſe ait aduerſus eos qui naturam non arbitrium in culpam vocant.

qui cum de Chriſti carne ageret, attende quid dixerit] Hunc Hilarij locum in libris qui hodie extant, non inuenio.

& in delictis peperit me mater mea] Ita Hilarius. pro quo erat concepit me. Alteram lectionē habet etiam Ambroſ. cap. 11. De apol. Dauid, non ſemel infrà citatus lib. 2. cap. 2. 3. & 6.

quem veneror vt patrem: in Chriſto enim Ieſu per Euangelium

geliũm ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtri lauacrum regenerationis accepi; B. loquor Ambroſium] A *A beato Ambroſio & conuerſum ſe & baptizatum fuiſſe & aliás non ſemel confitetur, vt lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 35. Epiſt. 112. cap. 22. Lib. 9. confeſſ. cap. 6. quanquam ibi eum non nominet.*

& ante vſuram lucis] MS. *cum Amorb.* menſuram lucis, *habẽt: ſed non rectè: nam alteram lectionem habes non ſemel apud Auguſt. & infrà etiam in* MS. *conſentit etiam Ambroſ.*

Non expreſſit, inquit, vtrum parentum an noſtra. Et in delictis] *Locum hunc ita rectius cum Ambroſ. legitur, quàm vt in vulgatis,* Non expreſſit, inquit, vtrum parẽtum, an noſtris, & in delictis.

à quo Eua mutuata peccatum] *Ita & hic Ambroſ. pro eo quod erat* maculata peccato, *& omnino melius; ſequitur enim de vſura & fœnore mẽtio. Cæterùm pro* omne genus defœnerauit humanum, *legitur apud eum hodie,* defœneratur omne genus humanum.

IN CAP. IIII.

de ſancti Ambroſij diſputatione poſuiſſem] *Mendosè* poſuiſſes. *Ambroſij enim hoc teſtimonium non Iulianus, ſed Auguſtinus protulerat.*

Si ſcholam Xenocratis ſicut Polemo ex antelucano conuiuio temulentus intraſſes] B *De hoc Polemone ita ſcribit Valerius Maximus lib. 6. cap. 9. Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemo, neq; illecebris tantummodo, ſed etiam ipſa infamia gaudens; cùm è conuiuio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domúmque repetens Xenocratis philoſophi patentem ianuam vidiſſet; vino grauis, vnguentis delibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam eius intrauit: nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, vt clariſſimum eloquium, & prudentiſſima præcepta temulentiæ laſciuiis eluderet. Orta deinde, vt par erat, omnium indignatione; Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſiſq; de quibus diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemo, primùm coronam capite detractam proiecit, paulò pòſt brachium intra pallium reduxit, procedẽte tempore oris conuiualis hilaritatem depoſuit: Ad vltimum totam luxuriam exuit, vniúſq; orationis ſaluberrima medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus philoſophus euaſit. Peregrinatus eſt huius animus in nequitia, non habitauit. Similia refert Diogenes Laërtius lib. 4. De vitis philoſophorum. Cicero lib. 4. De finibus. Attingit & Horatius lib. ſermonum 2. ſatyr. 3. Meminit eiuſdem & Hieron. in 1. cap. Oſee. Repetit & Auguſt. infrà lib. huius cap. 7. item epiſtola 130.*

qui mecum non paruam inierat amicitiam colloquio literarum] C *Huius generis vna extant inter epiſtolas numero 131. Vide quæ ſuprà ſcripſimus ad initium huius libri.*

Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones] *Vtitur & aliâs Auguſt. hoc genere locutionis, vt infrà lib. 3. cap. 7.* iactas, *inquit,* plumbeos pugiones. *Imitatus Ciceronem qui lib. — finibus,* O plumbeum pugionem, *inquit: & lib. 1. ad Atticum epiſt. 14.* plumbeo gladio, *inquit,* iugulare. *Sub finem verò lib. 1. huius cõtra Iulian. vitreas appellat argutias, hoc eſt inania argumẽta.*

Sed qua confidentia dicere audebis homo, qui dicis Manichæum eſſe ſenſum] *Diuerſa eſt* MS. *lectio ac diſtinctio, quæ ſic habent:* Sed quia confidentia dicere audebis? Homo quid dicis. *ſed prætulimus excuſorum lectionem, quæ eſt & in Amorb.*

defenſores atque rectores] MS. *loco* rectores, *legunt* doctores. *Infrà lib. 3. cap. 1. vtrunque coniungit:* tot & tanti, *inquit,* rectores doctoreſque populorum.

Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare] *B. Petrum Apoſtolorum primum, hoc eſt, caput ac principem appellat, & non in Chaldæa, ſed Romæ martyrio coronatum haud obſcurè ſignificat.*

& tamen eius ſucceſſorem crimine præuaricationis accuſas] *Latius id tractatum habes lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. Attingit & infrà lib. 6. contra Iulian. cap. 11.*

& ſi poſterior tempore, prior loco] *Romanam ſedem agnouit Auguſt. & cæteris ſuperiorem.*

Qui omne præteritum vitium] *Sic rectius cum Innocent. apud Auguſt. epiſt. 91. quàm cum excuſis &* MS. *quibuſdam* præteriti. *Conſentit nobiſcum exemplar manuſcr. Carthuſienſe.*

Non eſt ergo cur prouoces ad Orientis Antiſtites] *Sic eſt hæreticorum conſuetudo ab aliis ſemper ad alios iudices prouocare, ac tandem ad generale Concilium, nec illius tamen ſtare ſententiæ.*

quacunque ætate ſis baptizatus, aut ipſum tibi remiſſum eſt, aut & ipſum] *cum reliquis videlicet actualibus peccatis quæ poſt infantiam admiſiſti, ſi matura iam ætate baptizatus es.* MS. *Carthuſ. habet,* aut & ipſum manet: *ſed non rectè.*

tua matri conaris auferre] *Perperam* matris.

IN CAP. V.

Audi ergo quid dicat. Imago, inquit, Dei] A *Locum hunc apud Nazianzenum non inuenio.*

vt quos guſtus ligni vetiti condemnauit, Chriſti crux gratia largiore iuſtificet] MS. *Carthuſ. legit* gratiæ largitione iuſtificet. *ſed alterum prætulimus. Nazianzenus ex Billiana tralatione ſic habet,* & ſi guſtus condemnauit, quanto magis Chriſti paſſio iuſtificauit? *nec aliter legit vetus interpres, niſi quòd* damnauerat, & iuſtificaret *vertit.*

Itemque alibi de baptiſmo loquens] *Neſcio vnde & iſtud hauſtum ſit.*

imò velis nolis addendus eſt] *Perperam Lutet.* imò vel nolis.

De libro eius quem ſcripſit aduerſus Manichæos] *Non extat hic Baſilij liber, nec legere me vſquam memini ſcripſiſſe eum aduerſus Manichæos.*

Catholicæ regulæ conuenientius] MS. congruentius *legunt.*

coæternam habere originem corpora] MS. corporum *habent, ſed vt apparet, non rectè.*

quid de peccato primi hominis] *Mendosè* qui de.

& ſicut fertur etiam carne germani] B *Fallitur, neque enim Gregorius Nazianzenus magni Baſilij frater fuit, ſed Nyſſenus. magno tamen amicitiæ & charitatis vinculo inuicem coniuncti.*

Habemus alios Orientales epiſcopos quatuordecim] *Hi in Palæſtina contra Pelagium conuenere: de cuius Concilij geſtis lib. conſcripſit Auguſtinus, ſed nõ extat. Miſſa eſt nobis ex bibliotheca Vaticana epiſtola quædam Auguſt. ad Ioannem, qui hic ſecundo recenſetur loco, Hieroſolym. vt nihil dubito, epiſcopum, qua mitti ſibi ab eo geſta iſta petit, monétq; vt ſic Pelagium diligat, ne errores eius etiam amet, ſed potius corrigat. Eam prodituram puto hac noua Plantini editione.*

Zoſimum, Zobœnum, Nymphidium, Chromatium] MS. *loco* Zoſimum, *legunt* Zouinum: *Amorb. & Lutet.* Zozinum. *Pro* Zobœnum, MS. Zobœmum *habẽt. Cæterùm Amorb. & Lutet.* Chromatium, *vertunt in* Ebromatium.

Si hoc qui dicit, Manichæus abs te dicitur] *Pro eo quod erat,* Si hoc quod dicit Manichæus, abs te dicitur.

ne rector & habitator illorum tibi forte non parcat] MS. *horum loco ſic legunt;* ne rector & arbiter illorum tibi forte nõ parcas. *In quibuſdam ſcriptum prius fuerat* arbiter.

cui omnes carnalis natiuitas obligauit] *Perperam Lutetiana* omnis.

prauitas tui compellit erroris] C *ſic &* MS. *pro quo eſt in Lutetianis* grauitas tui, *&c.*

IN CAP. VI.

eorumque à paterni chirographi] *Non rectè Pariſienſia,* eorum quæ.

Verùm hoc non tibi tribuerim, ſed interpreti; quanquam in aliis codicibus eandem interpretationem habentibus, non peccato, ſed peccatis legatur.] *Miror quomodo eadem deprauatio, quam hic notat Auguſtinus, in vulgatis Chryſoſt. exemplaribus hactenus adhuc hæſerit, nec mutatus ſit locus ad Auguſtini interpretationem, præſertim cùm & Græca ipſa proferat.*

ad Olympiam ſcribens] *Inſignis hæc fuit matrona, quæ & propter Chryſoſtomum, quod ab eius damnati, & in exilium opera & factione Eudoxiæ imperatricis acti, communione recedere nollet, multa fuit Conſtantinopoli paſſa; vti refert Zozomenus lib. 8. cap. 24.*

Item de reſurrectione Lazari] *Homiliam iſtam reperire licebit tom. 3. operum Chryſoſt. titulo de Lazaro reſuſcitato; ſed quæ à Chryſoſt. genio videtur admodum aliena.*

ſi obnoxij peccato primi illius hominis] *Perperam* primo.

Tractat idem Ioannes in ſermone quodã huiuſmodi quæſtionem] D *Locus eſt ex homil. 9. in Geneſim repetitus. Idem argumentum attingit ibidem Chryſoſt. homil. 16. & in Matth. homil. 65. & in Pſalm. 8.*

Si enim mandato quod datum eſt] *In noſtris erat* vel quod datum eſt: *ſed redundat copula* vel, *nec legit Chryſoſt.*

fecit iniuriam] *ſupereſt datiuus* mihi, *quem addunt Lutetiana.*

ſi totam legiſſes, inuenire potuiſti] *Mendosè* inueniri.

Quæ verbum è verbo interpretata] MS. *noſtra omnia, vetera item Amorb. Frobenijq; necnõ Lutetiana conſtanter legunt,* Quæ verba è verbo interpretata. *Sola poſteriora Frobenij, & Grauij priorem habent lectionem, quam tamẽ germanam crediderim: dicimus enim interpretari verbum è verbo, aut, vt vulgus ait, de verbo ad verbum; quare lectionem eam retinendam putauimus.*

iam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere] MS. *legunt,* iam illud.

quomodo forma eſt aiunt] *Rectius noſter interpres* dixerit aliquis, *pro* aiunt.

in gratia



in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti] A *Ita Chryſoſt. & Apoſtolus ipſe cuius hæc verba ſunt, pro* vnius Domini Ieſu Chriſti.

Hoc idem, inquit, quod dicitur] MS. *legunt,* Hoc quiddam. *Clarius & commodius nos redditum habemus,* Quid tãdem hoc dictum ſibi vult? *Vnde legendum ſuſpicor apud Auguſt.* Hoc quid eſt, inquit, quod dicitur?

Quoniam ergo, inquit, plura] *Ita rectius* MS. *quàm* Quomodo ergo. *quanquam lucidius vertit noſter interpres,* Proinde quòd plura ſint adiectã bona.

IN CAP. VII.

& tot verborum eius quibus obruereris] *Pro* obrueris.

Hic ſunt & cæteri] *pro* hinc ſunt. *Sic enim in præcedentibus, & conſequentibus loquitur.*

qui in ſe ſummam prœlij] *Perperam* qui ſe in ſummam.

Quid eſt quod vos gaudere iactas quòd iſta veritas quam tu errorem putas, vel putari cupis, de tanta multitudine aſſertorem non poteſt inuenire] *Ita hodie Caluinus gloriari auſus, totis quinque poſt Apoſtolos ſeculis veterum neminem Chriſti corpus in euchariſtia præſens eſſe, aſſerere.*

Sanctus Cyprianus dicit] *Mendosè,* Sed Cyprianus.

Sanctus Olympius dicit] *In Lutetianis non rectè* Olympus.

nulla terrenæ contagia corruptelæ] *pro* terrena.

præteritum vitium omne purgari] *perperam* præteriti; *ita enim & Innocentius epiſtolà 91. apud Auguſtinum.*

vt quos guſtus ligni vetiti] *pro* vetitus, *ita enim citatur & ſuprà cap. 5.*

præcipit vt ieiunemus] *Ita rectius cum* MS. *quàm* præcepit.

Ammonianus, Porphyrius, Eutonius, Porphyrius] *Deſiderabantur poſteriora duo hæc nomina, quæ ex manuſcr. adiecimus, & ſuprà legimus cap. 5.*

ex quo tu incautis obrepere voluiſti] *Vitiosè* incautus.

quod nos Chriſtus inuenerit & paterno chirographo] *pro* in paterno chirographo, *ſequitur enim* obligatos.

propriis debitis obligatos] *Mendosè Lutetian.* obligatis.

à coëpiſcoporum ſuorum ſententiis non diſſentiendo demonſtrat] *Pro eo quod erat* in coëpiſcoporum.

Dicit enim omnia peccato primi hominis eſſe contaminata] *perperam* peccata.

vt alius pro alio damnetur] *Non rectè,* vt alius quod alio.

conſpirationem dicturus es perditorum] C *Vitiosè Lutetiana* dicturus eſſes.

vſque ad decrepitam vixit ætatem] *Mortuus eſt enim nonagenario maior, nam de certo annorum numero inter ſcriptores non ſatis conuenit.*

cuius nobis eloquium ab Oriente vſque in Occidentem ad inſtar lampadis reſplenduit] *Hæc cùm adderent* MS. *putaui non eſſe prætereunda.*

abſit vt de medullis mei cordis extirpes] *perperam* adſit.

mallem fili Iuliane vt iuuentute meliore atq; fortiore te vinceres] *Neſcio an hic locus ſatis integer ſit.*

IN CAP. VIII.

Contra quos Catholica fides, Dei tantummodo ſine initio naturam prædicat] *In excuſis omnibus deſiderabatur* Dei, *quod ex manuſcr. adiecimus.*

Ex bonis igitur inferioribus] *Pro* Ex bono, *vti legunt Lutet.*

nec aliquid eſſe malum, niſi à bonitate defectum] *Redundat infinitiuus* eſſe, *quem in ſecunda parte repetebant excuſa.*

quorum ſpontaneus defectus à bono] *Gallicana legunt* ſpontaneos defectus, *per accuſatiuum, ſed non rectè.*

hoc eſt fidei veritatis veræque pietatis] MS. *legunt* veritati veræque pietati, *ſed reliquimus quod erat in excuſis; etiam Amorbachio conſentiente.*

nec vides neceſſe tibi eſſe] *pro* videt.

ſicut non tribuitur iniquitati adulteriorum] *Sic manuſcr. pro* adulterorum.

ſed ipſum opus Dei, id eſt hominũ vel nuptias vel naturam] *Ita legendum eſſe præter* MS. *docent etiam ſequentia, vbi ſic habes,* arborem bonam conſtituens bonum opus Dei, id eſt nuptias hominum vel naturam: *pro eo quod prius erat,* id eſt hominem vel nuptias vel naturam.

quam nefarius illorum error inducit] *loco* indicit.

neque enim vno tantùm loco, vbi ex euangelio] *Pro* vbi, *perperàm erat* tibi.

IN CAP. IX.

quia non poteſt mali radix in eo quod donum Dei vocas locari] *pro* mala radix; *ita enim legis poſt tres verſus & ſæpius eodem hoc capite.*

Et tamen ibi locauit inimicus ille ſeminator] *Ex manuſcr. adiecimus* ille.

Si eſſe rationalem creaturam Dei donum eſt] *In excuſis erat,* Si etiam eſſe, *ſed redundat coniunctio.*

Manichæo quid cõtra te diceret tu dediſti] *Mẽdosè* tu dixiſti.

Veritas ergo fidei Catholicæ in his verbis veſtris ideò vincit Manichæum] MS. *legunt* in his verbis noſtris, *ſed excuſis ſuffragantur quæ antecedunt,* illis verbis tuis te facillimè ſuperat.

quia nihil eſt aliud malum niſi priuatio boni] *Sic lib. 11. De ciuitate Dei cap. 9. Nihil aliud eſt, inquit, quod dicitur malum, quàm naturalium priuatio bonorum. Cui ſimilia habet lib. 12. cap. 1. & lib. 22. cap. 1. 11. & 17. Item Enchirid. cap. 11. Et ſuprà eodem hoc contra Iulian. lib. cap. 8. & infrà lib. 4. cap. 3.*

quia prius contendunt malum proferri non poſſe de bono] *Videtur ſubeſſe aliquid mendæ.*

Vides quam vera Catholicæ fidei ratione redarguat] *pro* redarguit.

quod Catholicus Catholicè aſſeruit] *Aduerbium eſt, non datiuus caſus* Catholicæ.

Catholicis diſputatoribus præbet auxilium] B *Prius erat* diſputationibus.

& de natura, quam facit Deus] *Supereſt* fiunt, *in Lutetianis, quæ legunt,* & fiunt de natura.

vt ſit in eo radix mali] *pro* mala.

## IN LIB. II. CONTRA IVLIANVM CAP. I.

quod tertio loco poſui diſpoſitionis meæ] *pro* diſputationis: *Loquitur enim de operis ſui diſtributione ſuprà lib. 1. cap. 1. propoſita.*

quibus terretis infirmos] *Mendosè* territis.

ex quo generentur mali] *non* regenerentur.

qui cum baptizatis dimittat peccata propria, paruulũ damnat] *Pro* damnat, *excuſa legebant* clamat. *Eſtq; in fine periodi nota interrogationis addenda: nam alioqui Catholicus foret ſenſus, cùm verba ſint Iuliani.*

Multa enim multitudo dulcedinis Domini] MS. *legunt* magnitudo: *ſed alterum legit ac interpretatur Auguſt. in Commentariis ſuper Pſal. 30.*

munda etiam de immundis] C MS. *addebant illud* etiam.

IN CAP. II.

In lib. quem de arca Noë conſcripſit beatus Ambroſius] *Citatur hic locus & infrà lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 11. ſed non reperitur hodie in libro illo Ambroſij.*

Per vnum, inquit, Dominum Ieſum] *In excuſis erat* Dominum Deum. *ſed alterum habes & infrà loco citato contra duas epiſtolas Pelagian.*

videris tibi ſatis aptè acuteq; dixiſſe] *Sic* MS. *pro* altè acuteq;.

qui peccata in filiis damnat aliena, quæ in parentibus relaxauit] *Peruersè Lutetiana,* qui peccata in filiis damnat, alienaque in parentibus relaxauit.

IN CAP. III.

cùm condelectaretur legi Dei] *Pro* cùm delectaretur lege Dei. *Natus eſt error ex Amorbach. qui habebat* cùm condelectaretur lege Dei.

En tota veſtra cauſa] *Sic* MS. *pro,* An non tota. *Et hoc ex Amorbach. ortum apud quem erat,* An tota.

non illic ipſius Apoſtoli accipiendam eſſe perſonam] D *Pelagij de hac re verba recitantur lib. De gratia Chriſti cap. 39. de qua dicemus & nos aliquid infrà ad lib. 6. cap. 23.*

ſciens eius gratia] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat ſenſu imperfecto,* ſciebat enim gratia.

vt humanam incolumitatem ſalutemque] *Redundat quod in excuſis addebatur* voluntatem, *nec legunt* MS. *nec editio Grauij.*

ipſa in eo morte moriere] *Perperã* in ea, *ad corpus enim refertur.*

fine diſcordiæ, non naturæ] *Sic* MS. *Amorbachius legebat* finite diſcordiæ, non naturæ: *inde orta eſt vulgata nunc lectio,* finita diſcordia, non natura.

His & ſanctus Gregorius atteſtatur dicens] *Locum hunc necdum inuenire potui.*

cœni ſui fœtorem venis capacioribus exhalante] *Ita rectè* MS. *& Louanienſis editio, niſi quòd errore typographico* coëni *habet pro* cœni. *In cæteris excuſis erat* ſenſim fœtorem.

longa ſe & diſtricta regens philoſophia] MS. *legebant* diſcreta, *pro* diſtricta, *ſed alterum propius accedit ad Nazianzeni verba.*

Iámne diſcernis, iámne perſpicis, iámne reſipiſcis] *Sic* MS. *pro* reſpicis, *quanquam & hoc retineri poterat.*



Diſcedente

Diſcedente hinc anima pia peribunt] Obſeruandus eſt hic locus, quo dicit Auguſtinus prauos omnes iuſtorum motus in morte perire. A

in reſurgente corpore non redibunt] Sic MS. &c. excuſa.

IN CAP. IIII.

contra quam regeneratus ſi iam ratione vtitur] Pro ſi iam; mendosè Lutetiana ſua.

quia nulla in alterutro] In noſtris deerat quia, in Lutetianis præpoſitio in.

& bonum naturale rationis] Pro his habent Lutetiana, & ab omni naturale rationis.

paruulus hac è vita exiiſſet] Ita commodius manuſcr. quàm ſine præpoſitione.

qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum] Perperam quia caro.

IN CAP. V.

diuidi tres aduerſus duos, & duos aduerſus tres] Pro duo & duo.

paribus ad virtutem ſtudiis] Sic manuſcr. & Ambroſius; Amorbachius legebat ad virtutem efficaciam, inde natum in vulgatis virtutum efficaciam.

tam inimicitiis] Pro eo quod habent Lutetiana inimicus.

etenim ratio cibus mentis eſt, inquit, præclaræque alimonia ſuauitatis] Locum hunc ita ex Ambroſio mutauimus, etiamſi non per omnia conſentiẽtibus MS. Prius erat, Etenim miſericors cibus mentis eſt, inquit, præclaraque alimonia ſuauitatis ratio. B

moderantis animæ coniugatur arbitrio] Sic Ambroſius: MS. duo moderationis legebant: Amorbachius moderatioris, inde natum moderatoris.

quam velut virili infuſam corporis motu] perperam infuſa.

etiam ſui vigore corrupto] Ex MS. adiecimus ſui, quod & Ambroſius legit.

tacere potius noluiſſe] Non rectè in Lutetianis voluiſſe.

Ecce fundit eloquentiæ lucidum ac perſpicuũ flumen Ambroſius] MS. lumen legũt, ſed magis placet quod eſt in excuſis.

moderantis animæ coniugatur arbitrio] Et hic deprauata erat lectio, qualis ſuprà.

Quid adhuc quod aduerſus meos libros moliaris, inquiris?] Pro eo quod prius erat, Quod ſi adhuc.

& vnde poſſint expelli] Ita rectius; quàm poſſunt.

quæ legi mentis ex lege peccati reſiſtunt] perperam lege. C

quia erat adhuc in corpore conſtitutus] In excuſis deerat verbum erat, quod legit & Ambroſius.

in alio quoque libro ſuo, de ſacramento regenerationis, vel de philoſophia quem ſcripſit] Non extat hic liber Ambroſij, ex quo non pauca profert Auguſtinus & infrà cap. 6. 7. & 8. quorum ſeptimo, contra Platonem Philoſophum ſcriptum eſſe ait, qui hominum animas reuolui in beſtias aſſeuerabat, et animarum tantummodo Deum opinabatur authorem, corpora autem diis minoribus facienda decernebat. Tranſmitti eum ſibi à Paulino petit epiſtola 34. Meminit eiuſdem lib. 1. Retractat. cap. 4. vbi perperam legitur, de ſacramẽtis & prophetia.

IN CAP. VI.

& ideò trahere originale peccatum] Non rectè Lutet. & idem.

Quid autem etiam de ipſo ficulneorum tegmine foliorum in libro de paradiſo idem ipſe ſcripſit doctor, aduerte.] Addere potuiſſet non importunum locum eiuſdem ex libri de Noë & arca, cap. 30. vbi ſic ait, Nudum ſe Noë non ſentiebat, qui amictu indutus erat ſapientiæ. Denique nec Adam in paradiſo poſitus nudum ſe putabat, niſi poſteaquam commiſit præuaricationis errorem. Et reus, amictu ſapientiæ ac iuſtitiæ, mandatorum cæleſtium præuaricatione nudatus, nudum ſe vidit, & foliis operiendum putauit.

& eos multiloquij ſtrepitu] MS. legunt multiloquio. D

Sanctus verò Iohannes Conſtantinopolitanus epiſcopus] Verba Chryſoſtomi quæ hic citãtur, apud eum non inuenio, ſimile tamen quid habet homil. 16. in Geneſim.

Meritò idem B. Ioannes] Quæ hic Auguſtinus velut ex Chryſoſtomo profert, leguntur hodie iiſdem verbis in homilia 13. apud Baſilium, quæ exhortatio eſt ad baptiſmum.

IN CAP. VII.

contendentes, nullum iſtorum quinque verum eſſe poſſe] perperam intendentes.

Deum eſſe hominum conditorem] Non rectè Lutetiana eruditorem.

cui poteſtatem conferendæ immortalitatis] In Lutetianis perperſè mortalitatis legitur.

inter immortalia à Deo factam] Mendosè facta.

Intemperans enim in cõiugio, quid aliud niſi quidam adulter vxoris eſt?] Alludit ad illud Xiſti Pythagorei, Adulter eſt vxoris propriæ amator ardentior. De quo nonnihil ſuprà in cap. 15. lib. 1. De nuptiis & concupiſcentia.

incontinentiam etiam licita vertere in vitium] perperã vetere.

tamen ceſſante libidinis voluptate] pro ceſſantem.

non ſolùm fatentem, verùm etiam defendentem] Redundãt quæ hic in excuſis interiiciuntur, in quibus erat, veruntamẽ differentem vel defendentem: nec legunt MS.

IN CAP. VIII.

Sicut enim regeneratio lauacri dicitur, per quã deterſa peccatorum colluuione renouamur] Ita rectè MS. ſicq; habes locum hunc citatum lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 11. Prius erat, deterſa colluuione peccatorum in regeneratione cùm ſederit filius hominis renouamur.

& illius perfectionem] MS. cum veteribus excuſis ſimúlque Lutetianis perfectiorem legunt: nos alteram lectionem prætulimus.

Aliud eſt enim quod ipſius eſt, aliud quod ipſe eſt] Hæc ex MS. adiecimus conſentiente Ambroſio.

ſic docuiſti, ſic monuiſti] Redundat quæ hic inſeruntur à Lutetianis, ſic docuiſti, ſic eminuiſti, vel monuiſti.

Secura eſt corona tua] MS. Carthuſienſe legit Secuta, ſed rectius eſt alterum.

qui confidunt in virtute ſua] perperam tua.

Cùm enim loqueretur de pace euangelica] Quo loco leguntur apud Hilarium ſequentia verba; nimirum in Commentar. ſuper illud Pſal. 118. Viuifica me, &c. nuſquam euangelicæ pacis meminit. Quare neſcio quid ſibi his verbis Auguſt. velit.

verbo licet iam fidei emundatis atque ſanctificatis] Sic MS. & Hilarius, pro emendatis. Eodem alludit & Auguſt. paulò pòſt, nec in hac vita, inquit, emundationem noſtram neget.

In quadam verò homilia De libro S. Iob] Hieron. epiſt. 101. ad Pammachium de optimo genere interpretandi refert Hilarium homilias quaſdã in Iob Origenis, vt arbitror, è Græco in Latinum tranſtuliſſe, vnde hæc videri queant petita. Citat inde & aliud quiddam Auguſt. ſuprà lib. De natura & gratia cap. 62.

Sed cùm per firmitatem animi] Peruersè Lutetiana per infirmitatem.

Eccleſiæ diſciplinam non tenentes] Hilarius pluſculum quiddam hic habet, in Eccleſia quidem manentes, inquit; ſed Eccleſiæ diſciplinam non tenentes.

procaces, ſuperbi, ſimulatores] Sic MS. conſentit & Hilarius, pro æmulatores. C

adhibito decedendi ex ea non moroſo recurſu] Id eſt, tardo & qui longam habeat moram: Non ergo ſoli doctores noſtri ſcholaſtici ea voce in hac ſignificatione vtuntur.

in naturæ refundis inuidiam] Non rectè Lutetiana, refundit.

Si ergo Apoſtolis dicendo talia non peperci, ergo nec Ambroſius pepercit Apoſtolis] Legendum fortè, Si ego Apoſtolis.

IN CAP. IX.

Propoſuimus hic authoritatis mole ſanctorum] Ita rectius cum MS. quàm molem, vt paulò pòſt.

vt veſtra argumenta confringerent] legatur, veſtra argumenta confringere.

quæ antiquitus toto orbe diffunditur] Id viſum rectius, quàm quod habebant excuſa, quæ vbique toto.

aduerſus hæreticos vſque ad periculum ſanguinis defenſor acerrimus] Arrianos videlicet, à quibus Iuſtina Imperatrix incitata odiis furialibus in eum exarſit, quem & perſecuta eſt, & niſi plebem metuiſſet, etiam occidiſſet.

ſic tui doctoris teſtimonio prædicatus] Pelagij videlicet. Mendosè autem Lutetiana ſit tui. D

Dicit mortua quidem vitia] Perperam quædam; vt liquet vel ex ipſa antitheſi.

ſed adhuc ſepeliendum] Redundat verbum eſt, quod in excuſis hic addebatur.

Quamuis iam non eo modo appelletur peccatum] Non rectè eodẽ modo. Nam alterum repetitur & paulò pòſt, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur.

IN CAP. X.

non quidem decernentes flagitium] MS. legunt, non quidem gerentes decernentis flagitiũ. Lutetiana, non quidem decernentes flagitium, vel gerentes decernitis. Sed nos excuſorum noſtrorum retinuimus lectionem.

quæ repugnat legi mentis] fortè quia repugnat.

de qua & multa Ambroſius] Copulam addebant MS.

aliique quamplurimi] Ita commodius MS. pro aliique plurimi.

quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum] Craſſo errore Lutetiana loco ſpiritum, legunt carnem.

Quid eſt



Quid eſt quòd exultas, & mihi quaſi victor inſultas] MS. cum veteribus excuſis conſtanter legunt, Quid eſt quòd exultas, & mihi ſi in conſpectu iudicum eſſemus, quaſi victor inſultas. Lipſius autem in ſuis Caſtigationibus quod hic amplius legitur, tolli iubet, ac reponi ante illud quod ſequitur verſu proximo, ſi iudicum premerer poteſtate. Verùm typographus non per omnia eum ſecutus, eraſit quidem ſuperiore loco, at non tranſtulit in alterum. Eam lectionem viſum eſt retinere, donec vetuſtiora obtigerint MS. A

ſi veræ quam dicis rationis tuba] Perperam verè.

te ante iſtos iudices intus in tuo corde conſtituo] In excuſis deerant voculæ illæ duæ iudices intus. Et malò hoc loco cum MS. conſtituo, quàm conſtitui; quanquam paulò poſt non ignorem ſequi idem verbum tempore præterito.

Nec eos qui nunquam fuerunt aut non ſunt] Quomodo nimirum vos facitis, ſanctas fingentes qui nuſquam ſint, vt obiicit eis & Hieron. epiſt. ad Cteſiphontem.

quando eos nemo poteſt dicere] Supereſt præpoſitio in, quam hic addunt Lutetiana.

Nec nos, nec vos eis noti fueramus] Mendosè ei.

& eis pronunciantibus vincimus] Ita rectius cùm MS. quàm vicimus.

ſi tamen non in te ſpes eſt omnis emortua ſanitatis] MS. legunt ſpes eſt omnis & mortua ſanitas. Sed germanius eſt alterum. B

ſiue adminiſtrantium, ſiue præfectorum] ſic MS. loco perfectorum; opponere autem videtur miniſtros & præfectos.

multum abiecti, & verè deſtituti ſunt, multumque abs te pendent] pro his poſtremis verbis MS. veteraq; excuſa conſtanter legunt multumque obſtupendi. Eam lectionem primus Lipſius immutauit, an exemplaris alicuius fidem ſecutus neſcio: quam tamen reliquimus, donec vetuſtiora exemplaria contigerint.

Peripateticorum poſſis inuenire concilium] Non conſilium.

quæ tria bona iudici tribuiſti] Mendosè Lutetiana, quia tria bona.

ſed fideles & multis excellentiores] Perperam multi.

per diuerſas ætates temporum, locorumque diſtantias, MS. legunt, per diuerſas temporum locorumque diſtantias. Sed commodior eſt altera lectio.

quam Deus à te auertat inſaniam] Illud à te, ex MS. adiecimus.

# IN LIBRVM TERTIVM CONTRA IVLIANVM PELAGIANVM.

IN CAP. I.

ſiue illos verecundius] Non rectè Lutetiana ſicut illos.

tamen etiam ipſos erraſſe dicturus es] Ita commodius cùm MS. quàm errare.

quod veriſimili nouitate decepti] manuſcr. vnum legit; vanitate.

niſi qui ab odio, ira & amicitia vacuum pectus attulerit] MS. legunt amicitia & inimicitia; ſed cũ non id addat Salluſtius, cuius hæc verba ſunt, intelligimus non eſſe germanum.

quales definiuit vnde hoc dixiſti, Salluſtius] Pro qui mendoſiſſimè Lutetiana, quales definiunt vnde hoc dixiſti ſalubrius.

ſed Salluſtius poſuit] Aduerſatiua ſed, in excuſis deſiderabatur; & hic in Lutetianis loco Salluſtius, erat ſalubrius.

& qui cuiquam in hac vita iuſto] In excuſis deerat qui.

quia errore communicat crimen] Perperam Lutetiana errori. D

aut contemnetur ſicut inane, quod fateris] MS. legunt; quod feceris; ſed nec ſic ab omni ſuſpicione locus eſt vindicatus.

qui debellauit apud Carthaginem Celeſtium, quando illic ipſe non eram, & rurſus Conſtantinopoli tam longè à regionibus Africanis] de iudicio Carthaginienſi habes ſuprà lib. De originali peccat. cap. 2. 3. & 4. De Conſtantinopolitano verò iudicio & condemnatione Celeſtij nihil præterea refert Auguſt. ſolus verò Proſper rem hãc nobis aperire videtur, quanquàm pleniorem optauerim declarationem; verba eius hæc ſunt in lib. De ingratis cap. 2.

Quid loquar & curam magna quam geſſit in vrbe
Conſtantinopli docto bonus ore ſacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide; de qua tunc impia corda
Quamuis ſe obducta tegerent velamine forma
Iudicij, & tacitæ tulerant tormenta repulſæ?

Attingit tribus verbis & Maxentius Ioannes, qui ad calcem libelli fidei ſuæ quem Hormiſdæ pontifici obtulit, anathematiſmo vltimo contra Neſtorianos & Pelagianos, inter Pelagij Celeſtijq; damnatores Atticum Conſtantinopolitanum epiſcopum enumerat.



in ſuis omnibus militibus pugnat, errorem veſtrum etiã Pelagij lingua, tanquam proſtrati & iacentis gladio detruncauit.] Ita hunc locum ex MS. caſtigauimus, pro quo erat oppugnat errorem veſtrum; & pro lingua, legebatur linguam. Nam linguam Pelagij gladio Goliæ comparat: vnde & ſequitur paulò poſt, imò per linguam Pelagij Dominus amputauit.

Nam quod tu dedignaris] Id eſt quòd agnoſcere non vis, recuſas, refugis. Similiter loquitur lib. 2. De peccat. meritis & remiſſ. cap. 34. ad certamen nobis relictam eſſe non dedignemur.

Sed quid eſtis dicturi; niſi fortè Pelagio maledicturi?] ſic MS. pro maledicatis. Alterum enim videtur Auguſtini linguæ familiarius, qui gaudere ſolet ſimiliter cadentibus ac deſinentibus.

Nec vos nec alios decipiatis] Sic MS. pro & alios.

quia non à nobis ſicut vos] perperam à vobis.

IN CAP. III.

non pro cauſis eſſe mutandam] MS. legunt vtendam, ſed non rectè.

nullam pœnam putatis eſſe, imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei] MS. legunt imaginis Dei, vt ad præcedentia referatur: ſed excuſorum lectionem confirmat quod ſequitur, vt imago Dei non ſinatur intrare in regnum Dei.

exſpatiaris ibi vir diſertiſſimus] MS. cum Amorb. legunt, & ſpatiaris tibi: ſed neutra lectio ſatisfacit, conſulenda vetuſtiora MS.

qui redimit Iſraël ab omnibus iniquitatib. eius] pro redemit.

IN CAP. IIII.

Apoſtolo teſtante qui dicit] ſic MS. quomodo & aliàs frequenter loquitur Auguſt. pro Apoſtolo teſte.

qui nec ab ipſa maſſã perditionis abſtinet ſui operis bonum] De hoc genere locutionis ſuprà diximus ad cap. 9. lib. 2. De nuptiis & concupiſcentia.

IN CAP. V.

aut baptizandos nõ eſſe paruulos, quod quidem poſtea eſtis fortaſſe dicturi] Certè dixerunt noſtri temporis hæretici.

ſit eorum pretium ſanguis] Mendosè Lutetiana ſic eorum.

Nec vos euangelium commonebit, vbi forſitan propter vos interrogauit Dominus] Perperam commouebit, at forſitan.

IN CAP. VI.

Sed videlicet vt egregius dialecticus] Non rectè in Lutetianis; Si videlicet vt egregius.

Et ad vtrunque reſpondens] pro reſpondes.

Sed hinc potius intelligamus eis ad alterum ſeculum prodeſſe quod renaſcantur] Sic & Enchiridij cap. 66. quem locum viſum eſt hic ſubiicere, magis enim, inquit, propter futurum iudicium ſit remiſſio peccatorum. In hac autem vita vſque adeò valet, quòd ſcriptum eſt: Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum; vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium, vt etiam paruulos videamus poſt lauacrum regenerationis diuerſorum malorum afflictione cruciari: vt intelligamus totum, quòd ſalutaribus agitur ſacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere, &c. Idem attingit & infrà lib. 6. cap. 10. Et lib. 2. De peccat. meritis & remiſſ. cap. 34. ſub finem. C

propter vitium ſuperbiæ hominis] Mendosè initium.

IN CAP. VII.

non dico malam, ſed potius bonam] Sic MS. & vetera excuſa, ſimulq; Louanienſis editio, pro non dicam.

quoniam tuus eſt vt prior iſte] Loco & prior.

non ideò deformis eſſet] Perperam non idem.

& nulla quidem culpa dialecticæ diſciplinæ, tu quantum à tramite eius exorbitaueris?] Sic MS. pro eo quod erat in excuſis, & nulla quidem culpa eſt dialecticæ diſciplinæ, quantum, &c. Pendet enim ex ſuperioribus ſententia. D

Quod cùm negare nequiueris. Quid eſt quod nequeo negare homo inconſiderate, quid eſt quod nequeo negare?] Ita locum hunc Lipſius reſtituit, nam in vulgatis deſiderabatur, homo inconſiderate, quid eſt quod nequeo negare? Louanienſis editio paulò aliter legit, ſic enim habet, Quod cũ negare nequiueris homo inconſiderate: ſed magis arridet altera lectio. Nam & infrà lib. 4. cap. 8. Homo contentioſe, inquit Iuliano loquens Auguſtinus.

Quia non vtique ſi mala eſt commixtio] Mendosè vtrique.

IN CAP. VIII.

Nulla eſt itaque fouea] Pro ita.

IN CAP. IX.

diuiſit & ſexum; diuiſit in ſpecie] MS. legunt diuiſit & ſpecie.

& abſoluendus per ſanguinem] Sic MS. cum veteribus Amorb. & Frobenij, pro abluendus: id enim paulò antè præcedit ſic ſuprà

cap. 3. redimi & liberari ait paruulos ſanguine Chriſti. diſertis verò verbis lib. De corrept. & gratia cap. 11. iſtos, inquit, à reatu hæreditario & proprio illius agni ſanguis abſoluit.

quem diſpoſuit ordinem ſæculorum ] Perperam Lutetiana depoſuit.

IN CAP. X.

de ſui meriti deformitate confundi] Mendosè deformitatis.

IN CAP. XI.

Dicis etiam in laude libidinis] Ita rectius quàm cum Lutetianis, Dicit.

ſenio confectis emortuiſque corporibus] In excuſis deerat coniunctio, quam additam habes & lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 10.

Quaſi verò ſi claudum ] ſic reſuſcitatus à Chriſto Lazarus non caruit concupiſcentiæ malo.

non eas iam poſſe concipere] perperam eos.

Qui tandem coniuges in hac ætate generant] Non rectè Lutetiana, quia tandem.

Pro modo ergo nunc temporis] Ex MS. adiecimus nunc, quod additum habes & paulò poſt, vbi legitur, Pro modo autem nũc temporis, quo longè breuiore ſpatio viuunt homines.

fœcunditatis munus in eodem perſeueraſſe ] Vitiosè fœcunditati.

quod aduerſus ſpiritum concupiſceret, & concupiſcentiæ] Hæc deſunt in Lutetianis.

IN CAP. XII.

quod radix profert damnata dãnatos] In Lutetianis eſt, quod admirabilis radix: ſed omnino redundat illud admirabilis.

niſi cuius manus non defuit creantis] Iidem vetera Amorbach. Frobeniiq; ſecuti legunt niſi cui manus, ſed non patitur hoc antecedẽs pluralis numeri, damnatos: ad Deum ergo refertur.

Sed certè vos qui miſeram] pro miſeriam, ſequitur enim paulo poſt quò hoc pertinet infantiam.

niſi damnaſſet damnatus exiſſet] Mendosè Lutetiana exiſtet.

Vbi etiam ponis, quia & vita carebunt] Prius erat vbi etiam panis.

ſi vllus eſt Chriſtianus ſenſus in vobis] perperam nobis.

IN CAP. XIII.

per quem conſtituta eſt vita carnalis ] pro per quam, vt ad ignem vitalem, non ad concupiſcentiam, referatur.

aut verò cuiuſcunque frontis ſis] Ita rectius MS. cum Amorb. quàm An verò.

arbitrium coniugati velit hunc appetitum] deprauatè Lutetiana, velut hunc.

IN CAP. XV.

vltimi limitis ſortita regionem] In iiſdem erat ſortitus: ſed ad pudicitiam pertinet.

[illegible]ſe mirantium venerata fulgorem] Typographorum error eſt quòd in vulgatis pro venerata, legitur ſtenerata.

IN CAP. XVI.

quia impietatẽ ſeparationis exhorrẽt] Mendosè ſuperationis.

vt ſuo bono pugnent] pro vt ſub bono.

ſed ignoſcitur in comparatione mali peioris] Ex manuſcr. adiecimus mali.

IN CAP. XVII.

quod nunc oſtenſum eſt in regione Africæ] MS. cum veteribus excuſis ac Lutetianis legunt tunc.

tutum non eſſe] Perperam Lutetiana, tuum non eſſe.

antiquam nos defendere fidem Catholicam] Illud Catholicam, ex MS. adiecimus.

Pœnus te hoc vulnere Pœnus immolat] Imitatio eſt Virgiliana ex fine lib. 12. Aeneidos:

——Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

Vtrúmne caſta, an verò meretrix] Perperam Vtrum te.

inſtinctu nefarij non erroris, ſed furoris infamas? ] Ita rectius MS. quàm nefario.

ad ea quæ inſtitueras delirare reuerteris] MS. veteraq; Amorb. ac Frobenij legunt deliberare, quo verbo vtitur ſuprà alicubi & Iulianus. Et Auguſt. infrà lib. hic 4. cap. 13. Vbi miror, inquit, ſi deliberas. Sed cùm haberet hoc incommodam ſatis ſententiam, primus Lipſius deliberare, vertit in delirare: cui coniecturæ non deſunt quæ ſuffragentur loca. Nam & eodem lib. 4. cap. 3. Sed cùm inſana, inquit, dicis, & rides; phrenetico es ſimilis. Et aliquanto pòſt, deliras, inquit, qui ſterilium fructus arborum laudas. Verùm nec ea lectio mihi admodum arridet. ſi diuinare liceat, legendum putarim deliberatè potius, quàm deliberare; vel quod germanum eſſe arbitror, delira pro delirate. erroi occaſionem dediſſe ſuſpicor, quòd inter ſonandum proxima dictionis initium ad finem præcedentis pertinere videatur.

IN CAP. XVIII.

nec puto quòd hominem Deus non fecerit, aut diabolo fecerit] MS. legunt, aut ex diabolo fecerit: ſed malè, vt liquet ex lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 16. Nam diabolo feciſſe intelligit, tãquam eos diabolus habeat ſeruos.

qui omnes paruulos ab eo malo] Perperam quod omnes.

Interponis Apoſtoli teſtimonium non ad quod ab ipſo poſitum eſt] Loqui videtur de loco Apoſtoli, 1 Corinth. 15. Inſipiẽs tu quod ſeminas non viuificatur: quem Iulianus, omiſſis è medio compluribus verbis, de humano ſemine interpretabatur: vt videre eſt lib. 2. De nupt. & concupiſc. cap. 14.

tamen interponis vbi ais] Vix dubito corruptum eſſe locum, proq; tamen, legendum tandem: quanquam nec ſatis arridet verbum interponis, cùm id paulo antè præceſſerit.

qui aſſerebant laudi Dei proficere peccata mortalium] Mendosè Lutetiana, peccato.

propterea rectè iudicari homines] Nõ rectè in iiſdem iudicare.

IN CAP. XIX.

generantium voluntate non lædi] Ita rectè MS. pro voluptate.

qui non vis iudicio diuino quenquam non ſuis, ſed alienis plecti poſſe peccatis] In excuſis contraria erat falſaq; ſententia, non alienis ſed ſuis plecti poſſe peccatis.

IN CAP. XX.

Sed dicimus, vſque adeò malum eſſe ] pro eſt; intelligit autem concupiſcentiam.

Non itaque concupiſcentiam carnis] Prius erat vtique.

Dicis etiam Sodomitas] In Lutetianis eſt non rectè Dicit: ſequitur enim atque ita vis.

vt non videas creaturam panis & vini] Mendosè vides.

IN CAP. XXI.

cùm ſperatur generationis effectus] Sic rectè MS. pro regenerationis: neque enim de baptiſmo hic loquitur, ſed de prole, quæ generationis & nuptiarum eſt fructus.

conſtituens te ante iudicem non alium ] deprauatè Lutetian. conſtitues.

vincêris, vincieris, & ad immunda omnia pertrahêris] Ex MS. adiecimus vincieris.

nec ad hoc quod deſideras, tibi proderit] In excuſis redundat pronomen hoc, quod ad finem hic repetebatur.

An etiam ipſam quomodolibet intelligas, laudare diſponis?] Ita rectius quàm diſpones.

& parentum fœcunditatem] Ex MS. adiecimus copulam &.

tanquam iſto modo ſeipſam comedat iſta ſentẽtia] Pro comedat, Lutetiana peruersè commendat.

malum autem nõ de nuptiis] In Lutetianis deſideratur negatio.

de quo ſcriptum eſt, Dominus ſapientes facit cæcos ] locus eſt Pſal. 145. quem ſimiliter legit Auguſt. & tom. 8. ſuper eundem Pſalm. negátque dictum illuminat, ſed ſapientes facit, quomodo legunt nunc & Græca κύριος σοφοῖ τυφλούς. Noſter interpres legiſſe videtur φωτίζει, id eſt, illuminat.

ſecundum merita veſtra dari dicitis] Perperam dare.

quamuis Deo noſtra conſcientia] Vitiosè Lutetiana, quamuis de noſtra.

qui ea bene vtuntur belligerent coniugati] Ita commodius cum MS. quàm belligerant.

IN CAP. XXII.

& homo ſiue de coniugio, ſiue de adulterio naſcatur] Poſterius de, ex MS. adiecimus.

IN CAP. XXIII.

& innocentem eſſe per nullum proprium] Ita rectè MS. pro eo quod erat, & innocentem eſſe paruulum per proprium, præceſſit enim hominem vndecunque naſcatur.

Cur autem timerem ne mihi obiiceretur vt dicis, quia peccata omnium parentum, omnibus filiis imputarem] Infrà lib. 6. cap. 7. liberum eſſe ait hac de re quærere, ſeu facile ſeu difficile, ſeu impoſſibile ſit inuenire. Ambiguè loquitur & Enchir. cap. 46. & 47. Suprà tamen lib. 1. De peccat. meritis & remiſſ. cap. 15. apertam & ſimplicem habere videtur ſententiam: Generante carne, inquit, illud tantummodo trahitur, quod eſt originale peccatum. Niſi quis eum originale peccatum diſtinguere velit non contra ſuperiorum omnium parentum peccata, quæ & ipſa generatione contrahant, ſed contra actualia, propria voluntate noſtra commiſſa.

cum eo malo contra quod pugnas bene vſi fuerint cõiugati] Excuſa legunt, & quo bene vſi fuerint.

rerum te teneret] Pronomen te, ex MS. adiecimus.

trahebatur inde & malum ] In impreſſis deſiderabatur inde.





Ideò quippe bonus odor erant Chriſti] Perperam erat, de Apoſtolis enim loquitur.

ſine quo tamen eſſe non poteſt voluntas mala] Mendosè voluntas mea. Rectam lectionem habebant etiam vetera excuſa.

ſed quo bene vterentur paratum inuenerũt] Neſcio quid mendæ hic mihi latere videtur, neq; enim admodum arridet illud paratum.

IN CAP. XXIIII.

vt cum generatis ſi regenerati non fuerint, puniatur] Vetera excuſa Amorb. ac Froben. cum Lutet. legebant, vt eo generati ſi regenerati non fuerint, puniatur; vbi poſteriores putarunt legẽdum puniantur. Sed germana eſt MS. lectio, ait enim hoc eſſe concupiſcentiæ ſupplicium vt in non regeneratis cum eis puniatur; in regeneratis, perfecta ſanatione conſumatur. Similis locus eſt infrà lib. 4. cap. 9. Nec permanebit, inquit, hoc malum, ſed aut damnabitur aut ſanabitur. Et lib. 6. cap. 19. Hanc iniquitatem ſi homo ab homine altero forinſecus aduerſante pateretur, quia in illo non eſſet, ſine illo vtique puniretur. Quia verò in illo eſt, aut cum illo punietur, aut &c.

Et cùm eoſdem nodos repetas ] ita commodius cum MS. quàm repetis.

iure damnabiles ſunt] In excuſis deerat verbum ſunt, quod additum habes & lib. 2. De nuptiis & concupiſcentia cap. 27. vbi hæc verba repetuntur.

quia per opus Dei opus diaboli tranſire non ſinitur] Perperam diabolo. ſic legis & ſuprà lib. 1. cap. vltimo.

quamuis conuerſatione vitioſa] Mendosè conuerſione.

IN CAP. XXV.

Quid eſt autem quod propoſitis aliis ] Ita rectius quàm Lutetiana, quod poſitis.

& non opus eſt vt cætera detrahas, ſi nuptias quæris quales ante peccatum primorum hominum eſſe potuerunt. Sine motu enim corporum ] Locus hic ita in excuſis deprauatè legebatur, & non opus eſt vt cætera detrahas. Si nuptias quæris quales ante peccatum primorum hominum eſſe docuerunt, ſine motu corporum.

tunc nullo malo vterentur ] Mendosè Lutetiana, tunc nullo modo vterentur: & mox, malo bene vtuntur. pro quo legunt vterentur.

Paruuli opus diaboli ſubſtantialiter non ſunt, ſed opere diaboli originaliter rei ſunt] Mirum vnde tam craſſus error irrepſerit, vt loco diaboli, in excuſis omnibus & Germanicis, & Gallicis, & Italicis, Dei legeretur.

IN CAP. XXVI.

Si pietate voluntatis, qua optat liberos quiſque] Pro qua, habent non rectè Lutetiana quæ.

atque ideò ſanctitatem] Perperam vtque.

deſcribebat Apoſtolus] Sic MS. pro deſcribit: nam & hac voce vtitur in aduerſatiua paulò pòſt ſequẽte, ſed deſcribebat humanam in hac corruptibili carne naturam.

Video aliam legem in membris meis] Illud in membris meis, addebant manuſcr.

ſi quid de te tibi credimus] MS. ſic legunt, ſicut de te vis credamus.

& concupiſcentias carnis ne perfeceritis ] pro non perfeceritis: nam & paulò poſt ita repetit, Non ait, inquit, ne feceritis, quia eas non habere non poterant; ſed, ne perfeceritis.

ne opera earum] Perperam eorum, nam ad concupiſcentias carnis refertur.

Deinde ad Galatas addit & dicit] In excuſis erat, ait & dicit.

Ipſæ quippe ſunt opera ] ſic manuſcr. pro Ipſa, quod & rectius quadrat.

cùm conſentit ei ſpiritus ad opera mala] Pro quo erat in excuſis ad operanda.

Hoc enim volumus, cùm perfectionem iuſtitiæ concupiſcimus] Tres verſus qui in vulgatis proximè ſequebantur, ſenſum planè perturbabant, nec dubito quin ex margine, vt & aliàs hic frequenter, in contextum irrepſerint; quare tollẽdas putauimus. Sunt autem iſti: Hoc, intendere concupiſcentiis carnis non perficiendis, & bonum perficere nõ inuenio, intentione non intermiſſa velle debemus.

quando eis non accedit noſtræ voluntatis aſſenſus] Mendosè accidit.

tanquam qui ſcripturis ſanctis] In excuſis deerat qui.

ac ſic pudor turpi occurrat ignauiæ] Prius erat nullo ſenſu, ac ſi.

quorum obſcenitates, Apoſtolorum ] ſic manuſcr. pro obſcenitatem.

tanquam in arce confligas] Perperam in carne. Genuina lectio erat etiam in veteribus excuſis Amorb. & Froben. quam miror quis putarit immutandam.

omni aſtu, omni furore conniti] Ita manuſcr. quod viſum eſt vehementius, quàm conari, quod erat in impreſſis.

Apoſtolorum legionẽ repugnaſſe libidini, vtique pugnanti] MS. omnia veteraq; excuſa ac recentiora, legunt vtique repugnanti, niſi quòd errore typographico quædam habent repugnante. Primus Lipſius in poſterioribus Frobenianis mutauit in pugnanti, ſecutus fortaſſe MS. alicuius fidem; certè vt id malim facit, quòd verbum repugnandi in eodem verſu antecedat. Alter eſt autem in Lutetianis error, vbi pro vtique, habes vti.

vt abs te & expugnetur in te, & defendatur aduerſus me?] MS. legunt impugnetur in te. Sed quia paulo antè eodem verbo vtitur; Quam te iactas, inquiens, expugnare continentia, quare non vis damnare ſententia? reliquimus quod habebant excuſa.

Porro ſi malum eſt, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ?] Pro quod caro.

Hoc enim originali malo etiam parentes illorũ rei nati ſunt] In excuſis erat, parentes illorum renati ſunt; cui deprauationi editio Louanienſis mederi cupiens, fecerat, parentes illorum nati ſunt, coniectura haud dubiè non malâ. Verùm MS. quid ab Auguſtino ſcriptum fuerit oſtendunt. quibus ſuffragatur quod infrà repetitum paulò poſt legis, quia & ipſi rei nati ſunt. Et mox, Ex hoc enim malo rei nati ſunt.

Ac per hoc & illi quos reos liberati generauerunt] ſic MS. pro eo quod erat, quos reatu liberati generauerunt; quod tamen nec reiicimus, quanquam alteri lectioni fauet quod antecedit, Reos ergo, quia & ipſi rei nati ſunt, &c.

# IN LIBRI QVARTI CONTRA IVLIANVM CAPVT PRIMVM.

quibus ſoluendis curam non oportet impendere] Perperam nos oportet, præcedit enim, omittentes ſicut inſtituimus.

& per obedientiam vnius hominis expiandum atque ſanandum] Pro eo quod erat, & per inobedientiam. Cæterùm MS. ei quod ſequitur, vnius hominis, addunt Domini noſtri Ieſu Chriſti.

& in regnum vnigeniti transferendi renaſcantur ] In excuſis deerat verbum renaſcantur.

ſine illo vtique naſcerentur] MS. legunt ſine vllo.

Nunc verò quandoquidem cum hoc naſcuntur] Ita commodius cum MS. quàm naſcantur.

per malum præuaricationis credidit accidiſſe? ] Pro credit, præcedit enim arbitratus eſt.

Poteſt igitur in homine qui munere Dei eſt, & viuit, malum eſſe generatione cõtractum] Pro & viuit, erat in excuſis vt viuat, ſed alterum habes & paulò antè, Munus Dei nulli nocet, quo quiſque eſt & viuit. & mox, niſi in eo quod eſt, & viuit.

nec ideò mali huius ipſa eſt cauſa, quia naſcitur] Mendosè quid naſcitur.

IN CAP. II.

Internum potius vince, quem laudas] Pro quod laudas. Præcedit enim, Quid eſt quod triumphas tanquam de hoſte victo?

ab eo illo qui falſum dicit] MS. conſtanter addunt illo, & facit ad vehementiam.

nec extinguitur per gratiam, ſed frenatur] Vt cum MS. id mallem, quàm refrenatur; facit quod Auguſtinus id repetens, eo verbo bis térue hoc capite vtatur.

quia eo limes præfigitur licitus malo concupiſcendi] Perperam quia in eo; ſenſus eſt enim quia per hoc bonũ conuẽtionis coniugij.

Et vtique deſiderium mali, malum eſt] Mendosè deſiderij.

etiamſi ei non conſentiatur] Pro conſentiat.

faſſus es malum quod repugnat bono] In excuſis erat contrario ſenſu quod repugnat malo; quanquam in vetuſtioribus excuſis, & apud Grauium germana lectio retinetur.

continentes extirpent concupiſcentiam carnis ] Non rectè continenter.

quo malo non vtuntur, in quibus hoc bonum eſſe contẽdit] ſic MS. pro eo quod erat, quo malo bene vtuntur, nam de continentibus non de coniugatis eum loqui verba ſequentia docere videntur. Neq; enim dicturus es, inquit, in coniugibus bonum eſſe libidinem; in ſanctis autem vel virginibus vel continentibus malum. Eandem lectionem & Amorb. ad marginem annotarat.

Iam ſententiam tenemus tuam] Pro teneamus.

concupiſcentiam carnis eſſe in vtriſque ] In excuſis erat hoc eſſe, ſed redundat pronomen hoc.

ſi enim ſummum culmen obtinent pudicitiæ coniugalis] Non rectè Lutetiana coniugales.

in ſanctis autem virginibus & continentibus quid agit, obſecro te, quid agit tua iſta ſuſcepta, cùm deſipis; aduerſaria, ſi ſapis] *Ita locus hic diſtinguendus eſt.*

Quid cùm ſopitos deludunt ſomnia ſenſus] *Mendoſè* omnia.

cùm videas nec ibi fieri, vbi modus eius nullus eſt neceſſarius] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat*, cùm videas nec fieri, vbi modus eius nullus neceſſarius eius eſt.

Proinde virtus quæ hic vbi ſuperbiri poteſt, non ſuperbiatur] *Prius erat* vt non ſuperbiatur.

Quamobrem hoc malo coniuges bene vtuntur] *Pro eo quod erat*, Quamobrem quoniam hoc coniuges. *Redundat autem quod eſt in Lutetianis*, malo continentes melius non vtuntur, *ex margine in contextum tranſlatum.*

nec ideò illud cui non conſentitur] *Redundat quæ in excuſis addebatur hic copula, nec legunt* MS.

nec ex his hominibus qui malo carent] *Vitioſè excuſa*, Nec his omnibus qui malo carent.

IN CAP. III.

qui non propter Deum verum, fidem connubij ſeruat vxori.] *In excuſis erat non rectè*, propter Deum, veram fidem connubij, *vt liquet ex lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 3. vnde ſunt hæc verba repetita, & paulò poſt*, quando, *inquit*, à Deo vero ipſe animus fornicatur.

Deinde ne quiſquam veſtrum negaret] *Pro* noſtrum.

adhibui teſtimonium de ſcriptura ſancta] *Perperam* ſancti.

aut in animo infidelis pudicitia vera eſſe non poſſit] *Ex* MS. *adiecimus* vera.

cui vitia quoque ipſa bonitatis perhibent teſtimonium naturalis] *Ita rectius, quàm* ipſius bonitatis.

Quid enim in vitio aliud diſplicet] *De malo ſeu vitio quod naturalis ſit boni priuatio, diximus aliquid ſuprà ad cap. 9. lib. 1.*

vt qui in vobis opus bonum cœpit] MS. nobis *legunt, ſed altera eſt Apoſtoli lectio.*

per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum] *In excuſis deerat*, Dominum.

non tamen vt eius bona voluntas poſſit præcedere præter gratiam] *Illud* præter, *videtur redundare.*

cum ſcriptura dicere contra vos, præparatur voluntas à Domino] *Locus eſt Prouerb. 8. cap. ſecũdum Septuaginta, pro eo quod nos legimus*, & hauriet ſalutem à Domino. *Citatur ſcriptura hæc ſequentibus libris frequentiſſimè, & Concilio 2. Arauſicano canon. 4. vbi ſic habes, reſiſtit, inquit, ipſi ſpiritui ſancto per Salomonem dicenti, præparatur voluntas à Domino.*

qui operatur in vobis & velle] MS. *legunt* nobis, *ſed alterum eſt Apoſtoli.*

alij natura lenes] *pro* leues, *&, quod habẽt Lutetiana*, naturales.

vnde medici audent iſta tribuere temperationibus corporum] *Non ait tamen quod falſo, nam & hæc temperatura diuinæ eſt prouidentiæ.*

Quod etſi probari] *Prius erat*, ſi & probari.

nullo modo, nulla ratione quiſquam poteſt] MS. *legunt*, nulla vllo modo ratione.

Nec tamen ſiue maximis ſiue minimis vrgeatur] *Ita rectè* MS. *pro*, maximus ſiue minimus: *alludit enim ad illud Horatianum lib. 1. ſermonum, ſatyra 3.*

*Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille*
*Qui minimis vrgetur.*

Vbi eruditiſſimi atque doctiſſimi viri multo excellentiore cæteris philoſophia nobilitati] *Ita commodius* MS. *quàm excuſa*, philoſophiæ nobilitate.

Quam ſi eis tribuerimus] *pro* tribuemus.

Prorſus ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus, ſi per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: ita veriſſimè dicitur, ſi per naturam voluntatemque iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: ſi per doctrinas hominum qualiſcunque iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt] *Similes ſententias habes apud Auguſtinum lib. De natura & gratia cap. 2. 9. & 40. Et lib. De gratia & lib. arbitrio, cap. 13.*

etiam choraulas & huiuſmodi turpes infameſque perſonas habere contendas] *Choraulæ dicuntur qui fiſtulis aut tibiis ad choros canunt, χορὸς enim Græcis idem quod chorus ſeu tripudium: αὐλὸς verò, fiſtula ſeu tibia. Iidem & aulœdi vocantur, de quibus eſt illud Ciceron. oratione pro Murena, Aiunt in Græcis artificibus, eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerunt.*

vincit in eis & frenat alias prauas cupiditates] *Impropriè dictum quòd vincat, propriè enim tum victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur. Lib. 21. De ciuit. Dei, cap. 26.*

A Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus] *Lib. 10. confeſſ. cap. 20. tractat quomodo beatitudinem omnes appetant. Appetitum verò hunc deponi non poſſe ait ſuprà, lib. De natura & gratia, cap. 46.*

& de ſuo ſæpe amiſſa contemnunt] *Perperam* amiſſo.

ſi ad cognoſcendũ vtrũ veræ ſint] *Pro*, ſed ad cognoſcendũ.

hoc tantummodo intuendum] *Mendoſè* intuetur.

Vt vera ſit virtus, auarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum:] *Ita hic locus diſtinguendus, vt* auarorum, *cũ ſequentibus cohæreat, non cum præcedentibus, quemadmodum ex ſequentibus ſatis eſt manifeſtum.*

& auarorum iuſtitia] *Mendoſiſſimè excuſa omnia*, theſaurorum iuſtitia.

quæ conſtantiam videtur imitari] *Mendoſè* videntur.

omnibus virtutibus non ſolum ſunt vitia manifeſta diſcretione contraria, ſicut prudentiæ temeritas; verùm etiam vicina quodammodo, non veritate ſed quadam ſpecie fallente ſimilia] *Ciceronem imitatus videtur qui lib. Partitionum ſic ait, Cernenda ſunt diligenter, ne ea nos fallant vitia quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus*

B *aſpernandis; & magnitudinem animi, ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & religionem ſuperſtitio: ſtudiiſq; bonis ſimilia videntur ea quæ ſunt in eo genere minima. Et lib. 1. De natura deorum, omnibus veris, inquit, falſa quædam adiuncta ſunt tanta ſimilitudine, vt nulla inſit iudicandi & aſſentiendi nota. Item Horatius in arte poëtica,* *Decipimur ſpecie recti.* *Et Iuuen. ſat. 14.*

*Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra.*

quomodo iam hoc factum veræ poterit eſſe iuſtitiæ] MS. *pro* veræ, *legunt* iure, *ſed veram virtutem ac iuſtitiam paulò poſt non ſemel appellat.*

Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiſcendam facerent vel tenendam] *Locum hunc non parum illuſtrant Auguſt. verba quæ habet lib. 5. De ciuitate Dei, cap. 20. quæ licet prolixiora ſint, viſum eſt hic tamen aſſcribere. ſolẽt philoſophi, inquit, qui finem boni humani in ipſa virtute conſtituunt, ad ingerendum pudorem quibuſdam philoſophis, qui virtutes quidem probant, ſed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, & illam propter ſeipſam putant appetendam, iſtas propter ipſam, tabulam quandam verbis pingere, vbi voluptas in ſella regali*

C *quaſi delicata quædam regina conſideat: eiq; virtutes famulæ ſubijciantur, obſeruantes eius nutum, vt faciant quod illa imperauerit. Quæ prudentiæ iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & ſalua ſit. Iuſtitiæ iubeat, vt præſtet beneficia, quæ poteſt, ad comparandas amicitias corporalibus commodis neceſſarias: nulli faciat iniuriam, ne offenſis legibus, voluptas viuere ſecura non poſſit. Fortitudini iubeat, vt ſi dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam ſuam, id eſt, voluptatem fortiter, in animi cogitatione, vt per priſtinarum deliciarum ſuarum recordationem mitiget præſentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum; & ſi qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas quam etiam in corporis ſanitate Epicurei maximam ponunt, grauiter offendatur. Ita virtutes cum tota ſuæ gloriæ dignitate; tanquam imperioſæ cuidam & inhoneſtæ mulierculæ ſeruient voluptati. Nihil hac pictura dicunt eſſe ignominioſius & deformius, & quod minus bonorum ferre poſſit aſpectus; & verum dicunt, &c. Meminit huius tabulæ & Cicero libro 2. De finibus, vnde eam & Auguſtinus repetijt, vbi Cleanthi Stoico adſcribitur.*

Quicquid autem boni fit ab homine, & nõ propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio vi-

D deatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt] *Diſputatur apud Magiſtrum ſententiarum lib. 2. diſt. 41. quæſtio, Vtrum omnia infidelium opera peccata ſint. Cuius qui aſſirmantem tuentur partem, nituntur in primis hoc & ſimilibus aliquot Auguſtini locis. Verùm qui eum non id ſenſiſſe putant, verba hæc eius per liptoten dicta intelligunt, vt quod ait*, ipſo non recto fine, *idem valeat quod fine malo atque peruerſo, vt quando fit quippiam reſpectu idolorum, ambitionis aut inanis gloriæ, &c. Id quod ex ſubiecta eius paſſim declaratione videtur confirmari. Nam proximè poſt iſta verba ſic ait, Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non benefacientibus à quibus fiunt. Bonum eſt enim vt ſubueniatur homini periclitanti, præſertim innocenti. Sed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. ſic aliquanto infrà, cùm dixiſſet, hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt; explicans hoc ipſum, ita poſt paulum ait: An fortè & iſtis qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute ciuili non vera, ſed veriſimili dæmonibus vel*



*bus vel humanæ gloriæ ſeruierunt, &c. Poſt duas verò columnas ſeu paginarum ſectiones obijcienti Iuliano, ſi gentilis nudum operuerit, nũquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt? Prorſus, inquit Auguſtinus, inquantum non eſt ex fide, peccatum eſt, non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt; ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum. Rurſus poſt aliquanta quærit à Iuliano num bonam exiſtimet miſericordiam infidelem, additq;: Porro ſi vitium eſt malè miſereri, proculdubio vitium eſt infideliter miſereri. Quòd ſi & ipſa per ſeipſam naturali compaſſione opus eſt bonum, etiam iſto bono malè vtitur qui infideliter vtitur, & hoc bonum malè facit qui infideliter facit; qui autem malè facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, inquit, etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui bene vtitur malis. Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona malefaciunt, quia non ea fideli, ſed infideli, hoc eſt ſtulta & noxia faciunt voluntate. Hactenus Auguſt. ex quibus verbis nihil eum aliud voluiſſe apparet, quàm quicquid gentiles infideliter, hoc eſt ex infidelitate ſua faciunt, fine videlicet prauo & malo, id omne peccatum eſſe, id quod certiſſimum eſt. Quare & illud Apoſtoli, quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt, non purè negatiuè accepiſſe videtur, ſed quicquid ex errore ſeu infidelitate, ac prorſus non eo ſit modo quo vera fides faciendum eſſe mandat & præcipit, id omne peccatum eſſe, etiam damnabile, Agit enim Apoſtolus de peccato mortali. Vnde B. Fulgentius lib. 2. De peccat. remiſſ. cap. 1. oſtenſurus non modò laudabilem vitæ conuerſationẽ, ſed fidem etiam Catholicam, eiuſq; per omnia ſinceritatem ad ſalutem eſſe neceſſariam, adhibet hũc Apoſtoli locum, quia, inquit, quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Vbi tamen putandus non eſt, omnia voluiſſe opera factaq; hæreticorum eſſe peccata, & quidem mortalia; cùm manifeſtè contraria ſit Auguſtini ſententia lib. De patientia, cap. 26. Ergo quemadmodum non omnia hæreticorum opera, ſed quæ hæretica mente ac propoſito facit, ea tantùm peccata ſunt; ita & infidelium facta, ea demùm peccata erunt, quæ infideli animo ac fine ab eis aguntur. Certè quàm quædam eorum Auguſtinus agnouerit, non quidem veræ virtutis, laudabilia tamẽ opera, docet libri de ſpiritu & litera cap. 26. & 27. quæ verba ex ſuo fonte licebit repetere. Quibus addere licebit quod habet Hieron. in 27 cap. Ezech. & Leo papa, ſerm. 7. De Quadrageſ.*

Abſit enim vt ſit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis vel in ſeipſa, non in Domino gloriatur] *Tres verſus qui in excuſis, &* MS. *ſequuntur, clarum eſt ex margine in contextum tranſlatos. ſunt autem iſti*: Nec eſſe fructum eius à quo fit, bonum, niſi bona factum fuerit voluntate: ſed opus Dei bonum, à quo etiam per malos fit bonum. *Nam in ſequentibus eadem prorſus repetuntur.*

quando arbor mala bonos fructus] *Mendoſè Lutetiana*, quo modo arbor.

Fieri enim non poteſt] *pro* Fieri autem.

ſed boni non ſumus quicquid ſteriliter ſumus] *pro* bonum.

Gentes legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex] *Locum hunc tractat ſimiliter Auguſt. lib. De ſpiritu & lit. cap. 26. & ſequentibus, oſtendens non de gentilibus atque ethnicis hoc dictum eſſe, ſed de iis qui ex gentiliſmo ad Chriſtum ſunt conuerſi.*

De cibis enim Apoſtolus loquebatur] *Pro* enim, *legendum videtur* quidem, *niſi verba eſſe malis Iuliani.*

non inueniſti quomodo in tuam poſſes detorquere ſententiam] *pro* poſſis.

cùm ſine fide impoſſibile ſit Deo placere] *In excuſis deſiderabatur* Deo.

aut placent Deo, & ex fide placent] MS. *legunt* aut placent Deo ſi ex fide. *nos alteram lectionem prætulimus.*

Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes ſuæ defendent, vt tolerabilius puniantur] *Similem ſententiam habes lib. De ſpiritu & lit. cap. 27. & lib. De gratia, & libero arbitrio, cap. 3. Lib. De patientia, cap. 26.*

Quid ſi non eo ipſo libro meo] *Illud* meo, *addebant conſtanter manuſcr.*

deficere ab illius dilectione non poſſit] *Ita rectius* MS. *quàm* delectatione.

noſipſos decipimus & veritas in nobis non eſt] MS. *Gemblac. pro* decipimus, *legit* ſeducimus.

Sine fide impoſſibile eſt Deo placere] *Ex manuſcr. adiecimus* Deo.

ſed in voluntate propaginis] *Sic rectè* MS. *pro* voluptate propagationis; *ita enim loquitur & lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 14. non voluntate propaginis, inquit, ſed libidinis voluptate. Quin infrà lib. 5. cap. 9.* vt operis, *inquit*, huius cauſa ſit voluntas propaginis, non carnis voluptas; *vnde & aliquanto infrà Iulianum reprehendit voluntatem & voluptatem confundentem, vt quemadmodum nomina ipſa ſurdaſtris auribus vnum atque idem ſonant, ita res ipſæ ſurdaſtris cordibus vnum idemq; eſſe videantur. Diſtinguit autem Auguſt. lib. 1.*

A *De peccatorum meritis & remiſſ. cap. 29. in initio.*

& voluptas veniale peccatum ſit propter nuptias Chriſtianas] *Sic rectè Louanienſis editio, pro* voluntas, *nam voluntatem Auguſtinus in propagationis ponit intentione, quam negat eſſe peccatum.*

IN CAP. IIII.

Sed ideò ſub diaboli poteſtate ſunt] MS. *legunt* ſub diabolo ſunt. *ſed alterum habes paulò antè eodem hoc capite*, ideò filios eſſe ſub diaboli poteſtate.

Sicut autem ante hominis iniquitatem nulla erat, ita poſt infirmitatem nulla erit] *Codex Gemblac. ad marginem annotatum habebat, pro* infirmitatem, *aliàs legi* ſanitatem: *quomodo ſcribendum omnino videtur, aut addendum in textu* ſublatam, *vel* abſumptam, *aut* ſanatam.

IN CAP. V.

cùm membra cætera facili teneamus imperio] *pro* tenemus.

Hæc autem libido ideo malum non eſt in belluis, quoniam non repugnat rationi qua carent] *Sic & infrà cap. 14. lib. verò De peccato originali, cap. 40. Tantæ, inquit, excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, vt vitium hominis natura ſit pecoris. & concione 4. in Pſal. 103. Quod equo natura eſt, inquit, homini crimen eſt.*

IN CAP. VII.

B nouerit etiam de ipſis quas eum facere permittit] *perperam* quos, *de perſecutionibus enim loquitur.*

propriis & voluntariis aggerare] *Sic* MS. *pro* augere.

IN CAP. VIII.

& accipiunt tamen & inueniunt, & aperitur eis] *In excuſis fecerat imperitus quiſpiam*, pulſant & aperitur eis: *ſed de infantibus loquitur qui per ætatem pulſare adhuc non poſſunt; vnde & paulò antè*, qui nec petunt, *inquit*, nec quærunt, nec pulſant.

vbi ſit eis æternitatis ſalus & agnitio veritatis] MS. *legũt* æternitas ſalutis. *Alludere autem videtur Auguſt. ad illud 1 Timoth. 2. qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Pro* ſit, *prius erat* fit. *priori lectioni ſuffragatur quod infrà ſequitur*, vbi certa eſt agnitio veritatis.

ad agnitionem veritatis quæ in regno Dei eſt certiſſima, veniunt] *Ita commodius* MS. *pro* certiſſimam veniunt; *nam & paulò antè pauloq; poſt*, vbi eſt certa, *inquit*, veritatis agnitio.

nec iſti propterea baptizentur, quia volunt] *Mendoſè Lutetiana* quia nolunt.

C cur Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri] MS. *addunt* omnipotens.

Quod abhorret à vero] *In* MS. *eſt*, Quod ſi abhorret à vero.

ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis] *Hæc in excuſis deerant.*

quo creante generantur] *Mendoſè* generant.

vtrunque vtrique noſtrum profundum ſit] *Ex manuſcr. adiecimus* vtrunque.

dum tamen certum & immobile teneamus] *perperam* immortale teneamus.

Veſtra quippe, non noſtra ſententia eſt, fato fieri quod merito non fit] *De hac re vide lib. 2. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 5.*

poteſt illa in animo laſciua voluntate corrumpi] *pro* laſciuiẽs; *ſic enim & paulò poſt*, ſi contaminata voluntate mœchantur.

vnde meritò damnarentur] MS. *legunt* vt inde meritò damnarentur.

Vtrum in cõiugibus Chriſtianis conuentuum voluptatem] *Mendoſè* conuentum.

ſed in eis propter fidem vera non falſa virtus eſt caſtitatis]

D *Prius erat*, propter fidem veram, *ſed non rectè; de veritate hic enim virtutis non fidei diſputatur.*

IN CAP. IX.

Venis etiam ad verba illa] *Ita* MS. *pro*, Veniſti.

prolixa contradicendi diſputatione multum ſudaſti, ſed non ſinceraſti] *Noua vox eſt ſincerare, qua cum ſignificat, licet non parum ſudarit, noxiam tamen opinionem, velut humorem malum non exudaſſe, nec cum emiſſo ſudore depoſuiſſe, ſequitur enim*, Perſtitiſti quippe in ſententia tua praua.

& in nebulis tamen quas perturbatus offundit] *manuſcr. legunt* offendit.

quæ tamen non ſic inſtituta eſt ab initio] *Negatio in excuſis deſiderabatur.*

vnde potius incuteret pudorem] *In* MS. *eſt* incurreret.

IN CAP. X.

quod vel tu quamuis pudibundus fateris] MS. *addunt* eſſe: *nos excuſorum retinuimus lectionem.*

IN CAP. XI.

Veruntamen vos pro ſuſcepta veſtra] *Ita concupiſcentiam appellat, quòd eius patrocinium Pelagiani ſuſcepiſſent.*

### IN CAP. XII.

multum inaniter multa commemoras] *Perperam* inhianter, *ſic enim & initio cap ſequentis.*

quaſi poſt peccatum tecta ſint] *Pro* ſunt.

haud ſanè difficile dictu eſt] *Mendoſè* dictum.

quòd deformia ſint] *Mendoſè* vel deformia ſunt.

conuenienter ait quodam loco Tullius, ſe non putare idem eſſe arietis, & Publij Africani bonum] *Fortè in Hortenſio, nam ea verba hodie in eius operibus non inueniuntur. Idem autem pecudis & hominis eſſe bonum Epicuro adſcribit Acad. lib. 1.*

ſed quia infimum bonum ] *Pro* infirmū. MS. *conſentiunt & vetera excuſa; quomodo & paulò poſt,* cum ſumma vtilitate infimorum datum, *loco* infirmorum; *opponit enim ſubditos præfectis.*

quo eam coërcet ac frangit] *Videtur locus eſſe deprauatus; fort.* quod, *vel* quia.

### IN CAP. XIII.

etiam ipſa eſt libidinis accuſatio] *Inuerſa erant verba*, eſt ipſa.

ſed non erat decens vt puderet] *Perperam*, indecens.

Nunquam verò ego motum genitalium reprehendi generaliter, quod tu dicis dedicatiuè] *Suſpectus eſt locus, nam quis vnquam dixit hoc ſenſu* dedicatiuè?

vtrum adhuc laudanda tu videris] *Mendoſè* laudando.

ſic te audiat vituperatorem luxuriæ] *Perperam* audeat.

hæc igitur concupiſcentia quam laudas, non eſt à patre] *Totum hoc deerat in excuſis.*

### IN CAP. XIIII.

& ex illo accidiſſe peccato] *Pro eo quod erat* in illo.

Viuacitas ſentiendi eſt] *In excuſis deerat verbum* eſt.

vtilitas ſentiendi eſt per quam corpori ] *Longè alia eſt hic* MS. *lectio, quæ ſentiendi vtilitatem ac neceſſitatem ita definiunt:* Vtilitas ſentiendi eſt, quæ noxiis reiiciendis, & vtilibus appetēdis conſulit vitæ quam gerimus. Neceſſitas ſentiendi eſt, quæ ſenſibus noſtris ingerit etiam illa quæ nolumus.

quantum attinet ad eam partem] *Mendoſè* ad eius partem.

à ſentiēdi viuacitate, vtilitate, neceſſitate diſcernere] *In Lutetianis deeſt*, neceſſitate.

Mouetur certè animus ad pietatis affectum diuino cantico audito; tamen etiam illic ſi ſonum non ſenſum libido audiendi deſideret, improbatur.] *De aurium voluptate ac libidine pulchrè Auguſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 33. vbi inter cætera ait omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſuaui diuerſitate proprios habere modos in voce atq; cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur. Poſt multa verò de Eccleſiaſticis canticis loquens ita ſcribit, tamen, inquit, cùm mihi accidit, vt me amplius cantus quàm res quæ canitur moueat, pœnaliter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem.*

Cæteri tres ſenſus corpulentiores & quodammodo craſſiores ſunt] MS. *cum veteribus excuſis legunt* groſſiores ſunt: *quam lectionem primus Lipſius immutauit, fortaſſis ex veteri aliquo* MS.

id domi ſuæ, vel quacunq; pergit, deſiderabit] MS. *veteráque excuſa*, domui *legunt.*

meritoque laude digni habentur] *Deerat in excuſis* digni.

nec deſunt huiuſmodi qui quantum natura petat, aut minus refectionis aſſumant, malentes ſi modo neceſſitatis cōgruo falluntur, minus id ſumpſiſſe quàm amplius] *Locus corruptus ac deprauatus, nec adiuuant* MS. *quanquam ab hac lectione euarient; ſic enim habent*, vt minus refectionis aſſumant, malentes ſi deſit modo neceſſitas congruo falluntur, id ſumpſiſſe quàm amplius. *Vbi caſtigatior eſt excuſorum ſcriptura, de qua hic non laboramus, ſed de prioribus verbis, in quibus idem repetitur quod dictum prius erat, cùm tamen gradus hic conſtituatur temperantiæ & abſtinentiæ. Legēdum fortaſſis hoc modo*, nec deſunt huiuſmodi qui quàm tamen natura petat, etiam minus refectionis aſſumant; *aut ſimili aliquo modo qui ſenſum hunc habeat.*

& habebat ex hoc victu ſuſtentaculum congruum] *Sic lib. 1. De peccatorum meritis cap. 3. habebat, inquit, quantum exiſtimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem: & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.*

nihil omnino fieret propter illam] *Addunt* MS. quod obeſſet, *vt reſpondeat ei quod præceſſit*, nihil niſi quod prodeſſet fieret per illam, *ſed redundare videtur, nam propter libidinem quicquid fit, obeſt.*

ſi qua adſunt delectabilia, rapiendo abſcondat & tranſeat] MS. *ſic legunt*, in quæ ſi adſunt delectabilia rapiendo; *quæ eadem Amorbachij eſt lectio.*

cū agamus potius cruditatis] *Mendoſè Lutetiana* crudelitatis.

quam eximendæ fami ſufficiat] *pro* ſufficit.

nihilo remiſſius audiendo] *Perperam* nihil.

ſi ne[illegible]is legatur, accipimus] *Loco* accepimus.

quæ verè & grauiter à Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe atque eſcæ malorum] *Idem repetit Cicero libello de ſenectute. Cæterùm quo loco id Plato dixerit, nullus nec Commentatorum indicat: ſed neque Ludouicus Cælius, qui lib. 9. cap. 14. hanc ipſam ſententiam ex perſona Nearch. Pythagorei referens, comprobari eam à Platone quoq; ait: Non procul autem abſcedit, quod habet in Philebo, qui eſt de ſummo bono dialogus, vbi voluptatis illecebras maleficam potius illaqueationem, quàm voluptatem appellandam cenſet.*

quod non euocetur atque eliciatur voluptate] *manuſcr.* voluptati *legunt.*

quis autem tantus eſt gurges] *manuſcr. legunt* cuius autem.

imò eam vehementer arguebat ] *Pro eo quod erat* imò vehementer vrgebat.

velut inimicam metuens habere] *perperam* metuent.

quæ ratione frenanda eſt] MS. frangenda, *legunt.*

non aduerſus eam concupiſcat] *pro* concupiſcit.

Quod ſapere ſi deſipere eſt, vt quid eam comparamus vino] *Perperam prius*, Quod ſapere deſipere eſt. Vt quid eam, *&c.*

Concupiſcentia enim ſapientiæ carentia] MS. carentes *legunt; vt & paulo infrà* alieni, *ſed videtur ad pecora referri.*

carnali concupiſcentiæ non reſultant] *Negationem ex* MS. *adiecimus. Louanienſis editio mederi loco huic volens, repoſuit* carnali cōcupiſcentia exultant, *ſed alterum germanum eſt, præcedit enim paulo antè*, quia non aduerſus ſpiritum concupiſcit: *& ſub finem capitis*, non enim habēt rationem qua libidines ſubiugent ſuperando, fatigentue pugnando. *Et poſt*, cuius ſine vlla repugnantia delectat ſpiritum.

### IN CAP. XV.

inter multas opinionis ſuæ vanitates, aliquas tamen veritates velut iam ferè pares, per caliginem vani] *Locus corruptus ac deprauatus.* MS. *ſic legunt*, inter multas opiniones ſuæ vanitatis, aliquas tamen veritatis velut iam feræ partes, qui per caliginem vani. *Eadem eſt & Amorbachij lectio, niſi quòd legit*, veluti laniferæ partes. *Propius ad veritatem accedit quod habent* MS. *ſed quod nec ipſum plenè integrum ſolidumq; eſt. Quare excuſorum lectionem reliquimus quam primus dedit Frobenius, donec caſtigatiora contingent exemplaria.*

Qua in re homines imperitos nulla doctorum dubitatione fraudaſti] *Sic* MS. *pro* nullo doctorum dubitante.

cum commemoraſſes Anaximenem ] *Perperam* non commemoraſſes.

quos Cicero propter ipſam honeſtatem tanquam conſulares philoſophos nuncupauit] *In Hortenſio, vt arbitror.*

nulla de quæſtione morali] MS. inquiſitione *legunt, ſed alterum prætulimus.*

ſed Dinomachus, huius quippe dogma tibi placuit ] *Conſule hac de re Ciceronem lib. 5. De finibus, & eundem Tuſculan. quæſt. vbi Calliſonis eam quoq; de ſummo bono ſententiam facit.*

maximeque ipſe Plato, quem Cicero appellare non dubitat, pene Philoſophorum Deum] *ſic lib. 2. De natura Deorum, Quaſi Deus quidam, inquit, Philoſophorum Plato. Et lib. 4. ad Atticum, epiſtola 16. Deus ille noſter Plato, inquit. Libro verò 1. Tuſculan. malle ſe ait cum Platone errare, quàm cum aliis vera dicere. Cæterùm verba quæ hic Auguſt. citat ex Hortenſio repetita eſſe arbitror, nam in iis quæ nunc in manibus habentur, non reperiuntur.*

non de moralibus philoſophorum nobis dogmata inferres] *plurali, non ſingulari numero; ſic enim & paulò infrà, verùm ſi de hominis condicione dogmata hominum, &c.*

de hominum generatione ſenſerunt ] MS. genere *legunt, ſed non rectè.*

cùm in prædonum Etruſcorum manus incidiſſent] *de horum crudelitate vide quæ diximus ad cap. vltimum, libri 3. contra Parmenianum.*

verumque ſit illud quod eſt apud Ariſtotelem] *Plura ergo Ariſtotelis vidit legitq; Cicero quàm nos habeamus: nā quod hic ex eo citat, nuſquam in operibus quæ nunc extant, reperitur.*

### IN CAP. XVI.

quæ putamus inhonorabilia eſſe membra corporis] MS. *legunt* inhonorabiliora.

Honeſtas ergo adhibetur inhoneſtis] MS. *legunt*, Honeſta ergo adhibentur.

quia ad ſollertiæ humanæ operam, vt ſe tegerent pertinebat] *Non rectè Lutetiana*, vt ſe tangerent.

Non igitur quia peccauerant, genitalia vel diabolica, vel inhoneſta fecerunt] *Ita locus hic diſtinguendus.*

vt appareat confuſione factum ] *pro* apparet.

hoc punienda conſcientia, dementi ſcilicet ſimilis] *manuſcr. legunt*,



pudenda conſcientia, dementiæ ſcilicet ſimilis; *ſed rectius eſt quod habent excuſa.*

ſi tamen quod profiteris implere conaris ] *manuſcr.* contendis, *legunt.*

# IN LIBRI QVINTI CONTRA IVLIANVM PELAGIANVM

## CAPVT PRIMVM.

de inuidia quam vos ſuſtinere pro veritate iactatis ] *perperam* nos.

de paucitate velut prudentium] MS. *legunt*, vel imprudentium, *ſed non rectè; nam & infrà eodem hoc capite*, Neque enim alia cauſa eſt, *inquit*, cur nouitatem veſtrā deteſtetur etiam multitudo Chriſtiana, à cuius vel imperito iudicio ad paucos veſtros, quos videri cupis prudentiſſimos & doctiſſimos, prouocas.

ipſa conſuetudine iam ſordidata atq; pertrita] *Fortè* protrita.

quibus me vnum nominatim videris appetere] *In excuſis deerat pronomen* me.

vt Deus ſicut vniuerſitatis conditor & iuſtus, & verax] *pro*, vt Deus hominum ſicut vniuerſorum: *Ita enim ſuprà alicubi Pelagius.*

idem donorum ſuorum in homines cumulator probetur] *Ita* MS. *Gemblacenſe pro eo quòd erat*, id eſt donorum: *quanquam nec ea lectio adhuc ſatisfacit; nam illud ſicut nihil habet quod ei reſpondeat. Reliqua* MS. *loco* idem, *habent*, i. *vnde natum eſt excuſorum*, id eſt. *Expedita erit ſententia ſi pro* idem, *legas* ita: *Cæterùm pro* cumulator, *perperam legebatur* cumulatur.

cuius eos baptiſmate ſic ablui dicis] *Mendoſè pro* cuius, *legebatur* qui.

non ſanè duce Dei lege] *Vocem* Dei, *cùm legant* MS. *omnia veteraq; excuſa, mirum cur Lipſius ſuſtulerit.*

ac per hoc etiam paruulorum ] *Sic rectè* MS. *pro* atque etiam paruulorum.

Nec vana eſt, quia non fruſtra] *pro* quæ non fruſtrà; *hac enim cauſali, & in reliquis membris vtitur.*

etiam paruulus plectitur] *Mendoſè* paruulis.

nec peccato ſubſtantiam deputat ] *videlicet* ſententia noſtra, *mendoſè ergo excuſa* deputamus; *nam tertia perſona in reliquis etiam eſt partibus. Error natus ex Amorbachio, qui* deputari, *legebat.*

Tu autem multitudinem præſtruis idiotarum] *Prius erat*, Tu autem qui: *ſed in* MS. *Gemblac. deletum erat pronomen* qui, *nam alioqui longum erit hyperbaton, pendebitque incommodè ſententia vſque ad illud*, ſi hæc ipſa tua verba.

indubitatè quoque teneant] *Sic* MS. *pro* indubitanter.

atque hanc æſtimationem] *Sic manuſcr. & Amorbach. pro* exiſtimationem.

niſi quia Deum & hominum conditorem ] *Perperam Lutetiana* hominem.

in illa ætate tanta mala pateretur] *In excuſis deerat* in.

iuſtus eſt Deus] *pro* ſi iuſtus eſt, *ſic enim* MS.

qua tibi videaris] *Sic* MS. *excuſa cætera, non* videris.

### IN CAP. II.

niſi quia extidit illic] *Illud* quia, *adiecimus ex lib. 1. De nupt. & concupiſc. cap. 5. vnde hic locus eſt petitus.*

Proinde cùm perizomata non femora, ſed latera contegi poſſe aſſeueraſti] *Legendum* per perizomata, *aut per ablatiuum etiamſi reclamantibus* MS. *& excuſis omnibus.*

neque id alligari] *Mendoſè* allegari.

ex quātauis parte corporis ſuperiore] *Ita commodius Gemblacenſe, quàm* ſuperioris.

Quæ quanto turbulentius mouebatur ] MS. mouebantur *habent; ſed videtur hoc ad legem membrorum referri, quam paulò ante intuitu aſpectu dicebat excitatam.*

aliquanto ſpatioſus velaretur] MS. ſpecioſius *legunt. Gemblacenſe etiam* aliquando, *pro* aliquanto, *ſed magis arridet quod habent excuſa.*

niſi legi mentis lex peccati inuidè repugnaret] MS. *quoddam, pro* inuidè, *ibidem legit: ſed reſpicit Auguſt. ad locum Iacobi cap. 4. vbi nos habemus, ad inuidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis.*

aut operiens latus, vbi peccatores nihil mali ſenſiſſe cōtendis, aut deformiter nudans] *Pro his ita legunt non rectè Lutetiana*, aut operias latus, vbi peccatores nihil malè ſenſiſſe contendis, aut deformiter nudas.

### IN CAP. III.

Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationem, immiſſionem per angelos malos ] *Pro* tribulationum: *ſic enim* MS. *omnia & Amorb. Similiter & 70. & Auguſtinus in Comment. huius loci Pſal. 77.*

quia & ipſe vindex peccati fuit] MS. *pro* quia, *legunt* qui, *ſed alterum habes infrà ſemel iterumq; repetitum.*

Dedi tibi regem in ira mea] *Mendoſè* in ara.

quæ ex parte in Iſraël facta eſt] *Ex* MS. *adiecimus* in.

Nec tacetur de cæcitate Iſraël] *Videntur hæc verba ex margine in contextum irrepſiſſe.*

& grandis cauſa peccati] MS. *Carthuſienſe pro* cauſa, *legit* occaſio; *ſed videtur hoc à quopiam immutatum.*

Iam iſtam cæcitatem] *Illud* Iam, *non legunt* MS. *nec Amorb.*

interim fateris quod vnum aliquid ] *Sic manuſcr. pro* iterum fateris.

& cætera huiuſmodi quæ hanc vanitatem conſequentia atque hinc religata contexis; totidem verbis de cęcitate cordis errore ſimillimo dici poteſt ] *Paulò aliter* MS. atque huic religata; contextis totidem verbis: *ſed iam pronomen* quæ; *non habet verbum à quo pendeat.*

ita concupiſcentia carnis (aduerſus quam bonus cōcupiſcit ſpiritus) & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia cōtra dominatum mentis] *Hoc eſt, euertens mentis dominatum. Quomodo loquitur Auguſt. tractat. 5. in canon. Ioannis: vbi quærens quodnam ſit peccatum illud quod qui ex Deo natus eſt non facit: quod eſt, inquit, contra charitatem & dilectionem fraternam: ita nimirum ei contrarium vt eam euertat, tollat, extinguat. Illud autem* aduerſus quā bonus cōcupiſcit ſpiritus, *hunc habet ſenſum, cui perpetua eſt cum bono ſpiritu lucta: ſed in iuſtis, non in iis in quibus euerſo mentis dominatu ipſa regnat & dominatur.*

ſi cæcitas cordis pœna peccati eſt, abiicienda doctrina ] *Ita commodius quàm*, ſi cæcitas cordis eſt pœna peccati, eſt abiicienda doctrina.

quoniam cæcitati cordis debet reſiſtere ſcientia] *In manuſcr. eſt* ſapientia.

Hoc enim voluiſti videri hyperbolicōs dictum ] *pro* hyperbolicum.

non ſicut eum tu loqui fingis] *In excuſis deerat* eum.

& damnatos demōſtrauit & reos] *Deerat copula, vt ex ſequentibus liquet.*

Deinde damnatos propter iſtum reatum ] *perperam* iuſtum.

quomodolibet intelligas quæ conſecuta ſint] *pro* ſunt.

ſiue deferendo, ſiue alio quocunque vel explicabili vel inexplicabili modo] *Modum hunc explicat Auguſt. lib. De gratia & libero arb. cap. 20. & 21. quæ loca cum toto hoc capite conferenda ſunt.*

vincitur, capitur, traditur] *pro* trahitur, *ſic enim & ſup*[illegible] aliud tradi eis, *&* nec eas ſequitur ſi non eis traditur.

in manu Ahiæ prophetæ] *In excuſis deerat* Ahiæ.

vt traderetur in manus hoſtium ] *Sic* MS. *pro eo quod erat*, vt traderetur in manu, *nec addebatur* hoſtium. *Cæterùm Septuaginta legunt* in manus Ioas.

ideò mittet illis Deus operationem erroris ] *Sic* MS. *& vetera excuſa, & Apoſtoli Græca, pro* mittit; *ſimiliter citatur & infrà lib. De gratia & libero arb. cap. 21.*

Quid eſt autē quod dicis, cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi: quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus, & patientiam & potentiam, vbi ait, *&c.* ] *Rectè Iulianum reprehendit Auguſt. qui traditionem de qua hic Apoſtolus loquitur, Dei patientiam interpretabatur: ea enim cùm Deus peccatores non ſtatim eos condemnans ad pœnitentiam inuitet & conuerſionem eorum expectet, magnum eſt eius beneficium, & ab omnibus expetendum, vt ſi eos peccare contigerit, non mox perdat Deus, ſed pœnitendi ſpatium & tempus largiri dignetur. At verò traditio iſta grauis eſt Dei vindicta, de magna eius ira deſcendens, qua fit vt mirabili obduratione mentis alia ſuper alia quotidiéque grauiora peccata committantur. Cæterùm quod hic additur de potentia Dei qua videantur quidam in peccata compulſi, non ita eſt accipiendum quaſi author ſit cuiquam peccandi Deus, aut inuitum etiam aliquem peccare cogat; ſed quod magnis calamitatibus & ſuppliciis, in quibus potentiam ac virtutem ſuam mirificè declarat, ſuperbos quoſdam homines, qualis olim & Pharao fuit, grauiter interdum affligat; quibus illi adeò non corrigantur, vt ea occaſione magis etiam magiſq; aduerſus Deum obdurentur. De qua nimirum potentia loquitur & Apoſtolus, illud Exodi de eodem hoc Pharaone proferens teſtimonium: Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam; & annuntietur nomen meum in vniuerſa ter*[illegible]*. Vide* [illegible] *guſt.*

*Auguſt. lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 18. epiſt. 105. & lib. 1.* A *ad Simplic. quæſt. 2. Item Proſperum ad capitula Gallorum cap. 11. & 16. ſententia 11.*

An & hic dicturus es quod ait] *Sic* MS. *Et paulò poſt;* intelligendum eſſe, *pro* quod intelligendum eſt.

quomodo in Pſalmo dictum ſit] *pro* eſt.

Aut quis prior dedit illi] *Ex* MS. *adiecimus* illi.

Nullum elegit dignum, ſed eligendo effecit dignum] MS. *legunt*, ſed diligendo efficit dignum. *verùm alteram lectionem poſtulat ipſa ſententia, verborumq́ue commutatio.*

IN CAP. IIII.

Verum eſt, conſtat] *Sic* MS. *pro* Verum eſſe conſtat.

quamuis ſecundum duritiam ſuam] *Illud* ſuam, *in noſtris deſiderabatur.*

Quantamlibet enim præbeat patientiam] *Ita commodius* MS. *quàm* quantumlibet.

Sed iudicia eius multa abyſſus] *Redundat vocula* ſicut, *quæ in excuſis addebatur; nec legunt Græca.*

nouit Dominus qui ſunt eius, & omnia cooperatur in bonum] *Ita legendum eſſe, non* cooperantur*; docebimus infrà libro De gratia & libero arbitrio cap. 17.* B

per Dei benignitatem] *Redundat copula* &, *quæ hic in impreſſis antecedit.*

Propter hos Dominus ait] MS. *Gemblacēſe legit*, Propter hoc. *Carthuſienſe*, Propter quod. *Sed nec incommoda eſt excuſorum lectio.*

ex eadem quidem maſſa] *Diſpungenda eſt copula quæ hic in excuſis præcedit.*

cùm & hoc ipſo bonum operetur] *pro* hoc ipſum.

Quis verò ita deſipiat] *perperam* decipiat.

vt non ſit erga nos patiens bonitas eius] *Mendosè* ergo.

exaudit propitius, non exaudit iratus] *Quinque verſus qui hic & in* MS. *& in excuſis antecedunt, nihil dubito ex margine in contextum irrepſiſſe, quare ſuſtulimus, nam & ſenſum perturbabant, & inanem habent tautologiam, cùm in ſequentibus res eadem dicatur. Sunt autem iſti;* Quæ Deus pro votis humanis propitius annuat, iratúſue non annuat: ac rurſum quæ iratus annuat; propitiúſue non annuat: atque iterum quæ contra vota humana propitius faciat, iratúſue non faciat; & in his omnibus bonus perſeueret & iuſtus. *Quanquam & mendoſa horum erat non vno loco in excuſis lectio.*

ſi iniquitate vlta commiſſa eſt] MS. *legunt* ſi iniquitate vlta C vltrix commiſſi eſt, *ſed prætulimus quod habent excuſa.*

Quid fugis ad obſcuriſſimam de anima quæſtionem? In paradiſo ab animo quidem cœpit elatio] *Perperam excuſa*, quæſtionem in paradiſo? ab animo quidem, &c.

ſed peccatum illud homo totus impleuit] *Deerat in excuſis*, homo.

ſola ſimilitudine carnis peccati] *Ex* MS. *addidimus* carnis.

Magis enim curandum eſt ſiue in patuulis, ſiue in grãdibus, quo anima ſanetur auxilio; quã quo vitiata ſit merito] *Eleganter dictum eſſe narratur, inquit Auguſt. epiſt. 29. ad Hieron. quod huic rei ſatis aptè conuenit. Cùm quidam ruiſſet in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet ne moreretur, quàm ſuffocaret ne loqueretur, acceſſit alius, & eo viſo admirans ait: Quomodo huc cecidiſti? Ait ille: Obſecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur & fide Catholica tenemus, de reatu peccati tanquam de puteo etiam paruuli infantis animam Chriſti gratia liberandam, ſatis eſt ei quòd modum quomodo ſalua fiat nouimus, etiamſi nunquam quomodo in malum illud deuenerit, nouerimus.*

quia nondum ſapientiæ poſſunt eſſe participes] *pro* qui.

& poſtea ſi ad ſapientiæ ſortem pertinet] MS. ſapientũ *legunt.* D

recta ſapere] MS. rectè ſapere *habent, ſed præcedit* vana ſapere.

IN CAP. V.

Ipſa vtique membra appellans corporis nomine] *Redundat* ſic, *quod in excuſis hic additur.*

tu ergo qui in me quaſi ſententias inter ſe pugnantes] MS. *cum Amorb. legunt* ſententias meas.

ſeruire animi imperio] *Quinque verſus qui & in* MS. *& excuſis proximè ſequebantur, ex margine in contextum irrepſerant, vt ex ſequentibus facilè patet, quare eraſimus. Quanquam attemperarat quiſpiam ad Auguſtini perſonam, nam in* MS. *ita leguntur*, Cùm prius dixerit membra genitalia ad nutum voluntatis ſeruire; & animi imperio ſubiacere; poſtmodum inter has corporis partes eadem (*ſeu potius* eas) deputauit quæ non voluntatis imperium, ſed conſenſum requirunt; in quo ſibi aduerſus manifeſtiſſimè comprobatur.

voluntatis non imperium, ſed conſenſum requirunt] *Similiter tollenda ſunt quæ hic in excuſis ſubijciebantur, & ipſa ex margine* A *in textum tranſlata: ſic autem habent iuxta rectiorem* MS. *lectionem:* Magis eſſe verius membra genitalia voluntatis non imperium, ſed conſenſum requirere, quàm voluntatis imperio aut animi ſubiacere. Vnde apparet hæreticum & contrarium ſibimet extitiſſe, prius illa & poſterius iſta definiendo, & quia erubuerit prioribus, poſterioribus veriora confeſſum, peruicacia tamen impudenti ſeu imperitia, quæ prius prauè dixerat, non mutaſſe.

ad opera ſibi non congrua non ſequuntur] *In excuſis aberat prior negatio.*

ne lædatur aut occidat] *non* occidat. *Sic & in verbis ſequentib.*

commemorans quod in expoſitione conſiliorum ſuorũ Tullius poſuit] *Non extat hic Ciceronis liber quem de conſiliis ſuis inſcripſit. Citat eundem & Boëtius præfatione lib. De muſica, idem exemplum ex eo repetens; cuiuſmodi ex Poſſidonio refert & Galenus lib. 5. placitorum Hippocratis & Platonis de Damone Mileſio muſico.*

tarditate modorum & grauitate cantus] *Perperã* morborum.

Feminæ autem quas ab iſto motu] *Mendosè* Feminas.

eccleſiaſtica muſica potius quàm Pythagorica commoneri] *Carthuſienſe manuſcr.* commoueri *legit, ſed non cohæret hoc cum* B *ſequentibus.*

ne ideò bonum aliquid exiſtimes] *manuſcr. legunt* nec, *ſed alterum rectius eſt.*

IN CAP. VI.

Tenent enim ſanctam profeſſionem; non ſolo habitu veſtis] *Hinc intelligimus non eundem olim vt quidam volunt ſanctimonialium fuiſſe habitum, qui cæterorum erat Chriſtianorum.*

Itáne verò abiicerent] *Ex* MS. *adiecimus* verò.

Non vſqueadeò putandum eſt periſſe frontem de rebus] *Alluſio eſt Perſiana ſat. 5. vbi ſic ait, exclamet Melicerta periſſe Frontem de rebus.*

IN CAP. VII.

ſed fera virtute ſemper indomitam] *perperam* vera.

Cuius cognatione ſententiæ] MS. cognationem *legunt.*

cui cedere vtinam quàm reſiſtere maluiſſes] *perperã* credere.

Nec animam qua corpus viuit vniuerſam mundam] *Sic rectè* MS. *pro* vniuerſum mundum.

Si nec vitium naturæ eſt] MS. *legunt* Si nec vitium nec natura eſt, *ſed rectius quadrat quod habent excuſa.*

Solue Apoſtole queſtionem, atque reſponde] *Non rectè* Apoſtoli, *ſequitur enim paulò poſt*, & ad hoc beate Apoſtole reſpõde.

C Sed ſi conniuero, ſicut dicis, inuictum eſſe libidinis malum] *Sic* MS. *pro* cohibuero. *de qua tamen voce vide quod annotauimus ad cap. 2. lib. De vnitate Eccleſiæ.*

tamen vt taceam de corporis ſenſibus] *Sic* MS. *at Amorb. & Frobenius* corporibus, *vnde Lipſius fecit* corporeis.

quæ inter ſe contraria] *Redundat verbum* ſunt, *quod in excuſis addebatur.*

cùm ſic concupiſcit, vt ei ſpiritus] *Perperam Lutetiana*, cùm ſi concupiſcit.

Proinde cùm mala concupiſcere malum ſit] *pro* malè concupiſcere.

quanto plus habet poteſtatis in corpus] *Mendosè* in corpore.

nec cuiuſcumque doctrinæ] *pro* cuiuſque.

Etſi enim non hoc perficiunt bonum quod volunt] MS. *legunt*, non hic perficiunt quod volunt.

IN CAP. VIII.

quoniam ſenſus noſtros ea quæ digerimus non alliciunt] *perperam* veſtros.

ſed voluntatis fine] *Non rectè* fide.

IN CAP. IX.

D Impium dogma veſtrum mordicus tenens] *manuſcr.* mordacius *legunt.*

diuino iudicio ſibi quemque committi] *pro* ibi quemque.

vt quod ſibi eſt ipſe ſupplicium, cauſa & diuinum ſit iudicium, & ipſum liberum arbitrium] *Prius erat*, vt quod ſibi eſt ipſe ſupplicium, & diuinum ſit iudicium, & ipſe liberum arbitrium, *quomodo legunt & manuſcr. niſi quòd loco* ipſe, *habent* ipſum liberum arbitrium. *Sed nondum ſanus videtur eſſe ſenſus, quem Louanienſ. editio ita perficit*, vt quod ſibi eſt ipſe ſupplicium cauſa & diuinum ſit iudiciũ, & ipſe per liberum arbitrium: *quomodo fere loquitur Auguſtinus lib. De gratia & libero arbitrio, cap. 23. Ac per hoc, inquit, & Deus indurauit per iuſtum iudicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium. Nos quo ad licuit manuſcr. fidem ſecuti ſumus ex Grauij excuſione voculam modò* cauſa, *ei adijcientes. Verùm ſi diuinare liceret, ego ita legere malim*, vt quod ſibi eſt ipſe ſupplicium & diuinum ſit iudicium, & cauſa ipſum liberum arbitrium, *vel* & ipſe cauſa per liberum arbitrium: *vt homini directa cauſa, Deo vindicta tribuatur; ſic*



*enim & paulò poſt*, quod in pœna ſua & ipſe author eſt, A & vltor Deus. *Tamen ne quid diſſimulemus, retineri poteſt & MS. lectio, cui ſimilem habes lib. De gratia & libero arbitrio, cap. 4. vbi ſic ait:* Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium: *id eſt, ſit hoc & Dei dono, & libero arbitrio.*

quod in pœna ſua & ipſe author eſt, & vltor Deus] *Ex* MS. *priorem adiecimus copulam, quam & vetera legunt excuſa: authorem hic enim non Deum, ſed hominem ipſum facit, vltorem verò Deum.*

maligna calliditate, aut tenebroſa cæcitate cõfundas voluntatẽ & voluptatem] *Diſtinctionem cùm lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 14. tum verò lib. 1. De peccatorum meritis & remiſſ. cap. 29. hanc facit Auguſt. Bonum, inquit, coniugij non eſt feruor concupiſcentiæ, ſed quidam licitus & honeſtus illo feruore vtendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus. Voluntas iſta, non voluptas illa nuptialis eſt.*

Vrbi, inquit, pater eſt, vrbiq; maritus] MS. *ſic legunt*, Patriæ, inquit, pater eſt, vrbique maritus: *ſed alterum habent vulgata Lucani exemplaria, ex cuius ſecundo libro ſunt hæc repetita.*

& taces quod ſuprà dixerat] *pro* dixerit.

Vide quæ taceas, quæ dicas] *Inuerſus eſt apud* MS. *ordo*, Vide B quæ dicas, quæ taceas.

ipſam laudare non ceſſas] MS. ceſſans *legunt: ſed eodem recidit.*

Nec attendis, ſentis, intelligis malum eſſe] *In* MS. *eſt*, Nec attendis ſententiis; *ſed non placet ea lectio.*

Si enim vllum ibi tenendum exiſtimares modum] *Ex margine tranſlata ſunt in contextum ea verba, quæ in veteribus excuſis & Pariſienſi editione; nec non* MS. *omnibus hic antecedunt; ſed in quibus caſtigatius leguntur, hoc videlicet pacto*, Si rectè de temperantia ſapuiſſet hæreticus, quid ſentire debuerit de Apoſtoli teſtimonio, intelligere integra fide potuerat. *Quæ ſunt omnia rectè à Lipſio prætermiſſa.*

& cùm ad idipſum redeunt] *pro* ad ipſum.

IN CAP. X.

verè piorum, quia Chriſtianorum] *Rectè manuſcr. adijciunt voculam* quia.

ſed ſomnus cùm occupat membra, non ea facit inobedientia voluntati] *Ita rectius cum* MS. *pro* ea non facit.

C Fereris omnino linguæ tuæ velut exultantibus & plaudentibus pennis] *A feror ferris; ſed Auguſtinus* fereris, *dixiſſe videtur regulariter, vt legeris: quomodo & Gemblacenſe habet* MS. *tametſi quiſpiam ſupernè addidit* feriris.

IN CAP. XI.

non tribuitur Deo, niſi quod] *In Lutetianis* erat tribuuntur.

Ego autem non dico paruulos ſine Chriſti baptiſmate morientes, tanta pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potius expediret; cùm hoc Dominus non de quibuſlibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impiiſſimis dixerit] *Audacius loquitur homilia quædam, inter quinquaginta quæ numero nona eſt, O infelix anima, inquit, etiamſi te Deus non mittat in pœnam, & tantummodo faciem ſuam te videre non permittat, nunquid non melius fuerat te non fuiſſe natum?*

in damnatione omnium leuiſſima futuros?] *Sic & Enchiridij cap. 93. lib. 1. De peccatorum meritis cap. 16. & Beda ſecutus Auguſtinum in fine lib. 1. in Canticum canticorum, qui contra eundem hunc Iulianum eſt ſcriptus.*

IN CAP. XII.

vel ſicut feciſſe Cato perhibetur] *Author Plutarchus in eius vita, & Lucanus lib. 2. Idem repetit Auguſt. De bono coniuga. cap. 18. De fide & operibus cap. 7.*

qua in coniugio ſexus virilis excellit] *manuſcr. legunt* quia D in coniugio.

vel vtrum nunc in coniugibus hoc non fiat] *perperam* tunc.

IN CAP. XIII.

filiis iræ ſicut & cæteri] *Ex* MS. *adiecimus copulam* &.

IN CAP. XIIII.

nam Dionyſium tyrannum] *Lib. 2. retractat. cap. 62. ait ſe in hoc exemplo memoria falſum; Soranum enim medicum non expreſſiſſe viri eius nomen, ſed dicere tantum Cypri fuiſſe regem. Atqui Dionyſius Tyrannus Siciliæ rex fuit. Cæterùm ab hoc exemplo non procul recedunt quæ refert Plutarchus lib. De ſera numinis vindicta.*

IN CAP. XV.

in ſimilitudine carnis peccati] *Quæ hic in* MS. *excuſiſq́ue ſequuntur*, aut nullam carnem eſſe peccati; aut ſi ſit, quia inde venit, etiam inde eſſe Chriſti, contendit hæreticus, *ex margine huc eſſe tranſlata nihil dubitandum putamus, quocirca iure ſuſtulimus.*

Quid eſt ergo ſimilitudo carnis peccati] *Ita rectè* MS. *pro eo* A *quod erat*, Quid eſt ergo carnis ſimilitudo. *Errori occaſionem dedit Amorb. legens*, Quid eſt ergo carnis ſimilitudo peccati: *quod quia incommodum videbatur, ſuſtulit aliquis genitiuum* peccati.

quod vel ratione certiſſima] *Ita rectius* MS. *quàm* veriſſima.

cur non ipſo filij mundentur effectu] *pro* ipſi: *Effectum autem creationem appellat.*

cum quibus non pauci naſcuntur infantes] *manuſcr. non legunt illud* infantes.

ad ſanctæ memoriæ Marcellinum] *De Marcellini obitu, vbi, à quibus; qua occaſione occiſus ſit, attigimus ſuprà ad initium Breuiculi collationum.*

omnes de ſua ſtirpe venturos] *Lib. 1. De peccat. meritis, cap. 9. vnde repetitus hic locus eſt, legit* venientes.

non potuit inquis exemplum dare natura diſſimilis] *Ita loqui videtur & Lactantius lib. 4. cap. 24. & 25. ex quibus verba quædam citauit ſuprà Pelagius lib. De natura & gratia, cap. 61. ſed tacito authoris nomine, quæ ſibi Auguſtinus diſplicere haud obſcurè ibidem ſignificat: & conatur quidem commodè interpretari, ſed præter mentem authoris.*

Non eſt mirum quod ſolum exemplum ponis in Chriſto] *Videtur Pelagius & hic Lactantium ſecutus, qui vix aliam incarnationis Chriſti cauſam agnoſcere videtur lib. 4. cap. 10. 23. 25. & 26.* B *Quem & Auguſtini ante baptiſmum errorem aliquando fuiſſe ipſe de ſe fatetur lib. 7. Confeſſ. cap. 19.*

quia virilitatis nomine cõcupiſcentiam carnis appellas] *Hæc verba ſi ad contextum pertinent, Auguſtini ſunt, non Iuliani, eoq́ue per ſecundam cum* MS. *non per tertiam perſonam* appellat *legendum. Sed magna mihi ſuſpicio eſt, ex margine tranſlatum id eſſe, vbi ſcriptum abs quopiam fuerit*, Virilitatis nomine concupiſcẽtiam carnis appellat, *Iulianus videlicet, fugiens libidinis, ſeu concupiſcentiæ vocabulum; quod qui textui adiecit, vt commodius necteretur, cauſalem coniunctionem addidit. Certè belliſſimè inter ſe cohærent poſtrema Iuliani verba*, Siquidem poſt baptiſma virilitas ipſa perdurat, *cum his Auguſtini*, Perdurat vtique. *Quanquam mirum foret, eam locutionem ne verbulo quidem ab Auguſtino reprehenſam, vti facit infrà lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 15.*

iſto modo exiſtimans] MS. *legunt* iſto argumento exiſtimans: *ſed nihil immuto.*

voles eam delere de libro tuo] *In* MS. *eſt* deleri.

ſententiis tuis quantum adiuueris] *Pro* adiuuares.

C aut Manichæis ſuffragatur incautus] *Perperam* Manichæus.

quando ne pergat in liberos exceſſus] MS. illecebroſos exceſſus *legunt.*

Filius eruditus ſapiens erit, imprudente autem miniſtro vtetur] *Locus eſt Prouerb. 10. ſecundum Septuaginta; pro quo nos legimus; Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt; qui autem ſtertit æſtate; filius confuſionis.*

quanto magis libidine?] *Non* libidinem?

quia eum noſtris, vt dicis] *Pro* veſtris.

Nunc enim neceſſe eſt vt repugnet, qui ei ſeruire noluerit; neceſſe eſt vt ſeruiat, qui repugnare neglexerit] *Ita rectius* MS. *pro eo quod erat*, Nunc enim libidini neceſſe eſt vt repugnet, qui ſeruire noluerit; neceſſe eſt vt ſeruiat, qui pugnare neglexerit. *Nam illud* libidini, *cùm proximo verſu antecedat, ſatis incommodè repetitur.*

quorũ deteſtatione conaris obtegere] *Mendosè* deteſtationẽ.

Si enim ſecundum definitiuam tuam] *Neſcio an ſic alibi vſquam loquatur Auguſtinus: legendum potius crediderim*, ſecundum definitionem tuam, *aut* definitiuam ſententiam tuam.

quibus me comparas] *Ita rectius, quàm* compares.

id eſt, vt verba tua ponam] *Pro* vt, *legebatur* in.

D quæſtionũ nodos aliquos attuliſti] *Ex* MS. *adiecimus* aliquos*; quod legunt & vetera excuſa.*

# IN LIBRI SEXTI
## CONTRA IVLIANVM
### CAPVT PRIMVM.

quos certè ſi ab vbere raptos abſtulerit vltimus dies] *Alludit ad illud Æneidos 6.*

*Infantumq́ue animæ flentes in limine primo,*
*Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos,*
*Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.*

vt omittam natura fatuos, multo amplius lugẽdos, ſcriptura teſte, quàm mortuos] *Luctus mortui, inquit Eccleſiaſticus cap. 22. ſeptem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.*

IN CAP.

IN CAP. II.

quia ſcilicet alibi dixerim] *pro* dixeram.

eos de poteſtate erui tenebrarum] *Illud* eos, *conſtanter legebant manuſcr.*

filius Dei de mundo fuit] *In excuſis noſtris aberat* Dei, *quod præter* MS. *legunt, & vetera excuſa.*

nunc princeps huius mundi eiicietur foras] *In* MS. *eſt* eiicitur, *ſed prior lectio cum Græcis conſentit.*

non negante manum formationis opere ſuo ſeminibus inſtitutis] MS. *legunt* operi ſuo, *vt per appoſitionem ſequentibus cohæreat: ſed duriuſcula eſt illa locutio.*

IN CAP. III.

moxque ſubiunxi] *perperam* ſubiunxit.

beneficiorum ſublimat augmentis] *Mendoſè* argumentis.

Hinc de fato] *Sic* MS. *pro* Hic.

Quod vtique dictum eſt propter ſimilitudinem carnis peccati] *Redundat quod in excuſis interijcitur*; Quod enim mortuus eſt peccato vtique dictum eſt.

idem peccato cuius in Chriſto ſimilitudo nõ veritas, eidem rei cuius illa fuerit ſimilitudo moriatur] MS. *Gemblac. ita hunc locum legit*, idem peccato ſed in Chriſto ſimilitudo, veraciter eidem rei cuius illa fuerit ſimilitudo moriatur. *Amorbachius*, id eſt peccato, ſed in Chriſto ſimilitudo, nos veraciter eidem rei cuius illa fuerit ſimilitudo moriatur. *Carthuſienſe exemplar prorſus omittit illud* non veritas, *nec quicquam loco eius habet; nos Frobenianam lectionem reliquimus: ſi quid tamen diuinare liceat; ita legendum putarim*, id eſt peccato, cuius in Chriſto ſimilitudo non veritas, *vt interpretatio ſit eius quod ſequitur; ſed ex margine in contextum tranſlata: certè ſublata ſententiam facit expeditiorem. Quanquam poſſet cum* MS. *& Amorb. retineri* veraciter, *vt in ipſo verborum contextu iungatur cum iis quæ ſequuntur*, eidem rei, &c.

IN CAP. IIII.

quod quidẽ nuſquam legis in diuinis authoritatibus, mortuum ſcilicet eſſe Chriſtum etiam pro iis qui nullum habuerũt omnino peccatum] *Quare nec pro angelis bonis, vt habet Enchiridij cap. 61. Cæterùm pro* authoritatibus, *quod habent manuſcr. veteraq́ excuſa, fecerat in vulgatis quiſpiam* authoribus: *de ſcripturis enim ſanctis loquitur.*

ſed & gloriantes in Deo] *perperam* ſed vt, *nam alterum & paulò poſt repetitur.*

Per legẽ enim, ſicut alio loco dicit, cognitio peccati] *Ita commodius* MS. *quàm excuſa, in quibus erat*, Per legem enim cognitio peccati, ſicut alio loco dicit.

qui per eius carnalem concupiſcentiam gignerentur] *pro* gignebantur.

ſi enim ob vnius delictum multi mortui ſunt] *Perturbatè Lutetian*[illegible] ob vnius delictum ſi enim multi mortui ſunt.

in multis abundauit] *Carthuſ. exemplar* multos *legit, quomodo habent & Græca: ſed alterum legiſſe videtur Auguſtinus; ait enim paulò poſt*, [illegible] in quibus abundat, &c.

qui iam vtuntur libero arbitrio] *Sic* MS. *& Amorbach. pro* quia iam vtuntur.

cùm dicat ille, Quicunque fruſtra vos terret Dominica illa ſententia] *Perturbata erat hic excuſorum lectio, in quibus erat*, cùm dicat ille, Quicunque fruſtra vos terret Dominica illa ſentẽtia: *nam illud* Quicunque, *Apoſtoli verbũ eſt, quod hic vrget Auguſtinus.*

Conſepulti ergo ſumus illi per baptiſmum in mortem] *Sic* MS. *conſentientibus Græcis. quæ lectio ad noſtram erat vulgatam in excuſis immutata.*

Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem eius qui de cælo eſt] *Ex* MS. *adiecimus* ita, *& pro* de cælo, *erat* in cælo.

IN CAP. V.

Sed & ſi nulla ratione indagetur] *Inſignis locus pro eccleſiæ traditione eiúſque authoritate.*

ſi huic exufflationi] *perperam* huius.

ſanctitate mẽris cogitare poſſetis] *Ita commodius, quã* poſſitis.

aut bene vſurus hoc malo in minore certamine, aut omnino non vſurus in maiore certamine?] *Non legunt negationem* MS. *nec vetera excuſa cum Lutetianis, ſed ipſa prorſus ſententia poſtulat, priore enim membro de coniugio loquitur, poſteriore de continentibus.*

Reatus autem ille] *Redundant tres verſus qui hic & in* MS. *& excuſis omnibus antecedunt, ex margine in contextum tranſlati: ſic autem caſtigatius in* MS. *leguntur*: Reatus carnalis concupiſcentiæ ſicut non ſentitur dum eſt; ita eius ab[illegible]tio fide creditur, non carne vel mente ſentitur.

no[illegible] carne vel mente ſentitur] MS. *legunt* non carne ſed mẽte, *verùm non rectè, vt ex ſuperioribus liquet verbis, quæ hic ad marginem fuere annotata.*

Sed verte omnes tete in facies] *Imitatio Virgil. lib. 12. Aeneidos:*

*Verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid*
*Siue animis ſiue arte vales, opta ardua pennis*
*Aſtra ſequi, clauſumq́ caua te condere terra.*

Si enim complantati fuimus ſimilitudini mortis eius, ſed & reſurrectionis erimus] MS. *legunt* ſimul & reſurrectionis, *ſed quod ad noſtram videtur lectionem immutatum; Græcis enim eſt* ἀλλά.

cum hoc quod dicit, omnium ſit quicunque] *Vocula* quod, *deeſt in Lutetianis.*

lege ſuperiora verba] *In excuſis additur* mea, *ſed non rectè; neque enim de Auguſtini, ſed de Apoſtoli verbis agitur.*

Ego hæc arma cæleſtia quæ vincunt Celeſtium] *Amorbach.* Sceleſtium *legit, quod ſecuta eſt Louanienſis editio: nos alteram lectionem reliquimus vt* MS. *conſentientem, niſi quis fortè* ſceleſtum *malit, quòd Celeſtij nulla hic aliàs mentio fiat, præterquam infrà cap. 12. Similem autem vocum alluſionem habes ſer. 29. De verbis Domini, Carthago, inquit, in nomine Chriſti manet, quæ olim euerſa eſt à ſceleſtis; quia non fuit cæleſtis, ſed terreſtris.*

Ita & originale delictum] *Redundat* in *præpoſitio, quæ hic in excuſa irrepſerat.*

& tamen tranſit in prolem] *Ex* MS. *adiecimus* tamen.

ergo mortui ſunt & iſti cum omnibus] *Commodior videtur hæc* MS. *lectio quàm excuſorum*, ergo omnes mortui ſunt, & iſti cum omnibus.

& viuat Deo] *pro* vt viuat: *ſic enim & paulò antè* & viuẽs Deo.

IN CAP. VI.

in re ad perſpiciendum difficili] *Mendoſè* perficiendum.

Quid eſt autem quod de Crocodilo dicere voluiſti, ſolum eſſe in omnibus animalibus cui ſuperiores mandibulas moueri Albinus affirmat] *Idem habet & Ariſtoteles lib. 1. De hiſt. animal. cap. 11. & lib. 4. De partibus animal. & earum cauſis, cap. 11. & Plinius lib. 8. cap. 25. & lib. 11. cap. 37. Cæterùm infinitiuus* dicere, *deerat in excuſis.*

& ignem cùm ſit omnibus exitio, Salamandræ eſſe ludibrio] *Salamandræ, inquit Plinius hiſtoriæ natur. lib. 10. cap. 67. tantus ineſt rigor vt ignem tactum extinguat, non alio modo quàm glacies. Sic & Ariſtoteles lib. 4. De hiſtoria anim. cap. 19. Nonnulla corpora eſſe animalium, inquit, quæ igne non abſumantur, Salamandra claro documẽto eſt, quæ, vt aiunt, ignem inambulans per eum extinguit. Ludouicus Cælius lection. antiquarum lib. 10. cap. 7. profert & Nicãdri interpretis ſuper hac re teſtimonium, cuius hæc ſunt verba: Salamandram memorant per ignem meare, nec inde quippiam obladi. Eius interanea decutiendi pilos vim habent; quadrupes eſt animal; lacertæ ſimile ac terreſtri crocodilo. Idem Andream laudat non contemptibilem authorem, ſcribentem; ſi quis manum vel veſtem Salamandræ ſanguine infecerit, nihil ſentire ab igne nocumenti. Ex lib. verò 15. eclogarum agriculturæ, ait eam non modò nihil ab ignibus accipere incommodi, vt ex iis etiam ortum capiat. Idem argumentum attingit Auguſtinus & lib. 21. De ciuit. Dei, cap. 4. Quanquam non deſunt authores qui totum hoc fabuloſum arbitrentur: certè Dioſcorides ait temere credi. Plinius, licet aliud ſuprà ex eo protulerimus, lib. tamen 29. cap. 4. negare videtur. Ex ipſis, inquit, quæ magi tradunt contra incendia, quoniam ignes ſola animalium extinguat, ſi forent vera, iam eſſet experta Roma. Adducit ibidem & Sextium quendam, qui in eadem ſit ſententia. Nos huius litis arbitri eſſe non poſſumus; fides ſit penes authores.*

& qui dixerat nullum animal in igne viuere] *pro* dixerit, *ſic enim & paulò antè*, ſicut ille qui dixerat.

cùm eodem vitio genuerit filium] *Ex* MS. *adiecimus* cum.

nempe tua definitio iſta fruſtrabitur] *Ita breuius* MS. *quàm* etiam iſta deſtruetur & fruſtrabitur.

cùm ipſe accidenti vitio luſcus eſſet] *Ita rectius cum manuſcr. quàm* cùm pater accidenti vitio.

ea quæ non habent ipſi non poſſe transfundere] *Illud* ipſi, *addebant* MS. *ſic enim & ſuprà in verbis Pelagij; definis parẽtem quod ipſe non habet, in ſuam prolem non poſſe tranſmittere.*

IN CAP. VII.

ne prompta vileſcant] *Hoc eſt, expoſita ac manifeſta, vt opponatur occultis. Mendoſè ergo excuſa*, ne propterea vileſcant.

quarũ incomprehenſibilis ratio] *Delendum verbum* eſt, *quod hic addunt impreſſa: ſequitur enim paulò poſt verbum aliud à quo hæc pendent.*

quaſi per deſerta opaca repit] *Verbum* repit, *ſuppleuimus ex manuſcr.*

vt ad eius gratiam] *Redundat vocula* ſic, *quæ hic addebatur, nec legunt vetera excuſa.*





ſed naturæ ſcrutator acerrimus limites eius inuenis, & regulas figis, dicens per rerum naturam fieri non poſſe] *Sic noſtri temporis hæretici ex naturæ lege contra naturæ authorem de eucharistiæ ſacramento diſſerunt.*

ad ſignificandam regenerationem] *Aut deeſt aut ſubintelligenda hic eſt vocula* quam, *aut* niſi.

in circuncíſione Chriſti] *Supereſt particula* ſed, *quæ hic in* MS. *præponitur, nec legunt Græca.*

viuificabit in illo donans nobis omnia delicta] MS. vobis *legunt, ſed alterum eſt & in Græcis.*

Quod niſi eſſet in ſemine, ad paruulos quibus circuncíſione illa corporis auferendum eſt nullatenus perueniret] *Circuncíſioni apertè tribuit peccati originalis ablationem.*

indigeret vllatenus hac corporis circuncíſione] *Perperam* nullatenus.

Cùm autem paruulus proprium nullũ habeat omnino peccatum] *Non rectè Lutetiana*, Cũ autem paruulis prorſus nullum.

reſtat vt ſola originis vitiatæ ſit culpa] *Mendoſè* vitiata.

ſed in myſteriorum ſcriptura] *Fortaſſe* myſterio ſcripturæ, *vel* ſcripturarum.

circuncidi præcipitur paruulus] *non* paruulis.

& maximè originale, quia per ipſum membrum eſt origo naſcentium] *Hæc in excuſis deerant.*

neutros poſſumus celeri exploratione conuincere; ſi ad hoc experiendum ſeminetur arbor, ſeris factura nepotibus vmbrã] *Imitatio eſt Virgiliana ex lib. 2. Georg.*

*Nam quæ ſeminibus iactis ſe ſuſtulit arbos,*
*Tarda venit, ſeris factura nepotibus vmbram.*

Et quoniam loquacitas veſtra] *Ex* MS. *adiecimus copulam* Et.

Apoſtolicis nobiſcũ vocibus iugite] *In excuſis deerat* vocibus.

IN CAP. VIII.

quicquid in paruulis ſuis ageret] *pro* agere, *intelligitur autem quod ſuprà præceſſit* beneficium Dei.

oblato ſicut loqueris, placuit componi fœdere bellũ, vt pugnas omnium contentio noſtra dirimeret] *Virgil. imitatus lib. 12.*

*——ſedeant ſpectentque Latini,*
*Et ſolus ferro crimen commune refellam.* *Et infrà;*
*——Teucrûm arma quieſcant,*
*Et Rutilûm, noſtro dirimatur ſanguine bellum.*
*——Et aliquanto pòſt,*
*Oblato gaudens componi fœdere bellum.*

abſit vt mihi apud catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet] *Totidem verbis reſpondendum hæreticis quibuſdam, qui Catholicos interdum quoſdam ad ſingulare ſimiliter certamen prouocant. Idem attigit Auguſt. & ſuprà lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. Et lib. 3. contra Creſconium cap. 80.*

deceptus eſſe poterit non doctior] MS. *cum Amorb.* doctior *legũt, ſed non rectè.*

IN CAP. IX.

in illo vno mortui ſunt omnes, vt moreretur alius vnus pro omnibus] *Vocem* alius, *conſtanter legebant* MS.

quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt] *pro* Quomodo ſi vnus.

& de his pro quibus mortuus eſt Chriſtus] *Ex manuſcr. addidimus* Chriſtus.

Sed facit hoc Deus] *Et hic aberat* Deus.

ſciens bene vti & bonis & malis] *Illud* & malis *deſiderabatur in impreſſis.*

vel nulla eſſet, vel inquieta non eſſet] *Sic* MS. *Amorbachius legebat* inquieta eſſet, *ſine negatione, inde factum in noſtris* quieta eſſet.

cui generationem carnalem] *perperam* regenerationem, *neque enim illa carnalis ſed ſpiritualis eſt: quanquam ita legebant & vetera excuſa.*

Nemo enim legentium præferre poſſet] *Ita commodius quàm* poteſt.

niſi perfundantur admittis] *pro* perfundatur.

qui poteſtatem habebat mortis] *Sic manuſcr. & Amorb. conſentientibus Græcis, non*, poteſtatem habet.

IN CAP. X.

Alia diſputatio eſt, neque nunc tenere nos debet] *perperam* terrere nos debet.

de hoc genere peccatorum ſiue pœnarum] *manuſcr. legunt* atque pœnarum.

noſtra ſunt autem contagione propaginis] *Ita commodius* MS. *quàm excuſa*, & noſtra ſunt contagione.

quorum nunc agitur cauſa] *perperam* quarum.

quod per corda & ora geſtantium] *Sic* MS. *& Amorb. pro*, qui per corda; *quomodo & infrà*, quod per alterum geſſit.

Alienum quippe opus eſt cùm credidit per alterum] *pro* credit, *hoc enim tempus poſtulat & proximum membrum: quomodo & aliquanto ſuprà*, Sicut itaque quod credidit.

quod ergo adimit niſi regeneratio, non ceſſat trahere generatio] *Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod erat*, Quod ergo non admittit, *niſi quis malit quod Louanienſe habet exemplar* dimittit.

non vſquequaque animo eſſe rebellem] *Ex manuſcr. adiecimus* eſſe.

quod aduerſum teipſum bellum geris] *manuſcr.* quo *legunt, pro* quod.

Et tamen multi deformes, multi morbidi] *In excuſis erat* orbi vel morbidi, *ſed hoc aſſumentum ex varia lectione irrepſit.*

nec ideò illam totam ſubſtantiam omneſque partes eius] *ſic* MS. *pro quo in excuſis*, nec ideò illam tantam ſubſtantiam, omnes partes eius.

Quandoquidem etiam baptizati paruuli inter alia mala vitæ huius, nonnunquam & iſtos dæmonum patiuntur incurſus] *Mala quæ patiantur licet baptizati, infantes, vt etiam bimuli, trimuliq́ à dæmonio corripiantur, repleantur lepra, morbo regio deuorentur. Origeniſtæ ad ſuperioris vitæ in cælis actæ priuſquã animæ in corpora mitterentur merita referebant, vt teſtis eſt Hieron. epiſtola 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ, & 27. ad Euſtochium in epitaphio Paulæ matris eius. At rectè cum eo D. Auguſtinus originalis peccati merito accidere docent tum hoc loco, tum ſuprà lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. vlt. lib. 5. cap. 1. infrà lib. 6. cap. 21. epiſt. 28. itémque alibi.*

notas facit ſecundum Apoſtolum] *pro* fecit.

Si ergo rectè vis ſapere, etiã de paruulis ſape quod ait Apoſtolus] *Ita hic locus diſtinguendus; perperam autem excuſa pro* ſape, *legebant* ſepè. *Cæterùm quatuor verſus qui hic in* MS. *& excuſis omnibus antecedunt, nihil dubito ex margine huc eſſe tranſlatos, cùm eadem prorſus in ſequentibus dicantur. Quanquam in* MS. *caſtigatius quã hic legebantur, ita videlicet*: Mirè complexis Apoſtolus teſtimoniis aſſerit, paruulos & de poteſtate tenebrarum erui cum cæteris, & natura eſſe filios iræ, ſicut & cæteri, qui peccato moriuntur, cùm in morte Chriſti baptizantur quando baptizantur in Chriſto.

& filij erant iræ qui peccato moriuntur] *Perperam* nec filij erunt iræ. *Redundat autem quod hic in excuſis ſubijcitur*, qui in morte Chriſti baptizantur.

Quod autem dicis, vbi ait Apoſtolus, Natura filij iræ, poſſe intelligi, prorſus filij iræ] *Meminit huius interpretationis & Hieronymus in Commentariis ſuper hunc locum. Quidam, inquit, pro eo quod nunc expoſuimus, Et eramus natura filij iræ, pro natura prorſus ſiue omnino, quia verbum* φύσει *ambiguum eſt, tranſtulerunt. Quod & ſi ſic ſonet, iuxta ea quæ diximus exponendum eſt.*

antiquam contra vos defendi Catholicam fidem] *Mendoſè* antequam.

IN CAP. XI.

qui Tullianis me vocibus territent] *Ex Ciceron. oratione 1. in Catil. & actione 6. in Verrem.*

nonne alia in te Tulliana verè conueniẽtia verba] *Oratione 2. in Catil. ſed paululum immutata: ſic enim habet, Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum.*

Neſcio quos etiam quaſi deſertores dogmatis veſtri] *Inter cæteros qui à Pelagio defecere nominantur Iacobus & Timaſius egregij adoleſcentes, de quibus ſuprà ad initium lib. De natura & gratia. Item Sulpicius Seuerus, ſi vera ſunt quæ de eo narrat Gennadius in catalogo. Leporius quoque monachus quidam, de quo apud eundem.*

ſi grauiter ſapiunt] *pro* qui grauiter ſapiunt.

dixiſſe qui legunt ſciant] *Sic* MS. *pro* ſciunt.

Quis autem noſtrûm dicit] *Perperam Lutetiana* veſtrûm.

IN CAP. XII.

Quale eſt autem, quod beatæ memoriæ Zoſimum Apoſtolicæ ſedis epiſcopum, vt in tua prauitate perſiſtas, præuaricationis accuſas] *Sic eſt hæreticorum ingenium, vt Romanum ſemper pontificem impetant. Meminit huius accuſationis & ſuprà lib. 1. cap. 4. & infrà lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 3. & 4.*

Memento ſanè quemadmodum de conſtituendo epiſcopo diſſenſionem populi Romani inſultabundus obiectas] *Loquitur de Damaſo pontifice aduerſus quem Vrſicino diacono quodam à diuerſa plebis parte electo magnam contigit à furentibus ſtragem fieri. Vt autem intelligatur quàm iniquè hoc Damaſo imputetur, viſum eſt Rufini verba ſubſcribere lib. 11. hiſt. Eccle[illegible]ſticæ cap. 10. Damaſus, inquit, poſt Liberium per ſucceſſionem ſacerdotium in vrbe Roma ſuſceperat. Quem prælatum ſibi non ferens Vrſicinus (ſeu, vt ipſe legit, Vrſinu[illegible] quidam* [illegible]

eccleſiæ diaconus, in tantum furoris erupit, vt perſuaſo quodam ſatis imperito & agreſti epiſcopo, collecta turbulentorum & ſeditioſorum hominum manu, in baſilica quæ Secinini appellatur, epiſcopum ſe fieri extorqueret, legibus & ordine, & traditione peruerſis. Quo ex facto tanta, imo verò tanta bella coorta ſunt, alterum defendentibus populis, vt replerentur humano ſanguine orationum loca. Quæ res factione Maximini præfecti hominis ſæui ad inuidiam boni & innocentis verſa eſt ſacerdotis, ita vt cauſa clericorum vſque ad tormenta duceretur. Sed aſſertor innocentiæ Deus adfuit, & in caput eorum qui intenderant dolum, pœna conuerſa eſt. Meminit eiuſdem rei Socrates lib. cap. & tripartitæ hiſt. lib. 8. cap. 10. Attingit & Hieron. epiſt. 57. ad Damaſum. Iungatur, inquit, cum beatitudine tua Vrſicinus, cum Ambroſio ſocietur Auxentius, vbi Vrſicinum, quanquam Neapolitanus ſit poſtea factus epiſcopus, hæreticum tamen fuiſſe haud obſcurè ſignificat. Narrat rem eandem Ammianus Marcellinus lib. 27. vbi ait reperta in templo fuiſſe 137. cæſorum cadauera. Cæterùm eandem calumniam putauit etiam Brentius in ſuis prolegomenis repetendam. Certè Roma, inquit, temporibus Damaſi, cuius lex Theodoſiana meminit, & qui per ſeditionem ac multas cædes, in pontificem electus eſſe dicitur, iam tum dicebatur purpurata meretrix & Babylon. Falleris Brenti aut fallis potius, nam hæc ſeditio poſt eius electionem & confirmationem exorta eſt.

dum putari diuinitus vindicatum affectas] manuſcr. vindicatus legunt, ſed non rectè, vt apparet. Nam hæc acciderunt ante auditum Iuliani nomen.

de beato Damaſo & Vrſicino contigit] perperam Damaſco.

IN CAP. XIII.

Nec filij Dei niſi regenerentur fiunt: ſed ex quo ſumus filij Dei] Ita hunc locum reſtituimus ex Auguſt. lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 18. pro quo nihil hic aliud erat, Ex hoc ſumus filij Dei.

ſed maximè propter illam ſpem dictū eſt] Ex eodem loco adiecimus & vocem maximè.

adoptionem expectantes redemptionem corporis noſtri] In excuſis deerat adoptionem, quod legitur & apud Auguſt. eodem illo loco, eſtque etiam in Græcis.

Nihil habēt hæc verba mea quod nō in ſe baptizatus agnoſcat] pro quod non ipſe baptizatus.

ſed ad illam quoque perfectionem quæ ſperatur, eodem baptiſmate quod hic accipitur, peruenitur] Idem docet infrà cap. 18. & lib. 1. De nuptiis & concupiſcentia, cap. 33. & 34. quo loco vide quid annotauerimus.

vt motus malos qui refrenandi ſunt incitet] Ita rectè Louanienſis editio, pro indicet; quanquam malim excitet: ad carnem enim hoc, non ad gratiam refertur, vt ex ſequenti membro intelligitur. C

IN CAP. XIIII.

Quis autem neſcit quod nobis egregius doctor inculcas; ideò dici carnem concupiſcere, quia carnaliter anima concupiſci... [illegible] enim olim & Auguſtinus ſcripſerat lib. 10. De geneſi ad literam, cap. 13.

quam ſuadonum quoque caſtitas frenet] pro frenat.

quia vbi materiam de qua operetur] perperam materia.

caro concupiſcit aduerſus ſpiritum] Mendosè concupiſcere.

quæ in benefacientibus] MS. legunt bene proficientibus.

Ædificatur autem poſt captiuitatem] MS. legunt Ædificatur autem in fine poſt captiuitatem; nos vt in excuſis erat reliquimus. Cæterùm ſex verſus qui in excuſis manuſcriptiſque, manifeſtè ſunt huc ex margine trāſlati: ſic autem in iiſdem MS. caſtigatius leguntur, de Pſalmo qui prius dedicationē domus prædicat, & poſt ædificationem. Sed dedicatio ad caput domus pertinet, hoc eſt ad Chriſtum; ædificatio ad corpus totum domus, id eſt, ad Eccleſiam. Ideò prior dedicatio quàm ædificatio eſt, ſicut huius rei eſt index titulus Pſalmi. D

In ordine quippe Pſalmorum, quod mirum videri poteſt, prior eſt Pſalmus dedicationis domus, & poſterior ædificationis] De hac domus Dei dedicatione vide quod habet Auguſt. præfatione ſecundæ expoſitionis in Pſal. 29.

Iam enim hoc vocatur, & cùm ædificatur, cùm mortificantur hic membra noſtra quæ ſunt ſuper terram] Ita editio Louanienſis locum hunc reſtituit, pro quo prius erat, Iam enim hoc vocatur & cùm ædificatur. Mortificantur hic membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram. Neſcio anne rectius ita fortaſſe legeretur, & cùm ædificatur & mortificantur, &c.

cum quibus gerantur bella caſtorum] Perperam generantur bella caſtrorum.

qua gratia liberabor, vt ſperē in æternum] Ex manuſcr. adiecimus gratia.

IN CAP. XV.

De [illegible] ia re quoniam profundiſſima queſtio eſt, non eſt modò A præcipitanda ſententia] Tractat eam quæſtionem Auguſtinus de ciuitate Dei, lib. 16. cap. 24. & lib. 20. cap. 25. & 26. Libro item 21. cap. 13. & 24. Similiter Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 39. Et Bernardus ſerm. 66. in cantica.

neminem humiliare animam ſuam] Mendosè humilitate.

ſi nihil ibi perſequitur quod diſplicet Deo] Non pugnat cùm hoc Auguſtini loco, vbi ait concupiſcentiam in renatis Deo adhuc diſplicere, quod habet Tridentinum Concilium ſeſſ. 5. in decreto de Originali peccato, Deum in renatis nihil odiſſe; accipiendum enim id eſſe videtur, ſecundum id quod paulò poſt ibidem ſubiicitur, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. Nihil ergo in eis odit, ob quod & eos oderit, damnationeque digni habeantur.

Nemo conuiciis felicem impudentiam, nemo maxillas palmis, nemo ſubiiciet terga verberibus] Non caret locus ſuſpicione mendæ, & variant MS. legit enim Carthuſienſe exemplar, Nemo cum vitiis felicem impudendam; quanquam fecit inde quiſpiam impudentiam. Conſulenda vetuſtiora manuſcr.

neget eſſe malum concupiſcentiam peccatorum] Ita rectius cùm MS. quàm malam, nam alterum non ſemel infrà repetitur.

non iſta morte notiſſima quæ à corpore animam ſeparat] perperā nouiſſima, nam hæc in inferno eſt. MS. conſentiunt vetera ex- B cuſa Amorbach. ac Frobenij.

IN CAP. XVI.

non vt ea carerent, quod in hac vita fieri non poteſt] In excuſis deerat negatio.

liberatos ſe eſſe cognoſcerent] pro liberos, ſic enim & vetera legunt impreſſa.

per quam concupiſcentia vincatur] Redundant quæ in excuſis, & MS. omnibus hic addebantur, ex margine in contextum tranſlata; nam eadem prorſus totidem penè verbis mox repetuntur: quanquam & caſtigatius ita legi debebant: Si voluptas corporis non eſt hominis bonum, concupiſcentia carnis quæ author quædam eſt voluptatis, nullum concupiſcitur hominis bonum.

Hoc autem malum non in baptiſmate punitur] Suſpicor legendum ponitur.

ſed quia tunc malis non in delectamenta excitabitur] MS. cum veteribus excuſis legunt in delectamento excitatur. ſed magis arridet lectio Louanienſ. editionis. perperam autem vulgata in delectamenta excitatis.

IN CAP. XVII.

Quid de malis ipſius animi loquar] Excuſa addunt ipſis, ſed redundat, nec legunt MS.

in qua noui homines appellabantur] Supereſt ætate, quod addunt impreſſa, cùm paulò antè præcedat.

IN CAP. XVIII.

Affectio eſt timere, affectionalis qualitas timidum eſſe] perperam qualitatis.

Percipitur autem in baptiſmate Chriſtiano perfecta nouitas] Ita rectè MS. pro perfecta bonitas.

vt deſerat vbi erat] Carthuſ. exemplar pro deſerat, legit deſinat.

Ergo quando minuitur concupiſcentia, ſenſus minuitur] Ex margine in excuſa tranſlatum eſt quod hic in vulgatis antecedit, dum concupiſcentia minuitur, ſenſus dicatur imminui.

dubitabis eum pronunciare meliorem] perperam dubitatis.

ſtudeat mereaturque ſanari] Copulam addebant MS.

IN CAP. XIX.

certè fructus eorum, quę nihil aliud quàm opera intelliguntur] pro earum, ad homines enim refertur.

ſi veritate liberante non renaſcuntur] Ita commodius MS. pro renaſcantur, gaudet enim Auguſtinus ſimiliter deſinentibus.

cùm Dominus non ſolum propitius fit] pro ſit.

verumetiam ſanat omnes languores noſtros] Redundant in excuſis quæ hic ſubiiciuntur, Dominus in euangelio, Ecce, inquit, eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertio die conſummor. Poſt multum tempus quàm hoc dictum eſt, paſſus eſt Dominus. Mentiri non potuit. intelligitur ergo ſic, expulſio dæmoniorum remiſſio peccatorum eſt; eo vtique quo diabolus peccatorum pater atque origo ſit, per id quod efficitur id quod efficit.

Nam recole quid reſponderit liberator ipſe] Totus hic locus admodum erat confuſus & perturbatus, nam toti verſus decem qui in vulgatis hic antecedebant, quorum initium, Et vtique expulſio dæmoniorum, ſubiici debent poſt ſequentes vndecim verſus quorum finis, incorruptibilium beatitudo gaudiorum. Quanquam magna mihi ſuſpicio eſt totam illam ſuperiorem partem diſpunctis ſuprà proximè cohærentem, & ipſam ex margine in contextum eſſe tranſlatam: nam alio-



nam alioqui non video quò pertineat iterata tridui illius interpretatio. A

& vide poſt quantum tempus] Ex MS. adiecimus tempus.

ipſe caput & plenitudo corporis] MS. legunt, quia caput: nos alteram lectionem retinuimus.

premi impietate commiſſi] Sic MS. pro iniquitate, quibus fauet quod vox impietatis paulò poſt ter omnino repetatur.

manet tamen ipſa donec ab eo] perperam ea.

nondum tamen peccatorum remiſſione liberato] Ita rectius MS. quàm non tamen.

Quid ſi obliuiſcatur ſe deliquiſſe] Ita commodius cum MS. quàm, Quod ſi.

Nec dici poteſt, eorum peccatorum eius reatum manere qui meminit; eius verò qui oblitus eſt non manere] Perperam prius, quæ meminit, eorum verò quæ oblitus eſt.

cuius ſigno crucis conſecratur vnda baptiſmatis] Vides hic antiquiſſimam eccleſiæ cærimoniam, qua conſecretur vnda baptiſmatis, idque ſigno crucis: quod quidam hodie magicum eſſe volunt. Cæterùm pro conſecratur, vt legebant & MS. cum veteribus excuſis omnibus, perperam erat obſecratur.

ſine illo vtique puniretur] pro ſine vllo.

IN CAP. XX.

& propter quod damnatur, propter hoc & damnabili dia- B bolo ſubiugatur] Illud propter hoc &, addidimus ex lib. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 23. vnde eſt locus iſte repetitus.

inconſideratè iſta non funderes] Ita rectius manuſcr. quàm confunderes.

quoniam per reſultationē: inſtitutus à Deo ordo turbatur] Reſultationem repugnantiam ac reſiſtentiam appellat, qua ſignificatione vtitur & Auguſtinus lib. 14. De ciuitate Dei, cap. 8. quorum authoritati, inquit, reſultare fas non eſt.

poſſes dicere Deo reſiſtere agricolas, eiuſque ordinem perturbare, purgando agros à ſpinis & tribulis, quæ ille peccatoribus naſci iuſſit in pœnam] Quo eodem argumento Lutherus docuit non eſſe Turcis reſiſtendum, quandoquidem Dei prouidētia peccata noſtra punientis bellum inferant.

bonum eſt malis eſſe in gehenna] non malos: neque enim hoc abſurdum eſt.

ſequiturque vt malum ſit rebellare diabolo] Vitiosè excuſa noſtra ſequique.

IN CAP. XXI.

cùm ego commixtionem duarum naturarum] Non commi- C xtione, ſequitur enim deteſter & damnem.

Non poteſt mali radix in dono Dei locari] Pro eo quod bis mendosè legebatur mala radix in domo, vt liquet ſuprà ex lib. 1. cap. 9. vbi hæc ipſa Iuliani verba repetuntur.

Non igitur me ab infectione Manichæorum] perperam inuectione.

IN CAP. XXII.

ita corrumpantur mentes veſtræ] Ex MS. adiecimus ita.

IN CAP. XXIII.

Quod autem verba Apoſtolica vbi dicit, ſcio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum: & cætera vſque ad illud vbi ait, miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? me affirmas aliter intelligere quam totum ipſum caput debet intelligi] Totum hunc Apoſtoli locum docuerat ante Iulianum & Pelagius, accipiendum eſſe non tanquam ex ipſius Pauli perſona dictum, ſed peccatoris alicuius & adhuc ſub lege conſtituti; vnde & in Commentariis ſuis ſuper hunc Apoſtoli locum ad Romanos 7. frequenter id admonet ac inculcat. Libro verò De gratia Chriſti, cap. 39. ſic ait: Hoc enim quod tu de Apoſtolo intelligere cupis, omnes eccleſiaſtici viri in peccatoris, & ſub lege adhuc poſiti aſſerunt D eum dixiſſe perſona. Et ſanè fuit ea quorundam olim veterum in hoc Apoſtoli caput ſcribentium ſententia, vt Chryſoſtomi, Hieronymi quæſt. 8. ad Algaſiam, & Commentarij Ambroſio inſcripti qui ſunt hac in parte Originem imitati, quibus poſtea ſubſcripſerūt Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Quin & Auguſtinus ſimiliter aliquando & ipſe eſt interpretatus lib. videlicet 1. ad Simplicianum paulò poſt initium. In expoſitione quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Romanos propoſit. 41. & 42. Denique in 5. caput ad Galatas. Sed vt idem ait tum hoc loco contra Iulianum, tum lib. 1. Retractat. cap. 23. & 24. & lib. 2. cap. 1. nec non lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 11. re melius perpenſa ſimulque admonitus diuerſa quorundam patrum interpretatione, vidit ea verba ſic accipi poſſe, imò verò & debere, vt de ſe quoque ea Paulus, deque iuſtis omnibus dixiſſe intelligatur. Authores autem quos hic ſecutus ſit, profert hic paulò poſt, Hilarium, Gregorium, Nazianzenum & Ambroſium. Et Ambroſij quidem clariſſima eſt pro hac re non vna ſententia lib. 1. De pœnitentia cap. 2. libro De paradiſo cap. 11. & 12. lib. De ſacramento regenerationis ſeu de Philoſophia, cuius verba vnà cum Appendix tom. 7. A Nazianzeni & Hilarij recitat Auguſtinus lib. 2. cōtra Iulianum cap. 3. 4. 5. & 8. Capite verò 4. addit & Cyprianum ex ſermone in orationem Dominicam. Quam eandem ſententiam priore relicta ſequitur & Hieronymus lib. 2. contra Pelagium paulò poſt initium. Quare falſum eſt quod ſuprà aiebat Pelagius omnes viros Eccleſiaſticos ſecus interpretatos. Quomodo verò ſingulæ ſeptimi illius capitis partes rectiſſimè Paulo accommodentur præter loca ſuperius citata docet prolixè Auguſt. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 8. 10. & 11. Attingit & ſerm. 5. De verbis Apoſtoli. Auguſtinum ſequitur & Primaſius, qui quanquam & alteram proponat opinionem, in illius tamen inclinatur tandem ſententiam, verba eius non pauca recitans. Haymo vtrumque Commentariorum permiſcere videtur. Cæterùm in ſuperioribus Auguſtini verbis, pro totum ipſum caput, perperam erat in vulgatis eorum ipſum caput. MS. conſentit etiam Amorbachius.

quod non habitat bonum in eius carne] pro habet.

Apoſtolum ſic iſta dixiſſe] Loco ita.

in ſcorta aliqua manu peſtiferę voluptatis abduci] nō ſcorto.

Vtrum contra iſtam vim non dimicet baptizatus?] In excuſis addebatur hoſtem, ſed redundat nec legunt MS.

concupiſcentiis carnalibus vinciebatur] MS. vincebatur legunt, ſed vtrum legas non admodum intereſt.

Non enim dixit, carnalis fui vel eram, ſed ſum] Pro eo quod erat vel ſim.

IN CAP. XXIIII.

Fruſtra ſenſum alium nouum atque diſtortum & à vero abhorrentem moliris exſculpere] Similem Pelagij corruptelam habes in Commentario eius ſuper hunc locum Apoſtoli ad Rom. 5. In quo omnes peccauerunt, hoc eſt, inquit, in eo quod omnes peccauerunt, exemplo Adæ peccant.

ex tabida primi hominis carne fluxerunt] pro fluxerant.

Aliquo enim duorum iſtorum modorum] Perperam modò.

iram Dei ſuper humanum genus, & per vnum hominem] Hæc deerant in MS.

qui ex dānatione totius generis] Sic MS. pro condemnatione.

Sed ibi per verbum caro facta eſt] Non rectè Lutetiana factum eſt.

Commendat, inquit, ſuam charitatem Deus] In impreſſis addebatur Apoſtolus, ſed non legunt MS. & paulò antè præcedit.

Maledictus dies in quo natus ſum] In vulgatis erat dies ille, ſed pronomen non legunt nec MS. nec 70.

C Homo enim natus ex muliere, breuis vitæ & plenus iracundiæ] Locus eſt Iob 14. ſecundum 70. pro quo nos legimus, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.

& hunc feciſti intrare in conſpectu tuo in iudicium] pro in conſpectu iudicum. Sic enim & ſuprà legunt excuſa lib. 2. De nupt. & concupiſc. cap. 29.

Quis enim erit mundus à ſordibus? Ne vnus quid[illegible] etiamſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram] Locus eſt ex eodem cap. [illegible] Iob ſecundum 70. pro quo nos legimus, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu qui ſolus [illegible] Breues dies hominis ſunt. Perperam autem ad marginem non hoc tantum loco annotatur caput Iob 24. & alibi 25. cùm hæc verba nuſquam ibi legantur. Cæterùm pro Ne vnus quidem, legunt MS. Ne infans quidem. Sed tenendum variam eſſe loci huius lectionem, & apud Auguſtinum & alios patres, vt nomen infantis aliquando prætermittant, aliquando adiiciant. Prioris lectionis exempla habes in primis cap. hoc 24. & lib. 5. cap. 13. lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 29. De peccato originali cap. 33. De perfect. iuſtitiæ cap. 11. lib. 2. contra Petil. cap. 101. lib. 20. De ciuitate Dei cap. 26. lib. 1. confeſſ. cap. 7. De verbis Apoſtoli, D ſerm. 29. Apud Cyprianum quoque lib. 3. ad Quirinum cap. 54. quem eius locum recitat Auguſt. lib. 4. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 10. Hieronymus lib. 1. contra Pelagium. At verò Iuſtinus martyr reſponſione ad quæſtionem 88. ad Orthodoxos, ait locum eum ne intelligi quidem de infantibus poſſe, licet agnoſcat in eis originale peccatum, accipiens illud, etiamſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram, de propria vitæ actione & conuerſatione. Poſterioris lectionis extant exempla lib. huius 6. cap. vlt. lib. 1. De peccatorum meritis cap. 24. & lib. 4. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 4. Tractatu 41. in Ioannē. Hypognoſt. lib. 5. cap. 4. contra Fulgentium cap. 21. Similiter citauit & Ambroſius lib. De apol. Dauid cap. 11. & de bono mortis cap. 11. quæ duo eius loca apud Auguſtinum recitata inuenies, illum quidem lib. 1. contra Iulianum cap. 3. hunc verò lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 11. Nec non Hieronymus in 3. cap. Ionæ, lib. 2. contra Iouinianum paulò poſt initium, & in Pſal. 50. quorum priora eius loca duo profert ſimiliter & Auguſt. epiſtola 28. & lib. 3. De peccatorum meritis cap. 6. & 7. Denique & Proſper epiſtola ad Demetriadem virginem. Cæterùm priori fauent Septuaginta vt nunc in Regiis Bibliis leguntur.

De hac

De hac ira plangit Pſalmiſta] MS. *legunt* Pſalmus.

& ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te] *Ita commodius manuſcr. quàm* nihil.

De hac ira plangit & aliàs] *Pro* ira, *mendosè legebatur* re: *pro* aliàs *autem* alius, *niſi malis ſuprà pro* Pſalmiſta, *legere* Pſalmus:

ſalui erimus ab ira per ipſum] *Pro* per Chriſtum. MS. *conſentiunt & Græca.*

ſed & gloriantes in Deo] MS. *legunt* gloriamur. *ſed altera eſt & Græcorum lectio.*

quid agebat Apoſtolus] *Loco* quod agebat.

Ite adhuc, & huic recõciliationi] *Mendosè Lutet.* Item adhuc.

quæ homines vnum imitando commiſerant] *Ita rectius* MS. *quàm* hominem.

Cùm verò multos quod dixit poſtea, non vis intelligi omnes, quod prius dixerat, ideò exiſtimans dictum fuiſſe multos, ne omnes intelligerentur] *Sic Pelagius in Commentario ſuo ad illud cap. 5. ad Roman. Sicut per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem. Quomodo poteſt Deus, inquit, vnius delicto Adæ, omnes homines condemnare, cùm nec vnius Chriſti iuſtitia omnes homines iuſtificati ſint? Omnes autem dicens, non generaliter dicit, ſed vtriuſque partis ſignificat multitudinem. Alioquin inueniũtur omnes homines iuſtificati in Chriſto, ſicut & in Adam, condemnati in Adam, & non erit vltrà qui puniatur. Et mox in illud, ſicut per inobedientiam vnius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi, &c. Sicut, inquit, exemplo inobedientiæ Adæ peccauerunt multi; ita & Chriſti obedientia iuſtificantur multi. Suprà verò ad illud, Et ita in omnes homines mors pertranſiit: Ideò, inquit, omnes dicit mortuos, quia in multitudine peccatorum, non excipientur pauci iuſti.*

cui promiſſæ ſunt omnes gentes] *In excuſis deerat* omnes.

Per legem iuſtitia, ſed facilius per Chriſtum] *Ita commodius* MS. *quàm* Eſt per legem.

Vnde quantum vos deteſtari debeant Chriſtiani cõſiderantes, renuntiant vobis etiam tacentibus nobis] *Videtur deeſſe quippiam, aut diſtinguendum poſt vocem* Chriſtiani.

IN CAP. XXV.

quod non erit parabola] *In excuſis deerat negatio.*

qua dicebant, parentes vuas acerbas ediſſe] *Ex* MS. *adiecimus* parentes.

quod in ſeruitutem generat] *pro* ſeruitute.

ſpiritalis autem regeneratio] *perperam* generatio.

ita pœnarum atque premiorum comminationes, promiſſioneſque mutauit] *Teſtamentum enim vetus temporalia mala præmiáque continet, nouum æterna, non huius ſed futuri ſeculi: quanquam hæc in prioribus illis occultabantur & tacitè per ea ſignificabantur.*

In hoc igitur teſtamento nouo per ſanguinem teſtatoris] *Sic* MS. *pro eo quod prius erat* per ſanguinem mediatoris.

ſecundum h[illegible] [illegible]tique quod alios natales quibus non patri ſuccederemus, ſed cum patre ſemper viueremus, inuenimus] *Diuerſa eſt manuſcr. lectio in quibus eſt*, ſecũdum hoc vtique quod alios [illegible] præuidebat, quibus non patri ſuccederemus, ſed cum patre ſemper viueremus: *verbum autem* inuenimus *quod ſequitur, iungunt cum initio capitis ſequentibus in paſsiuum commutatum, hoc pacto,* Inuenimur ad omnia tibi reſpondiſſe. *Sed prætulimus excuſorum lectionem, nam præterquam quòd verbum* inuenimur, *durè ad proximum caput reijcitur, ſequentia præcedentibus coniungendum haud obſcurè ſignificant: nam vt hic* alios natales inuenimus, *paulò poſt* cohæredem inuenit vnicum per naturam: *& mox* in Chriſti morte inuenerit mortem.

IN CAP. XXVI.

quibus diſputaſti voluminibus quatuor] *Sic rectè manuſcr. pro* quibus putaſti.

Demonſtratum enim eſt, eum tantum paterno antiquo debito non teneri] *Ex* MS. *adiecimus* tantùm.

ergo omnes mortui ſunt, nec aliqui poterunt viuere] *Redundat quod interijcitur in excuſis*, Et pro omnibus mortuus eſt, *nec legunt manuſcr.*

quia pro mortuis vnus eſt mortuus] MS. *pro* vnus, *legũt* viuus.

etiam pro paruulis natis oblata ſacrificia pro peccatis] *Sic* MS. *pro eo quod erat* etiam paruulis natis.

contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere] *Sic* MS. *pro* colluuionem mortis. *conſentit & Cypr. lib. 3. epiſt. 8. vnde eſt locus iſte repetitus, quem & aliàs ſimiliter citat Auguſt. vt ſuprà lib. 1. cap. 3. lib. 3. De peccat. meritis cap. 5. lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 8. & epiſt. 28. ad Hieronymum.*

His te conſociare præſu[illegible]nis] [illegible]*rperam* conſociari.

*A[illegible]otationum in ſex libros contra Iulianum Pelagianum finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM, LIBROS QVATVOR.

*Ex collatione ad vetera excuſa Amorbachij ac Frobenij, necnon poſteriorem Bartholomæi Grauij editionem: nam* MS. *nulla hic nanciſci potuimus.*

## IN LIB. I. CAP. I.

Sed poſteaquam te etiam præſentia corporali frater meus vidit Alipius] *Suprà lib. 2. De nuptiis & concupiſc. cap. 1. Rauennam ad Imperatorem Honorium ac deinde Romam profectus dicitur Alipius, hic reuerſus iam ſcribitur.*

Quid eſt enim aliud amicitia, quæ non aliunde quã ex amore nomen accepit, & nuſquam niſi in Chriſto fidelis eſt, in quo ſolo eſſe etiam ſempiterna ac felix poteſt?] *De vera falſaq́ amicitia multa eleganter Auguſt. lib. 4. Confeſſ. cap. 4. 6. 8. & 9. epiſt. 155. de vera religione cap. 47.*

quamuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis] *perperam* ſpecula. *Habes autẽ hic clariſſimum teſtimonium præeminentiæ Romani epiſcopatus.*

alteri autem quam decem & octo velut epiſcopi participes eius erroris] *Inter eos fortaſſe fuerunt qui cum Pelagio, Celeſtio & Iuliano referuntur depoſiti & excommunicati in epiſtola Epheſinæ ſynodi ad Celeſtinum Romanum pontificem. Caterùm vbi lecti ſunt, inquit, in ſancta ſynodo Commentarij de depoſitione impiorum Pelagianorum, Celeſtij, Pelagij, Iuliani, Perſidij, Flori, Marcellini, Orentij & reliquorum eadem cum iſtis ſentientium, iudicauimus & nos ſolida, & firma permanere debere quæ à pietate tua ſunt decreta: ſumusq́ omnes eiuſdem ſententiæ.*

IN CAP. II.

Manichæos appellat Catholicos more illius Iouiniani] *Diximus hac de re aliquid ſuprà ad cap. 5. lib. 2. De nuptiis & concupiſc.*

IN CAP. III.

neque enim agit in eis] *Mendosè* ait.

IN CAP. V.

vbi vult ipſe inſinuare, quaſi contra noſtra iſta quid dicant] *Legendum videtur* iſti, *pro* iſta.

IN CAP. VIII.

Sed nimirum propterea iſti ſic calumniantur] *Vide quæ hac de re diximus ad cap. 23. lib. 6. contra Iulianum.*

ne in eius aliqua obſcuritate] *Excuſa vetera legunt* ne in eis; *ſed prætulimus quod noſtra legebant.*

tamen ad rem pertinentia pauca contingimus] *Sic lib. 1. contra Iulianum cap. 6.* pauca inde cõtingam, *id eſt, attingam ſeu delibabo. Quod annotare viſum eſt, ne quis mẽdum aliquod ſubeſſe hic ſuſpicetur.*

IN CAP. X.

Nam ſi & concupiſcit] *Ita lego, pro* Nam etſi.

Ego autem carnalis ſum] *In noſtris deerat verbum* ſum.

IN CAP. XIII.

ſed ſic vocetur, ſiue quod peccato facta ſit] *Perperam Lutetiana*, ſed hic vocetur.

cùm ab eo quod libet vincitur quod placet] *Placere enim in bonis, lubere in malis intelligitur, quomodo voluntas & cupiditas ſeu libido. Qua de re vide Auguſt. lib. 14. De ciuit. cap. 8. & lib. 2. De ſerm. Domini in monte, cap. 34. Perperam autem in vulgatis* quodlibet, *vnica dictione legebatur.*

IN CAP. XIIII.

baptiſmatis ablutione dimiſſi ſunt] *Redundat vocula* qui, *quæ hic antecedebat; rectè autem prætermittit editio Louanienſ.*

aduerſum nos inflentur] *pro* aduerſum eos, *quod habebant Lutetiana.*

IN CAP. XV.

Motum, inquit, genitalium, id eſt ipſam virilitatem] *Mendosè* vtilitatem, *ſic enim paulò poſt Auguſtinus*, vt verbo eius vtar virilitatem. *qua vtitur Iulianus & ſuprà apud Auguſtinum lib. cõtra eum 5. cap. 15.*

IN CAP. XVII.

ne vel ipſa cõcupiſcentia carnis vitiata credatur] *Similem locum habes cap. vltimo, lib. 2. De nuptiis & concupiſc.*

IN CAP. XIX.

Dic mihi obſecro quid boni Paulus adhuc Saulus volebat] *Exempli huius argumento motus Caſsianus hactenus à Pelagio receſſit, vt bonæ cogitationis in nobis initium aliquando ſaltem Deo tribueret, vt in Paulo*



*in Paulo & Matthæo Apoſtolis, nimiùm videlicet auerſus ac deprauatus. Aliquando tamen & nobis, vt in Zachæo, & latrone in cruce pendente. Vide Proſperum contra Collat. cap. 13. & Concil. Arauſican. 2. can. 8.*

quid ergo dicam, quibus meritis] *Ita rectius quàm cum veteribus excuſis & Lutetianis*, quid ergo dicam.

trahitur ergo miris modis vt velit] *Quopacto hic tractus nullam humanæ voluntati vim faciat, libertatemq́ illi ſuam relinquat, nec inuitus & coactus veniat credatq́ in Chriſtum qui à Patre trahitur; pulchrè tractat explicatq́ Auguſtinus tractatu 26. in Ioannem; adhibens & illud poëtæ; Trahit ſua quemque voluptas. Verba eius quia prolixiora ſunt, quàm vt trãſſcribi commodè hic poſſint; licebit ea de ſuo fonte repetere.*

IN CAP. XX.

Videamus ergo vtrum inaniter præmiſſus fuerit orantis affectus] *pro* fuerat. *Eodem argumento vtitur lib. De gratia Chriſti, cap. 24.*

Nunquid homines Dei qui hæc ſcripſerunt, imò ipſe ſpiritus Dei, quo authore per eos iſta conſcripta ſunt] *Agnoſcit librum Heſter ſcripturam canonicam, vt & lib. 1. De doctrina Chriſt. cap. 8. Conc. item Carthaginienſe 3. cui Auguſtinus ipſe interfuit, can. 47. Similiter & Innocent. 1. epiſt. 3. cap. 7. Gelaſius in concilio 70. epiſc. Cõc. Laodicenſ. canon. 59. Poſtremo Concilium Florẽtinum ac Tridentinum.*

IN CAP. XXI.

in cuius libris hoc legitur] *Perperam* hic legitur. *Eandem autem temporum diuiſionem reprehendit in Pelagio & confutat Auguſt. lib. De originali peccato, cap. 26.*

IN CAP. XXIIII.

& ſit plena concordia] *pro* & fit.

ac ſic gratia iam non ſit gratia] *perperam* ac ſi.

# IN LIBRI SECVNDI CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM CAPVT PRIMVM.

Quod opus noſtrum ne longius fiat] *Ita rectius Louaniẽſis editio, quàm* longum.

IN CAP. III.

Quinetiam Romanos clericos arguunt, ſcribentes eos iuſſionis terrore perculſos, non erubuiſſe præuaricationis crimen admittere] *Idem repetit Auguſtinus & cap. proximo, & ſuprà lib. 1. contra Iulianum cap. 4. & lib. 6. cap. 12.*

quàm facilè damnanda viderentur] *Perperam* videretur.

aliquanto lenius, quàm ſeuerior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina] *Non rectè in Lutetianis*, aliquando lenius.

etiam geſtis de hac cauſa apud illam ſedem, Celeſtio præſente & reſpondente confectis] *De his geſtis & libello Celeſtij cuius infrà ſit mentio, vide & librum De peccato originali cap. 5. 6. & 7.*

Quæ Romam literæ poſtquam venerunt] *Mendosè* Quæ Romanæ.

propter illud quod ſe papæ Innocentij literis] *pro* papa.

Romanis clericis inurenda] *Pro eo quod erat* cleris.

huius ruina iacuiſſet oppreſſus] *Locum hunc reſtituimus ex Innocentij epiſtola apud Auguſtinum 91. conſentit & Louanienſ. editio.*

Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt] *Non rectè Lutetiana* hanc eius.

quaſi aliud ſenſerint] *Mendosè eadem & hic*, ſenſerit.

IN CAP. V.

Neminem niſi Dominũ Deum dicimus] *Perperã* diſcimus.

IN CAP. VI.

Nónne etiam voſipſi] *Eodem argumento vtitur aduerſus Pelagianos lib. De dono perſeuerantiæ cap. 12.*

Nónne attenditis, nónne perſpicitis, nõ à nobis diuinæ gratiæ nomine fatum aſſeri] *Mendosè* à vobis.

IN CAP. VII.

Item, quæ acceptio perſonarum] *Sic rectè vetera excuſa cum editione Louanienſ. ſed in quibus interrogationis nota non rectè paulò poſt additur; neq́ enim hic pronomẽ* quæ, *interrogatiuè, ſed relatiuè accipitur, falſa alioqui futura ſententia: quod eos fefellit qui putarunt inde* quia *faciendum.*

& alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere] *pro* ab altero exigere: *ſic infrà*, ſi alteri dimittitur, alter exigitur.

quia in maſſa perditionis malum malo non malè redditur, & ei cui redditur malum eſt] *Loco* redditur, *Lutetiana vtroque loco perperam legunt* creditur.

Sed vt id quod dicimus alicuius exempli manifeſtatione clareſcat] *Pro* ſed &.

quod hic fatum aut fortunam] *in Lutet. deeſt* aut *diſiunctiua.*



quibus mereretur alius baptizari] *Perperam* meretur.

& in eis notas facit diuitias gloriæ ſuæ] *In noſtris deſiderabatur vocula* notas.

Quis enim te diſcernit? vtique ab iræ vaſis, à maſſa perditionis] *Non erat quòd hic vt alibi frequẽter; ad latus adſcriberetur* σκληρόν; *eſt enim hæc Auguſtini interpretatio, non dura nec coacta, ſed germana prorſus & Apoſtolicæ ſententiæ admodum opportuna. Repetit eadem lib. De corrept. & gratia cap. 5. & 7. Epiſtola item 46. ad Valentinum.*

diſcreuit inter lucem & tenebras] *Perperam Lutet.* decreuit.

ſed lucem faciendo diſcreuit] *Idem vitium non Lutetiana hic modò, ſed & noſtra occuparat, vt pro* diſcreuit, *legerent* decreuit.

propterea geminos tales propoſui] *Mendosè* propoſuit.

Quomodo enim præſciuit ea futura quæ illis in infantia morituris, quia præſcientia eius falli non poteſt, præſciuit potius non futura] *Sic & epiſtola 107. quæ eſt ad Vitalem; & lib. De prædeſt. ſanctorum cap. 5.*

ita nullum eſt gratię ſine meritis donum] *Deerat in noſtris vocula* ſine.

IN CAP. VIII.

inſpirauerit boni & ipſius imperfecti cupiditatem] *Pro* & ipſam. *ſic enim & ſuprà cap. 5. vbi eadem hæc Pelagianorum verba recitantur. Ita & ſuis infrà verbis repetit Auguſt.* non quanticunque boni, *inquit*, ſed & ipſius imperfecti cupiditatem.

Sed iſtis quid hac in re ſentiant] *pro* ſentiunt.

permittamus eos cum ſuo libero arbitrio eſſe liberos & ab ipſo Pelagio] *Commune eſt hæreticis omnibus vt magiſtri ſui doctrinam nunquam per omnia teneant ac ſequantur, ſed aliquid ſemper vel addant, vel adimant, ne nihil & ipſi ſapere videantur. Prima eſt ergo hæc Pelagianorum ab authore ſuo defectio; Pelagius enim totum opus bonum & ſecũdum inchoationem, & conſummationem homini tribuebat; hi priores quidem nobis partes, at poſteriores Deo. Similem receſſum habes & infrà lib. 4. cap. 4. Pelagius enim Adamum ſolo nobis exemplo nocuiſſe contendebat, nec mortem nec peccatum nos ab eo per originem contraxiſſe: at iſti, peccatum quidem nullum, ſed mortem tamen in poſteros ab eo tranſire fatebantur. Poſteriores verò Pelagiani in aliis præterea quibuſdam à Pelagio diſſenſerunt; aduerſus quos Proſper potiſſimum depugnauit.*

atque iſta verba eorum] *Perperam* ad quem iſta verba; *neque enim ad Pelagium, ſed ad Theſſalonicenſem epiſcopum ſcripſerant.*

Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſeruant locum gratiæ] *Non* ipſis.

damnari timendo damnauit] *Non rectè Lutet.* damnare.

ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum] *In vulgatis aberat* ſecundum.

Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quam ſi volunt à nobis incipere] *Ex vitioſo dictionum harum nexu factum erat etiam in veteribus excuſis* quam ſi voluntario vis.

IN CAP. IX.

Quis enim poteſt ſine bona cogitatione] *Etiam in veteribus excuſis deerat vocula* ſine, *quam tamen & ſententia po[illegible] [illegible] habes paulò ſuperius expreſſam*, bonum inchoare ſine adiutorio gra[illegible] Dei. *Conſentit excuſum Louanienſe.*

qui ſi tangit cor, homo præparat cor] *Ita iuxta editionem Louanienſ. locus hic reſtituendus, pro eo quod erat*, qui tangit cor. Homo præparat cor: *mendoſiſſime verò apud Amorb.* quis te tangit? cor. Homo præparet cor.

præparato cordi lingua diuina reſpondet] *Ita malim quàm* reſpondit.

Nunquid iſtorum aliqui ita deſipiunt] *ſic rectè Louanienſia; pro* Nunquid iſtorum qui deſipiunt.

IN CAP. X.

Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum] *Ita legiſſe Auguſtinum, non* cooperantur, *docebimus ad lib. De gratia & libero arbitrio, cap. 17.*

ſequatur miſericordia vocantis Dei] *Ita legendum ſenſus ipſe clamitat, non vt in veteribus quoque excuſis* miſericordiam.

# IN LIBRI TERTII CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM CAPVT II.

Hinc eſt quod vetus teſtamentum ex monte Sina] *Redundare videtur vocula* quod.

IN CAP. III.

Filios autem diaboli infidelitas facit, quod peccatum proprium vocatur] *Non ſentit ſola infidelitate amitti iuſtitiam & charitatem, ſed*

tatem, ſed quemadmodum infidelitas per antonomaſiam peccatũ appellatur, ita filios diaboli hic accipit ſecundum excellentiam. Quamuis enim, vt paulò antè ait, diabolus ſit author & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata. Filios ergo diaboli appellat, quemadmodum paulo infrà explicat Auguſtinus, in quibus non eſt fides.

fidei probitate diſcernit] perperam fidei probatæ.

IN CAP. IIII.

quanquam & in eis quia ſpiritaliter intelligenda ſunt, rectè lex dicitur ſpiritalis] In vulgatis deſiderabatur quia.

cætera certè quia ad pietatem] Perperam quæ ad pietatem.

Quis eſt tam impius qui dicat ideò ſe iſta legis non cuſtodire præcepta, quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus?] Ita quidam noſtri temporis hæretici docere nõ verentur, & tamen haberi etiam pij volunt.

vt vni Deo religionis obſequio ſeruiatur] In Lutetianis erat, vt vni de religionis.

quod diſtinctius vetus inſtrumentum, quàm teſtamentum vocatur] Ita appellat & epiſtola 84.

quia cùm ex anteriore tempore dicitur vetus] Voculam cùm, rectè adiecit Louanienſis editio.

& rei facti litera] Ita & hic rectius eadem, quàm literæ, vt ſenſus ſit, per literam iubentem rei facti.

mittit ad iuſtificantem Deum] pro mittat.

libero eam potius arbitrio tribuentes] perperam eum.

IN CAP. V.

primitus pro ſuis offerre peccatis] Mendoſè offerri.

IN CAP. VII.

Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quæ virtus, niſi ad quam pertinet non extolli?] Notat hic Auguſtinum marginalis annotatio: Imò Græcè, inquit, eſt δύναμις, nõ ἀρετὴ, quod ſanè verum eſt, virtus nimirum non vitio, ſed infirmitati ac imbecillitati contraria. Sed nec hoc ignorauit Auguſtinus, nec cũ ea lectione pugnat eius explicatio. Id quod breuiter nobis exponendum eſt. Locum hunc Græca ſic legunt, ἡ γὰρ δύναμίς μου; hoc eſt, nam virtus mea; vt de virtute ac potentia ipſius Dei agatur, (nam ex eius hoc perſona dicitur) quæ ex noſtra dicatur infirmitate perfici: quia cùm homines fragiles ac imbecillos inter tam multa dura, aſpera & difficilia fortes tamen, conſtantes, ac inuictos facit, maximè clareſcit atq; illuſtratur. Sic Græci commentatores Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius. Quem ſenſum quanquam habere poſſit & noſtra verſio, commodiſſimè tamen accipitur de virtute ac potentia non quæ in Deo ſit, ſed quæ nobis ex Deo eſt: nam his aduerſis, perſecutionibus, ac preſſuris pro Chriſto illatis exercetur, creſcit, perficiturq; animi noſtri robur, potentia & fortitudo. Fides enim quo magis premitur, eo potentius aſſurgit, ſeq; attollit ac erig[it; n]ec perſecutionibus frangitur, ſed acuitur magis, ſtimulatur, ac excitatur. Inuitat huc ſanè quod in Apoſtolo ſequitur, vt [in]habitet in me virtus Chriſti, eius videlicet mihi dono conferenda, qua fiat vt pot[entior] ac inuictior euadam. Quo modo ſeipſe videtur Apoſto[lus cl]ariſſimè paulò poſt interpretari, dum ait; cùm autem infirmor, tunc potens ſum, quod non de increata Dei potentia, ſed de ea quæ Dei munere donetur, certiſſimè eſt accipiendum. Reſpondere autem inter ſe videntur, Virtus in infirmitate perficitur, & Cùm infirmor, tunc potens ſum. Atque in hunc modum accepit Hieronymus epiſt. 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ, & Ambroſ. inſcriptus Commentarius. Cæterùm quemadmodum hi duo Commentarij minimè inter ſe pugnãt, ſed ſe mutuo conſequuntur, & alter alterum illuſtrat, quia nimirum potentiæ huius noſtræ gloria, tota Deo adſcribi, tota ei debet referri accepta, qui vim per nos ſuam, potentiamq; exerit: ita nec illud, quod de humilitatis virtute hic ait Auguſtinus; non quia in verbis Paulinis virtus ſeu δύναμις, animi habitum ſignificet vitio contrarium, quem ἀρετὴν appellant, ſed quòd hæc ipſa δύναμις, potentia fortitudoq; noſtra, in vera ſui agnitione ac humilitate & ſita ſit, & per eam potiſſimum acquiratur & conſeruetur. Qui fit enim vt in preſſuris, ac perſecutionibus non modò non ſuccumbamus, ſed robuſtiores etiam fortioreſq; euadamus, niſi quia irruentibus aduerſis, imbecillitatis noſtræ conſcij, nec ignari quàm nihil abſque Dei gratia valeamus, magno affectu totos ad eum nos conuertimus, eius imploramus auxilium, in eo ſpem noſtram omnem fiduciamq; collocamus? Hæc enim propriarum virium diffidentia, cum certiſſima diuinæ opis coniuncta fiducia, vnica eſt Chriſtianorum fortitudo, qui non in ſeipſis, ſed in Deo potentes ſunt, & omnia poſſunt, ſed in eo qui ipſos confortat. Ergo quo magis exercetur ac creſcit hæc in nobis humilitas, eo reddimur aduerſus ſatanam, & inſtructi magis, & longè firmiores. Exercetur autem non modò damnis, cont[um]elijs, tormentis cæteriſq; incommodis ad carnis infirmitatem pertinentibus; verùm etiam multoq; magis eo ge[ne]re infirmitatis quod in mentis ac virtutum imperfectione conſiſtit, vt in multa adhuc ignorantia, in concupiſcentiæ malo, in variorum peccatorum incentiuis ac diaboli tentationibus, in vitiis quibuſdam à quibus nos expedire non poſſumus, denique iis omnibus quibus iuſtitiæ perfectionem ſentimus in nobis impediri: quomodo infirmitatem in his Apoſtoli verbis rectiſſimè Auguſtinum fuiſſe interpretatum ſuprà docuimus in cap. 12. lib. De gratia Chriſti. Dum enim fidelis piaq; mens hæc in ſe experitur, introrſus ad ſemetipſam reuerberatur, & à iuſtitiæ ſuæ contemplatione ad infirmitatis propriæ conſiderationem reuocatur; vt intelligens quàm adhuc ſibi multa deſint, quámq; procul abſit à vera perfectione, de adeptis non ſibi vanè placeat, ſed Deo gratias agat, & pro eo quod deeſſe ſibi videt, humiliter ſuppliciterq; deprecetur. Maximum eſt autem piis omnibus à ſuperbia periculum; nam cùm vitia omnia in malefactis valeant, ſola ſuperbia etiam in rectè factis cauenda eſt, adeò vt cæteris iam vitiis omnibus ſuperatis, poſtremum adhuc reſtet cum elatione certamen, ne ſibi quod quis bene vixit tribuendo, in eoq; non in Domino, ſed in ſe gloriando, perdat quicquid eſt hactenus bene operatus; à cuius peſtis inſidiis tuta eſt nec ipſius quoque ſuperbiæ victoria. Quis enim ſecurum ſe arbitretur, cùm aduerſus hoc malum etiam Paulus apoſtolus carnis ſtimulo & ſatanæ colaphis opus habuerit? Quicquid ergo ad frenandam curandamq; ſuperbiam hanc valet, etiam ipſa virtutum iuſtitiæq; imperfectio reddit nos haud dubiè quo humiliores, eo & potentiores, firmiores, contraq; ſatanam magis inuictos; imò verò miro quodam modo, etiam in iuſtitia prouectiores ac perfectiores. Hæc enim vna eſt propè noſtra perfectio, ſi quàm ſimus imperfecti ex animo vereq; agnoſcamus. Rectiſſimè ergo dixit Auguſtinus humilitatem veram eſſe virtutem ac fortitudinem noſtram, quæ ex ipſa quoque non carnis modò, ſed & mentis imperfectione conſummetur ac perficiatur. quod ipſum repetit quoque lib. 2. contra Iulianum cap. 4. & lib. 4. cap. 2. lib. 3. De geneſi ad literam, cap. 15. Quare ad rem non pertinet marginalis annotatio, virtutem hic Apoſtolo non ἀρετὴν, ſed δύναμιν dictam: cuiuſmodi ſcholiis ſeu ſcoriis potius, qui oras nobis libri huius nimis quàm frequenter conſpurcarunt, non Auguſtini næuos, ſed ſuam ipſi imperitiam & calumniandi ſtudium prodiderunt. Nec diſſimile eſt quod ſequitur annotamentum.

Ecce Apoſtolus ſecundũ iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſine querela ſe fuiſſe non vtique mendaciter dicit; & tamen hæc quæ illi lucra fuerunt, abiicit propter Chriſtum, & damna, & detrimẽta, & ſtercora exiſtimat, non ſolùm hæc, ſed & cætera omnia quæ ſuprà commemorauit] Ad hunc locum adſcripſit in margine quiſpiam, Aduerſus Hieronymum diſputans, ſtercora interpretatur vitia, non obſeruationem legis, tanquam non conſtet ſibi Auguſtinus. Verùm ſi quiſquis is fuit, non negligenter legiſſet quod ſuperius ait Auguſt. lib. 1. cap. 9. imo verò quæ eodem hoc cap. 7. non multo poſt ab eo ſubijciuntur, facilè intellexiſſet vtriuſque inter ſe ſententiæ concordiam: hanc ipſam enim legis obſeruationem, non veram, nec legitimam, ſed vel ſimulatam, vel ſuperbam fuiſſe, eoq; & vitioſam. Verba eius ex priore illo loco ſunt hæc: Nec moueat, inquit, quod ad Philippenſes ſcripſit, ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt, quòd fuerit ſine querela. Potuit enim eſſe intus in affectionibus prauis præuaricator legis, & tamen conſpicua opera legis implere vel timore hominum, vel ipſius Dei, ſed pœnæ formidine, non dilectione & delectatione iuſtitiæ. Aliud eſt enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum ſic voluntate inclinari, vt etiam faceret ſi hoc poſſet impunè permitti. Nam ſic profectò in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat. In quibus interioribus ſuis talem ſe fuiſſe ſciens Apoſtolus ante gratiam Dei quæ per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum eſt, alibi hoc apertiſſimè confitetur, &c. Hoc ſeptimo verò cap. lib. 3. poſt non ita multa ſic ait: Abijcit ergo B. Paulus, inquit, præterita iuſtitiæ ſuæ tanquam detrimenta & ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat, & inueniatur in illo non habens ſuam iuſtitiam quæ ex lege eſt. Quærens verò eius rei cauſam, cùm lex illa Dei eſſet, ſubiungit. Cur ita? inquit, niſi quia hoc eſt, eos eſſe ſub lege, qui ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti? Putant enim ſe arbitrij ſui viribus implere legem iubentem, & iſta implicati ſuperbia, ad gratiam non conuertuntur iuuantem. Sic eos litera occidit, aut apertè etiam ſibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando ſe facere quod ſpiritali quæ ex Deo eſt, non faciũt charitate: ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter iuſti, in aperta iniquitate euidenter eliſi, in fallaci iuſtitia inſipienter elati: ac per hoc miro quodam modo, ſed tamen vero, iuſtitiam legis non implet iuſtitia quæ in lege, vel ex lege eſt; ſed quæ in ſpiritu gratiæ. Et ſub finem cap. concludens, Quamobrem, inquit, qui ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt, ſine fide gratiæ Chriſti viuit, ſicut ſe Apoſtolus ſine querela vixiſſe commemorat, nullam veram putandus eſt habere iuſtitiam; non quia lex vera & ſancta non eſt; ſed quia obedire velle literæ iubenti, ſine viuificante ſpiritu Dei veluti ex viribus liberi arbitrij, iuſtitia vera non eſt, &c. Hæc ideò prolixius citauimus, vt quàm ſe Ariſtarchi iſti ridiculos præbeant, nemo non videat.

abſcon-



abſcondita eſt cum Chriſto in Deo] Perperam Lutetiana in Chriſto in Deo.

Legis itaq; iuſtitia eſt iubere quod Deo placet, vetare quod diſplicet] Pro eo quod erat vitare.

Non enim propterea iuſtitia Dei dicitur, quoniam Deus iuſtus eſt, ſed quia homini ex Deo eſt] Locus hic valet contra Oſiandrum qui nos iuſtos dici vult à Dei iuſtitia non quæ nobis inſit, ſed quæ ſit ipſemet Deus.

quæ ex Deo nobis eſt] Typographico errore pro quæ, legebatur quo.

cùm fuerit dilectio Dei perfecta] Deprauatè defuerit.

Nos enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu Deo ſeruimus] Non Dei.

De quo vno bene intelligitur, & Dominus admonuiſſe Mattham] ſic ſerm. 15. De verbis Apoſtoli.

id eſt, litera tantum iubente, non ſpiritu implente] Ex ambigua ſcriptura ortus eſt error in excuſis, vt pro idem, legatur id eſt.

Vnde qui iſtam non ſequitur] perperam iſtum, refert enim iuſtitiam minorem.

Sed ita dixerim; mandata fecerunt, vt ipſa mandata meminerimus pertinere ad orationem] Legendum videtur, vt ad ipſa mandata meminerimus pertinere orationem.

IN CAP. VIII.

quaſi quiſquam noſtrum iſta vituperet] Pro ita vituperet.

IN CAP. IX.

nec ſanari poſſet omnino] Mendoſè ſanari poſſe.

Item quod arbitrium ſui in malum liberum dicimus] Non caret hic locus ſuſpicione mendæ.

# IN LIBRI QVARTI CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM CAPVT II.

& quod Chriſtum Dominum] Perperam Lutetiana Chriſti Dominum.

ſic diſcernit malum pudendæ concupiſcentiæ à bonitate nuptiarum] In excuſis noſtris deſiderabatur præpoſitio.

IN CAP. IIII.

pœnam dicunt tranſire ſine culpa] Contra hunc errorem ſcriptus eſt ſecundus canon concilij ſecundi Arauſicani.

ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam] De prima loquitur gratia ante quam nihil poſſumus bene mereri. Quare nihil facit hic locus contra doctrinam Catholicam de meritis operum.

Nam & ſic ſanctus Hilarius intellexit quod ſcriptũ eſt] Verba quæ hic ab Auguſtino S. Hilarij titulo proferuntur, nuſquam hodie in eius operibus inueniuntur, leguntur autem in commentariis Ambroſio inſcriptis ad illud cap. 5. ad Roman. in quo omnes peccauerunt, ſed eum librum nec Ambroſio nec Hilario ſanctis Chriſti confeſſoribus tribuẽdum eſſe certiſſimum eſt, habent enim non pauca cum vtriuſque doctrina non admodum conſentientia, quod fuerit comprobatu facillimum, ſed non eſt iam id huius nec loci nec temporis. Illud autem mirum cur Auguſtinus authorem hunc non frequẽtius citet, apud quem tamen contra Pelagianorum errores tam manifeſta teſtimonia reperiantur. Sed eum arbitror in ipſo lectionis operiſq; progreſſu ſententiis quibuſdam offenſum facilè deprehendiſſe non eſſe hoc B. Hilarij opus, ſed hominis alicuius non parum ſuſpecti, ideoq; ab eo citando abſtinuiſſe. Si quem verò mouet Hilarij nomen, quem authorem Auguſtini tempore liber hic prætuliſſe videtur, tenendum eſt diaconum quendam eius nominis Romæ vixiſſe qui cum Luciferianis ſenſiſſe videatur, docueritq; rebaptizandos eſſe qui ab Arrianis ad eccleſiam redirent, contra quem velut iam defunctum ſcribit D. Hieronymus lib. aduerſus Luciferianos. Vbi indoctiſſimè quidam B. Hilarium epiſcopum notatum putauit, cũ alter ille ne presbyter quidem fuerit, vt ex Hieronymo ibidem liquet. Fieri ergo poteſt vt Diaconus ille Hilarius libri huius author fuerit, ac nominis eius ambiguitas Auguſtinum fefellerit. Certè non malè cõuenit temporis ratio, nam Commentarij huius author in illud 1 Timoth. 3. vt ſcias quemadmodum te oporteat in domo Dei conuerſari quæ eſt Eccleſia Dei viui columna & firmamẽtum veritatis, quo tempore hæc ſcribebat diſertis verbis Damaſum præfuiſſe teſtatur. Quò pertinet quod Syricius pontifex qui Damaſo proximè ſucceſſit, epiſtola 1. contra hunc anabaptiſmi errorem qui à quibuſdam, & Romæ in ſuſcipiendis Arrianis fuerit vſurpatus, canonem ſtatuit quo id fieri prorſus vetat. Si quis certioris aliquid coniecturæ adferre potuerit, gratiſſimum fuerit ſi communicare dignabitur.

IN CAP. V.

ſic enim inimicitiæ factæ ſunt] Perperam Lutet. ſicut enim.

Vt cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt] Non rectè propria.

qui eſt Dei ſapientia, de qua ſcriptum eſt, legem & miſericordiam in lingua portat] Locus eſt Prouerb. 3. ſecundum 70. vbi ſic legitur, longitudo enim vitæ & anni vitæ in dextera eius, in ſiniſtra autem illius diuitiæ & gloria: Ex ore eius procedit iuſtitia, legem autem & miſericordiam in lingua portat. Cui poſteriori ſententiæ nihil eſt quod in noſtra lectione reſpondeat.

Legem tanquam in baculo quem miſit Heliſeus] Allegoriam hanc baculi Heliſei tractat & de verbis Apoſtoli, ſerm. 11. ſub finem enarrationis primæ partis Pſal. 70. lib. 12. contra Fauſtum cap. 35.

velut noui teſtamenti ſignificatione coniunctus eſt] perperam conuictus eſt.

IN CAP. VI.

Terra illa exterminata facta eſt] Redundat verbum eſt, quod additur in vulgatis poſt exterminata.

Sic erunt ciuitates illæ deſolatæ] Non rectè Lutetiana, Sicut erunt.

Deus ſubſequenter faciat, quo dignus eſt homo] pro quod dignus.

Quandoquidem illi vnicæ oui dicitur] Mendoſè Lutetiana, illæ vnicæ.

Ira quippe non redditur niſi debita] perperam ita quippe.

Et hinc intelligunt vaſa miſericordiæ, cùm gratuita illis miſericordia præbeatur quòd iræ vaſis] Non ſatis arridet hic locus, legendumq; ſuſpicor, Et hinc intelligũt vaſa miſericordiæ quod gratuita illis miſericordia præbeatur, cum iræ vaſis.

IN CAP VII.

Quod verò laude ſanctorũ] Pro eo quod erat laude ipſorum.

IN CAP. VIII.

Beatiſſimum, corona etiam martyrij glorioſiſſimũ Cyprianum, nec Africanis atque Occidentalibus tantum, verùm & Orientalibus Eccleſiis fama prædicante, & ſcripta eius longè lateque diffundente notiſſimum] Quanta fuerit olim viuentis adhuc B. Cypriani fama, quanquam per vniuerſas totius orbis Eccleſias celebris, cùm ex eius, tum cæterorum ſcriptis facilè intelligi poteſt. Nam primùm quidem vt Africam omittam, in cauſa perſecutionis, lapſorum, Nouatiani, inter eum ac Romanam Eccleſiam vltro citroq; literæ commeabant. Scribebantq; ad eum non modò clerus aut clericorum collegi[um], ſed & ipſi quoque ſummi pontifices Cornelius, Lucius, Stephanus. In Hiſpaniis Martialis quidam & Baſilides epiſcopi negotium faceſſunt Eccleſiæ: ea ex communi decreto ad Cyprianum rem defert, conſilium ab eo poſtulans. In Gallia Martianus Arelatenſis epiſcopus Nouatianis conſentiens perturbabat eius loci fideles; id Cypriano renunciat Fauſtinus Lugdunenſis epiſcopus, is Romano pontifici. In Oriente quæſtio mouetur de baptiſmo ab hæreticis collato; viſum autem fuit epiſcopis Iconij Synnadæq; congregatis, licet à Stephano pontifice im[probatam], Cypriani tamen amplecti ſententiam: qua de re literas ad eum ſcribit [Fir]milianus Cæſariæ Cappadociæ epiſcopus, quæ extant apud D. Pammelium numero 75. Mortuus verò & martyrij corona & eruditionis l[aude] glorioſiſſimus ſemper fuit. Nam & feſtus illi dies ab Eccleſia conſtitutus eſt, [et eius] memoriæ plurima multis locis templa exædificata. Nazianzenus inter Græcos orationem ſcripſit in eius laudem: apud Latinos Prudẽtius Hymnum ei canit lib. περὶ ςεφάνων, numero 13. Meminit eius cum laude & Lactantius lib. 4. inſtitutionum cap. 1. Nec præterit Euſebius lib. 6. cap. 37. & lib. 7. cap. 3. Baſilius quoque epiſtola ad Amphilochium. Nec non Euagrius lib. 4. cap. 16. ex Procopio. Inter cæteros verò B. Auguſtinus ſingularis fuit ingenij doctrinæq; eius & amator & prædicator, cum aliis in locis, tum verò lib. 2. contra Creſconium cap. 32. Cuius laudem, inquit, conſequi non valeo, cuius multis literis mea ſcripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyrium veneror. De ſcriptis verò eius peculiariter loquens Hieronymus, Huius ingenij, inquit in Catalogo virorum illuſtrium, ſuperfluum eſt indicem texere, cùm ſole clariora ſint eius opera. Et Auguſtinus lib. 4. contra Donatiſtas cap. 8. librum eius, ſeu epiſtolam, vt ipſe vocat, de zelo & liuore citans, etiam in populis notam fuiſſe ait. Videntur autem eius ſcripta non tantùm quæ ad baptiſmi quæſtionem pertinent, ſed & cætera quoque Græcè olim verſa fuiſſe. Quod non modò ex Auguſtini verbis, ad quæ hæc annotamus, ſed ex Chryſoſtomi etiam homil. 11. in epiſtolam ad Epheſios non obſcurum eſſe arbitror. Vir quidam ſanctus, inquit, quippiam dixit, quod audacius dictum videri queat; dixit tamen. Quid autem id eſt? Peccatum videlicet iſtud (loquitur autem de ſchiſmate) ne martyrij quidem ſanguine deleri. Vbi Cyprianum ab eo intelligi, non dubitabit, quiſquis eius de hoc argumento ſententias legerit. Diximus ea de re nonnihil & ſuprà ad lib. 4. con[tra] Do[na]tiſtas cap. 17.

etiam ipſe hæreſiarchas iſtorum Pelagius cum debito certè honore commemorat, vbi teſtimoniorũ librum ſcrib[en]s eum



aſſerit

A aſſerit imitari, hoc ſe dicens facere ad Romanum, quod ille feceri ad Quirinum ] *Cyprianus tres libros teſtimoniorum ad Quirinum quendam ſcripſit, in quibus ſcripturam ſacram velut in locos communes redegit; ſingulas ſententias ad certa quædam capita & titulos referens. Id operis imitatus eſt Pelagius, vt ait Auguſt. tum hoc tum ſequenti capite: Teſtatur & Hieronymus non procul à fine lib. 3. contra eundem Pelagium, B. martyr Cyprianus, inquit, cuius te in ſcripturarum teſtimoniis digerendis (ſic enim legendum, non dirigendum) æmulum gloriaris. Imò verò, vt idem ait lib. 1. non imitatorem ſe modò Cypriani, ſed & operis eius expletorem profeſſus eſt. Cæterùm Pelagius in hoc ſuo libro quem, vt ait Gennadius, Eulogiarum inſcripſit, & Romano cuidam dedicauit, haud exigua hæreſeos ſuæ ſemina inſperſit, titulos in eo multos proponens erroribus ſuis accommodatos, quorum non paucos recitat refutatq; Hieronymus ſuprà dicto lib. 1. côtra eundem Pelagium, vbi eum ait & Cypriano aduerſari, cuius tamen ſe imitatorem profitebatur.*

& venena ſerpentis antiqui curaſſet] *Ita rectius cum Cypriano, quàm* antiqua.

niſi iterum pietas diuina ſubueniens ] *Ita rectè excuſa vetera Cypriano conſentientia, pro* ſuperueniens.

B Dei ſententia cogitetur, inquit] *Perperam Lutetiana cum veteribus excuſis voculam* Dei *prioribus annectunt, cùm initium ſententiæ ſit huius Cypriani.*

quàm patientes in iſto ſeculo eſſe debeamus] *Ita locum hunc ex Cypriano caſtigauimus, pro eo quod erat* in illo ſeculo.

qui ſic naſcimur vt preſſuris iſtis ] *Apud Cyprianum* iſthic *hodie legitur, ſed videtur noſtra lectio commodior.*

Abſit enim vt hinc aliquando fides Chriſtiana dubitauerit] *Ita rectius, quàm* vt hic.

horrere debeat oſculari] *pro* horrore, *quod eſt in Lutetianis.*

antequam terris noſtris vel tenuiſſimus odor Manichæi peſtilentiæ tetigiſſet] *Vide quod hac de re diximus ſuprà ad cap. 29. lib. 2. De nuptiis & concupiſc.*

IN CAP. IX.

dum abſentes & non communicantes à cæleſti pane prohibemur] *Cyprianus habet* dum abſtenti, *(quæ vox vetus eſt idem valens quod excommunicati ſeu ab altari ſegregati) quomodo fortaſſis & hic legendum videri queat, niſi alterum illud ſuis paulò poſt verbis repeteret Auguſtinus, ſimiliterq; citaret lib. De dono perſeuer. cap. 4.*

C inde claritas eius & dignitas caput ſumit ] *Ex Cypriano adiecimus* eius.

quando non ex ipſa iuſtificari hominem ] *Perperam* ex ipſo, *de lege enim loquitur.*

Nunquid ſicut iſti, ſpiritum ſanctum adiutorem ita credit eſſe virtutis] *Sic rectè Louanienſis editio, pro* adiutorium.

quæ ab hoc adiuuatur] *Non* quæ ad hoc.

ne intercedente aliquo grauiore delicto ] *Non rectè Lutetiana* non intercedente.

IN CAP. X.

Agnoſcamus itaque fratres, inquit] *Ita cum Grauio locus hic diſtinguendus, conſentiente etiam Cypriano. Prius,* illud agnoſcamus, *ad præcedentia Auguſtini verba referebatur, cùm ad Cypriani pertineat ſententiam.*

Nec quiſquam ſic ſibi de puro atque immaculato pectore blandiatur] *Mendosè Lutetiana* Ne quiſquam.

ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat ] *Hæc adiecimus ex Cypriano, cùm ſimiliter locus iſte paulò infrà citetur ex ſermone in orationem Dominicam.*

D quàm neceſſaria, quàm benigna eſt diuina clementia, quæ] *Et hæc in excuſis noſtris deſiderabātur, legit autem Cyprianus, ſuntq; ad ſententiæ integritatem neceſſaria.*

lucrum maximum computans] *Ita Cyprianus, pro eo quod erat* lucrum putans maximum. *Nam & alterum ab Auguſtino ſcriptum fuiſſe liquet ex eius verbis non ita procul à capitis huius fine, vbi hæc repetens* niſi quia lucrum maximum, *inquit,* computabat.

Et ne quis ſibi quaſi innocens placeat ] *Sic & Amorb. conſentiente Cypriano, pro* Et ſi quis.

fidelis & iuſtus eſt Dominus] *vocem* Dominus, *addit Cyprianus, non hoc tantùm loco, ſed & ſuprà lib. De opere & eleemoſynis.*

neminem in hac vita ad tantam perfectionem peruenire iuſtitiæ] *Mendosè* pertinere iuſtitiæ.

IN CAP. XI.

reſpondeat eis hac de re homo Dei] *Perperam* domo Dei.

Item de arca Noë: Per vnum igitur, inquit, Dominū Ieſum] *Locum hunc in Ambroſio non inueni nec in eo quidem libro quem ſcripſit de Noë & arca, à quo fortè diuerſus eſt iſte de arca Noë. Idem citatus eſt & ſuprà lib. 2. contra Iulian. cap. 2.*

A eo ipſo quo diuinum auxilium poſcit præcedere ] *Ita rectè Louanienſia, pro* poſſit.

Et orare Deum, inquit, gratia ſpiritalis eſt] *Mendosè* orate.

quia ſine vllo peccato vixerunt] *Non rectè Lutetiana,* qui ſine.

prouectior & perfectior eſſe non poſſit] *In iiſdem typographico errore,* profectior *legitur.*

videamus ne qua ſit poſt huius vitæ curriculum noſtra regeneratio] *Sic vetera excuſa Amorb. & Frobenij. Quare miror quis pro* curriculum, *ſcribendum putarit* circulum, *præſertim cùm ſimiliter legatur & ſuprà lib. 2. contra Iulian. cap. 8.*

cùm etiam Paulus imperfectum ſe dicat] *Locò* ſe, *erat* eſſe.

cùm vtique ſi minutius diſcutias] *Perperam* minutias.

IN CAP. XII.

hanc etiam gloriā captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis ſynodus cōgregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur ] *Eodem exemplo & noſtri temporis hæretici ad vniuerſalem olim ſynodum à pontifice appellarunt, quæ cùm ſit nuper Tridenti peracta, nec finita iam cauſa litem erroremq; ſuum finire volunt.*

B qui oues ſanctas & iuſtas gratis facit] *Mendosè* gratas.

*Annotationum in libros quatuor contra duas epiſtolas Pelagianorum finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI DE ANIMA ET EIVS ORIGINE LIBROS IIII.

*Ex collatione ad* MS. *B. Amandi, Cambronenſe, Carthuſienſe, Gemblacēſe, Tornacenſe, necnon veterem Amorbachij ac Frobenij editionem.*

C QVANQVAM *libri iſti de anima & eius origine, vt ex Retract. conſtat, ſcripti ſunt ante illos quibus Iuliano ac literis Pelagianorum reſpondetur, nimirum paulò poſt reditum eius ex Mauritania; certis tamen de cauſis viſum eſt eis poſtponere: tum quòd ſuperiores illi aptiſſimè inter ſe cohæreant, vt non poſſet eorum ordo turbari; tum quòd in iiſdem illis libris, vt & prioribus quibuſdam, quoties argumentum hoc incidit, breuiter id tantum Auguſtinus attingat, ac veluti reijcere videatur in aliam peculiarem & accuratiorem ea de re tractationem, quæ ſuæ cunctationis pleniſſimam reddat rationem. Vt lib. 2. De peccatorum meritis cap. vltimo, lib. 5. contra Iulian. cap. 4. & 15. & lib. 3. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 10. Ergo quia opus iſtud veluti claudit atque abſoluit quæſtionem De peccato originali, & baptiſmate paruulorum; nec in ſequentibus libris vlla fit amplius eius mentio, iure optimò hic ei locus tributus eſt. Pertinent autem ad hoc argumentum tom. 2. epiſt. 7. 27. 28. & 157. omnes ante hoc opus conſcriptæ.*

IN LIBRI PRIMI CAP. I.

proximè præterita æſtate] *non* proxima.

in meam non perferre notitiam] MS. *tria legunt* proferre.

IN CAP. II.

nunquid nam debuit reticere?] *Ita malim, quàm quod conſtanter tamen habent* MS. nunquam debuit reticere.

D Deberet quidem tantum ſcribere potius ad me ] MS. *conſtanter legunt,* deberes tu quidem, *vt antitheſis quædam ſit inter Renati & Vincentij perſonam.*

ſed ille quòd mihi ignotus eſſet] *Non eſt in* MS. *vocula* ille, *& abeſſe facilè poteſt; niſi cum iiſdem legas in priori parte,* deberes tu quidem.

IN CAP. III.

quamuis ſit tolerabile ſi permanſerit] *Sic* MS. *non* intolerabile, *ſentit enim de ſermonis luxuria, quam ait tolerādam ſi recta ſaperet.*

perſuadeatur] *Sic Amand. pro* perſuadetur.

& in pretioſo pacto] *pro* vt in.

IN CAP. IIII.

vel de flatu facta] *Hoc in excuſis deſiderabatur.*

ſed de ſubiacenti re aliqua flabili] *Pro* flabili, *perperam legebatur* ſtabili.

ac per hoc etiam immutabile ſit] *pro* fit.

IN CAP. VI.

Nam hoc meritum quo in carnem peccatricem miſſa eſt] MS. *conſtan-*



*ter legunt,* carne peccatrice. *ſed priorem lectionem habes paulò poſt* mitteretur in carnem, *& infr. cap. 11.* vnde dānari meruerint in peccatricem carnem, *& cap. 12.* à iuſto Deo in carnem peccatricem relegari atque damnari.

nihil mali fecit] *Sic* MS. *duo, pro* malè.

IN CAP. VII.

vt in corpus eam peccati relegare voluerit ] MS. *quatuor habent* religari, *quomodo legunt & infrà cap. 12.* in carnem peccatricem religari: *ſimiliter & cap. 13. lib. 2. Sed magis placet Cambron. exemplaris lectio, nam præterquam quòd durus vehementer ſit ſermo ille, ſuprà cap. 6. habes,* in carnem peccatricem miſſa eſt. *Et mox,* quo merito inquinanda mitteretur in carnem, *& cap. 19.* in carnem peccatricem fuiſſe detruſas, *& lib. 2. cap. 7.* vt veniret vel mitteretur in carnem.

vnde tantum mali] *Sic* MS. *omnia.*

IN CAP. VIII.

alia ſubſtruuntur opprobria] *pro* ſubſtrahuntur, *legunt manuſcr. omnia.*

in qua ipſa ſaxa] *Ex* MS. *adiecimus* ipſa.

tam horrendis cautibus illiſus ] MS. *legunt* illatus, *ſimul & Amorbachius.*

aliqua ſi valuerit ratione defendat] *Pro* valuerit, *perperam legebatur* voluerit.

Non enim hoc exigerem] *Sic manuſcr. omnia ſingulari, non plurali numero.*

vtrum bonum fuerit an malum ] *In excuſis perperam erat* anne malum.

molietur aſtruere] *pro* moliretur.

Et de his] *Sic* MS. *omnia, non* Quod de his.

IN CAP. IX.

feruente perſecutione prouenit] *Sic* MS. *pro* euenit.

Tunc enim fides eius de ligno floruit, quādo diſcipulorum marcuit] *Sentire videtur Apoſtolorum fidem in Chriſti paſſione periiſſe. Vnde mox ait eos de moriente deſperaſſe.*

niſi cuius mortis ] *Videtur deeſſe huiuſmodi aliquid,* & prorſus iacuiſſet emortua, niſi *&c.*

qui vitam in moriente quæſiuit] *Pro* qui, *perperam erat* quam.

IN CAP. X.

qui ſeptennis mortuus fuerat] *pro* fuerit.

in damnationem mortis ierit] MS. *quædam legunt* mortuus.

IN CAP. XI.

& videat quid eligat] & *pro* vt.

IN CAP. XII.

vt damnati mererentur in carnem] *pro* mereantur.

in carnem peccatricem relegari ] *Non dubitaui locum hunc ita reſtituere, pro eo quod prius erat* religari. *vide ſuprà cap. 7.*

quia iudicabitur ſecundum eam quæ in illo fuerat futura malitiam] *Ita malim cum* MS. *quàm* malitia, *& mox* innocentiam, *potius quàm* innocentia.

Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum] *Futurum duobus modis dici poteſt; vel quod aliquando eueniet; vel cuius cauſa præceſſit, ſiue res eueniat, ſiue non. Sic Ezechiæ prædictum eſt à propheta, futurum vt moreretur, quia talis erat morbus ex quo mors conſequeretur, niſi præſtitum fuiſſet impedimentum. Sed quod iuxta priorem modum abſolutè fiet, id propriè futurum dicitur, & ſecundum hanc futuri rationem loquitur hic Auguſtinus. Qua de re diſſerit & lib. De prædeſt. ſanctorum, cap. 12. 13. & 14. De dono perſeuerant. cap. 9. & epiſt. 105. ad Sixtum.*

IN CAP. XIII.

Hoc itaque medium] *Legendum videtur* meritum.

Ex hoc peccato] *Sic* MS. *omnia & Amorb. pro* Ex quo peccato.

nihil horum quatuor iſte dicat] *pro* dicit.

Si hæc nobis dicere non audens] *Sic* MS. *conſtanter, pro quo legebant excuſa;* Si hæc nolens dicere.

damnandus incurret] *Sic potius cum* MS. *quàm* incurrit.

IN CAP. XIIII.

quoniam ſanctarum ſcripturarum ] *Sic conſtanter manuſcr. pro* quando.

quæ iam poſuit] *Cambron. legit* propoſuit.

dicente propheta, Sic dicit Dominus ] *Excuſa legunt,* Hæc dicit Dominus. *ſed cum* MS. *conſentiunt & Septuaginta.*

qui & inſedit ſuper vnumquemque] *Ex* MS. *adiecimus* ſuper.

Quod autem Græcus dixit πνοὴν] *Miror quis* πνεῦμα *ſcribendum putarit contra* MS. *omnium fidem, adeoq; contra ipſam loci ſententiam. Ait enim Auguſtinus in Græco hanc vocem haberi; quod & verum eſſe deprehendet qui Septuaginta inſpexerit.*

Spiritus diuinus qui fecit me; aſpiratio autem omnipotentis

A docet me ] *Locus eſt Iob 33. ſecundum Septuag. pro quo nos habemus, Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Cæterùm pro* aſpiratio, MS. *legunt* inſpiratio, *ſed parum intereſt.*

qua tandem ratione audebit aliquis definire animam aut ſpiritum, quo natura noſtra viuit, loco illo voluiſſe ſignificare prophetam ] *Videtur deeſſe aliquid* à Deo ſine propagine dari, *vel ſimile quid. Nam alioqui paulò antè ait hoc temere negari.*

ex origine præcedentis generis ipſe det] *Ex* MS. *adiecimus* ipſe.

non niſi animam] *Excuſa addebant* hominis, *ſed non eſt in vllo manuſcr.*

ſignificatum arbitrentur ] *pro* arbitrantur, *præceſſit enim* ſic intelligant.

quiſque intelligat ] *Ita libenter loquitur Auguſt. pro* quis*: conſentiunt & manuſcr.*

quod eum Deus det] *perperam* eam.

Spiritus enim à me exiet ] *Ex manuſcr. adiecimus* enim, *& legunt Septuaginta.*

Et puto quod non extra fingat, ſed in ipſo ] *Pro quo legebatur mendosè,* Et puto quod non extra, ſed in ſeipſo.

B Et tamen vt certum eſt] *Perperam prius,* & tamen vt eſt certum eſt.

paruiſtis in ventrem meum] *Sic conſtanter* MS. *non hoc tantùm loco ſed infrà aliis præterea duobus: qua verſione vſum Auguſt. arbitror; vt quæ Septuaginta proximè exprimat, vbi etiam accuſatiuus legitur.*

IN CAP. XV.

quia de viro eos ſe concepiſſe] *Ex* MS. *adiecimus,* ſe quod nobis dicere non erubuit] *Verba Vincentij prolixè citantur infrà lib. 4. capite 2.*

nec tamen comparatur pecoribus inſenſatis ] *Redundat quod hic addunt,* aut ſimilis facta eſt illis. *Nam præterquam quòd inanis ſit tautologia, non legitur in* MS. *noſtris, & Amorb. qui primus id adiecit, maſculino genere legit,* & ſimilis factus eſt illis, *cùm de Machabæorum matre agatur. Vnde apparet aſſutum abs quopiam qui verba Pſalmiſtæ repetenda putarit.*

vtrum ſimul cum anima formauerit] *Pro* cum anima, *excuſa legebant* animam.

vtrum illam de patre meo traxerit] *non modo* traxetit.

IN CAP. XVI.

nec me pudet, vt iſtum, fateri neſcire] *Perperam in excuſis,* vt

C iſtud fateat neſcire.

Sed intellige, inquit, quod ait Apoſtolus] *ſingulari, non plurali numero,* intelligite.

IN CAP. XVII.

& nihil iam relinquetur eis] *Miror vnde in vulgata irrepſerit altera negatio,* nihil iam non, *cùm eam non legant non ſolùm* MS. *ſed nè vetera quidem Amorbach.*

ſiue ex parte tota natura humana duca[illegible] *[illegible]* MS. *[illegible] correcta erat hæc lectio, &* factum *patre: ſi illud retineas, ſignificabitur ſ[illegible] ecdoche figura.*

animarum negare propaginem] *Pro* animaru[illegible] *[illegible] legebatur* animam.

id eſt omnes homines ] *Redundat* in quo, *quod in excuſis hic inſeritur.*

cùm homo non ſola ſit caro] *pro* ſolùm.

illud verò quod dictum eſt, in quo omnes peccauerunt, ſola omnium hominum caro intelligenda eſt, quæ inde transfuſa eſt, à toto partem ſignificante ſcriptura ] *Pendet ex ſuperioribus ſententia, vbi docet in diſputatione aduerſus propagationis animarum vel*

D *aſſertores vel impugnatores, à ſcripturis illis abſtinendum, quæ in diuerſum facili queant interpretatione conuerti. Quarum inter cætera, duas iſtas inter ſe confert, alteram Actor. 17. Ipſe dat omnibus vitam & ſpiritum, fecitq; ex vno ſanguine omne genus hominum; ex qua Vincentius Victor ſolam carnem traduci conuincere conabatur: alteram Roman. 5. In quo omnes peccauerunt; qua ſignificari videatur & animam de ſemine trahi. Reſponderi enim poſſe, etiam ſolo* ſanguine *nominato, per ſynecdochen, totum hominem intelligi; & per* omnes homines, *ſolam fortaſſe carnem accipiendam eſſe; illic ex parte totum, hic ex toto partem ſignificante ſcriptura. Nam ſi & in aliis quibuſdam ſcripturis tropum hunc adhibere non dubitent, nihil obſtare quominus & aduerſarij eodem vtantur. Poſt quam diſputationem ita ſubdit:* Si enim hoc eſt verum quod iſti aſſerunt, vt non ſit anima ex anima, ſed caro ex carne; ſit tantum; ita dictum eſt ex vno ſanguine, vt non totus homo ſignificaretur à parte, ſed tantum vnius hominis caro: illud verò quod dictum eſt, in quo omnes peccauerunt, ſola omnium hominum caro intelligenda eſt quæ inde transfuſa eſt.

à toto partem ſignificante ſcriptura] *Ac deinde ſubiungit quomodo pro altera ſententia eadem forent accipiēdæ ſcripturæ: Vbi [illegible]ud dubiè [illegible]il aſſerit*

nihil aſſerit vel affirmat Auguſtinus, ſed condicionalis eſt eius ſermo. Vnde & in præcedentibus dubitandi verbo vtitur: Sicut ergo hinc iſte, inquit, non debet opprimi, quia fortè ita dictum eſt omnes homines, vt ſecundum ſolam carnem intelligerentur. Neq; rurſum id ſentit Auguſtinus, vt ſi verum ſit ſolam carnem generatione traduci, Apoſtolus Roman. 5. animam faciat peccati originalis exortem; dicens in eo quod ſcriptum eſt, in quo omnes peccauerunt, ſolam omnium hominum carnem intelligendam. Refert enim hoc non ad peccatum, ſed ad inexiſtentiam omnium in primo parente, in quo iuxta prædictam ſententiam non ſecundum animam ſed ſecundum ſolam carnem fuerimus; ſed quæ mox vt carni coniungitur vitium et ipſa contrahat, vt diſſerit Auguſtinus lib. 2. De peccat. meritis cap. 36. & fortaſſe tanquam in vaſe corrupto & vitiato ipſa quoque in carne vitiata corrumpitur, vt habet lib. 5. contra Iulian. cap. 4.

quia ipſe dat omnibus vitam] Ex MS. adiecimus ipſe.

quam tamen dare ex propagine non negatur] pro negetur.

IN CAP. XVIII.

vbi facta mulier de latere viri, adducta eſt ad eum] Excuſa legunt, vbi facta eſt mulier, ſed redundare verbum eſt, docet ipſa ſententia, nec legit Amorbach.

nec ait, ſpiritus vel anima de ſpiritu meo, vel de anima mea] Redundat prior vox anima, vbi legitur in excuſis vel anima de anima mea, præceſſit enim.

quod ad hanc rem pertinet] Sic rectè MS. pro eo quod erat in excuſis, quæ ad hanc rem pertinent; hærent enim cùm ſequentibus; vtique ambiguis.

Verbum homo factum eſt] non factus.

Pari vice admonemus etiam hos] Pro etiam, legunt MS. ergo, quædam igitur.

IN CAP. XIX.

Hoc enim qui credit] pro credidit.

Nam de quo quiſque] Redundat eo, quod in excuſis additur:

inquinari animam meruiſſe per carnem, & eſſe meruiſſe animam peccatricem] Sic conſtanter MS. pro quo erat in excuſis, inquinari animam meruiſſe & per carnem meruiſſe eſſe animã peccatricem. Priori lectioni conſentit quòd habes infrà lib. 4. cap. 11. quòd anima per carnem meruerit inquinari, & eſſe peccatrix, nullum habens antè peccatum quo rectè id meruiſſe dicatur.

ſecundum Pelagianam hæreſim olim damnabilem, nuper-[illegible]neque damnatam] MS. tria legunt, nuperrime quidem natam. Sed magis placet quod habent excuſa cum alijs MS. cui & conſentit ſimilis locus epiſtola ad Optatum 157. vbi idem tractatur argumentum.

IN CAP. XX.

bene viuendo & ſana docendo] MS. conſtanter legunt ſana dicendo, cui conſentit quod paulò infrà lib. 2. cap. 1. dicitur, prius det operam recta ſentire: Reliquimus tamen quod erat in excuſis, nam & Tornacenſ. exemplar eam quoque habebat ſupra ſcriptam.

verè frater[illegible]que ſincera dilectione] pro vera, fraterna.

# IN LIBRI II. DE ANIMA ET EIVS ORIGINE
## CAPVT PRIMVM.

Diceris eis recitatis] Perperam recitata.

IN CAP. II.

ſecundum id quod ſcriptum eſt, Abſoluiſti à ſpiritu meo animam meam] Locus eſt Iob 7. ſecundum Septuag. Vbi nos legimus, elegit ſuſpendiũ anima mea. Citatur & infrà lib. 4. cap. 22. Quanquam Septuaginta hodie legunt non abſoluiſti, ſed abſolues, quomodo legitur apud Auguſt. in annotationibus ſuper Iob.

quo nobiſcum vident & paſſeres, & mox, quo videbat Tobias] Pro quo, vtrobique manuſcr. vt & vetus Amorb. conſtanter legunt quod; prius refertur ad ſenſum, poſterius ad album & nigrum, iuſtum & iniuſtum.

IN CAP. III.

Sicut enim arbitror te nunquam in Catholica] MS. ſic legunt; Sicut enim non arbitror te vnquam in Catholica. Sed eodem recidit.

cum mundo concreata materia] perperam concreta.

Si hæc cum Catholico loquor] Sic rectè manuſcr. pro Sed hęc: Repetens enim infrà eandem ſententiam, Si ergo hæc, inquit, vt dicere cœperam.

quæ vnde anima fieret] perperam erat inde.

non ad Dei naturam cum horrenda blaſphemia referretur] Cùm ſic legant & MS. & Amo[illegible] quis deprauandum hunc locum putarit, ſcripſeritq; nonne ad Dei naturam cum horrenda blaſphemia [illegible]eferetur?

de numero fidelium, quod à te Deus auertat, ex[illegible]aris] MS. legunt de numero infidelium, quod à te Deus auertat, exiſtimeris. Nos retinuimus quod erat in excuſis, nam illud exiſtimaris; ſatis indicat alterum eſſe germanius.

IN CAP. IIII.

Et non reprehendo] pro At, vt liquet quoque ex proximè præcedentibus.

etiam hoc quàm non te docuerit] Sic MS. omnia, quod magis placet quàm quod erat in excuſis, quod hoc an non te docuerit. Docuiſſe autem negat, quia id certis & efficacibus rationibus non probarat: quomodo paulò pòſt cap. 6. ait, Quare ſi hoc te credis ab iſto didiciſſe, quòd anima non ſit ex traduce, vtinam id verè didiciſſes, me tibi docendum libentiſſimè traderem. Sed aliud eſt diſcere, aliud videri ſibi didiciſſe. Si ergo te didiciſſe arbitraris quod adhuc neſcis, nondum planè didiciſti, ſed temerè credidiſti, quod libenter audiſti, &c.

Sed ne fortè aliud ſit] Prius erat aliud ſi.

carne torqueri, ſiue gloriari] Legendum arbitror coronari. Nam gloriari, paſſiuè dici pro gloria affici nimis eſt inſolens.

qui poſt mortem ablatus eſt in ſinum Abrahæ] Prius erat oblatus; ſed non rectè, vt liquet ex Græco textu Lucæ.

cuius infernus cruciatus] MS. duo legunt, cuius in inferno cruciatus, quod mallem, niſi & alterum in tribus reperiretur.

deſtinas quærit] Neſcio ex quo authore id vocabulum Vincentius hauſerit, videtur autem fulcra aut vincula, & ligamenta ſignificaſſe. Quò fortè pertinet quod annotant Grammatici verbum deſtinare poni aliquando pro alligare, citantes illud Appuleij, qui & ipſe Afer fuit, lib. 4. De aſino aureo, arreptum me loro quàm valido ad anſulam quandam deſtinato, &c.

impendere manſori] id eſt inhabitatori. qua voce vtitur & infrà cap. 10. MS. quoddam habet manſuro, reliqua manſori, etiam Amorbach. nullum manſuri, quod erat in vulgatis.

carni ſuæ deſiderare cibum] MS. legunt carnis. ſed paulò pòſt repetens hanc ſententiam Auguſt. aſſerens, inquit, non animæ requiri alimenta, ſed corpori.

Hæc nempe ille iuuenis ſua ſenſa] Pro ſua ſenſa, MS. duo legunt ſuadendo.

IN CAP. V.

Quærat & inueniat ſi potuerit] Perperam prius, Quærat vt inueniat.

Ille quippe ſicut animam, ita & Deum corporeũ eſſe contendit] Annotârat hic quiſpiam ad marginẽ, Corpus dixit ſubſtantiam, tanquam falſò hic Auguſt. Tertullianum reprehendiſſet, vt qui animam & Deum corporeum dixerit, non quia verè corpore conſtarent, ſed quia ſubſtantiæ eſſent: Sed non arbitror ei lectum eſſe Tertulliani de anima librum.

IN CAP. VI.

ibi conſtituunt pondus] MS. tria legunt conſtituant.

IN CAP. VII.

ex illa originem trahere, per originem] Illud per originem, in MS. quodam diſpunctum erat; quod ſi legas, ſenſus eſt, per propaginem ſeu generationem.

IN CAP. VIII.

putáſne iſta ſaltem poſtea legiſti] In excuſis erat, putáſne ſi iſta, ſed repugnante ſenſu, & reclamantibus MS. & Amorb.

& quid in recitante laudaueris] MS. legunt recitatione, ſed Gemblacenſ. alteram quoque habet lectionem adſcriptam, quam & malim, nam & infrà cap. 9. Sed hoc de veſtra prudentia qui adfuiſtis cùm recitaret, iſte præſumpſit.

repleuit tempora longa] MS. quædam legunt multa. ſed prior lectio eſt Septuaginta interpretum.

De non baptizatis infantibus eſſe ſcriptum] Pro de, perperam legebatur &.

IN CAP. X.

Cernis hominem eas manſiones] Sic MS. omnia; pro quo in excuſis erat, Cernis hominem paradiſum & manſiones, ſed non rectè, nam paradiſus quem Chriſtus eodem die latroni promittebat, non erat locus cæleſtis, ſed Dei viſio & fruitio. At probare hic vult Auguſt. non eſſe manſiones à Chriſto nominatas, extra cælum quærendas. Error natus eſt ex vetere Amorb. & Frobenij editione, vbi ſic legebatur: Cernis hominem æquè manſiones, vnde poſt factum, paradiſum atque manſiones. Quanquam poſſent illa quoque verba ſenſum habere idoneum, vt ſignificent videlicet, Vincentium velle manſiones iſtas collocare extra regnum cælorum æquè atque paradiſum. Sed non legunt hoc manuſcr. noſtra.

neque enim Dominus Ieſus] Ex MS. adiecimus Ieſus.

IN CAP. XII.

Nam ſupereſſe illis adhuc] Ita pro iam, legunt MS. duo; quomodo repetitum habes infrà lib. 3. cap. 13.

Propter



Propter has enim] MS. quoddam legit hos, vt quaſi ad ſequentes referatur, latronem atque Dinocratem, ſed non rectè; reſpicit enim animas, quod paulò antè poſitum erat.

Nouellos hæreticos Pelagianos] Latius hoc explicat epiſt. 157. ad Optatum, vbi idem prorſus tractat Auguſtinus.

Atque vt ab hac ſententia exceptos martyres faciat] Locus notandus pro virtute martyrij.

in omnes homines in condemnationem] Non ad condemnationem, nam illud habent MS. & Græca Paulina, & citat ſic paſſim Auguſtinus.

Catholicam fundatiſſimamque fidem] In MS. deeſt copula.

IN CAP. XIII.

vt in corpus eam peccati relegare voluerit] MS. legunt religare, ſed ſuprà lib. 1. cap. 7. docuimus alteram eſſe germanam lectionem.

querulis murmurationibus oblatrantium] MS. duo legunt obtrectantium, ſed prius illud habes ſuprà lib. 1. cap. 8. vbi locus iſte ſimiliter legitur.

Illum ergo turbinem] MS. tria legunt ego, pro ergo.

Quod opuſculum meum cùm apud te inueniſſet] Loqui videtur de lib. 2. ad Marcellinum de peccatorum meritis cap. vltimo, aut epiſt. 157. ad Optatum, vel 28. quæ eſt ad Hieronymum. Aut certè de lib. 3. De libero arbitrio, vbi cap. 21. hoc argumentum attingit.

IN CAP. XIIII.

in eo libro quem ſcripſi ad amicum noſtrum] Perperam legebatur ſcripſit.

quæ tamen ab illo ex propagine ſeminis] manuſcr. legunt propaginis ſemine.

IN CAP. XV.

& naturam Dei mutabilitatis opprobrio] perperam mirabilitatis.

etiam pro non baptizatis] Non baptizandis.

carni inſerat peccatrici] MS. duo legunt inſeruerit.

IN CAP. XVI.

inter illitas fibras elementorum veſtigia remanentia ſollicitent] MS. tria legunt inter illicitas fibras. aliud inter implicitas. ſed nimirum vera eſt excuſorum lectio. Sentit enim, vt ne quis fortè curioſior quæ deleta erunt veſtigare & legere conetur, librum diſcerpat.

meque huius cenſionis experte puni atramento quæ indigna eloquia ſignificauerunt] MS. tria ſic legunt hunc locum, meq; huius cenſionis expertem, puniant atramenta quæ indigna eloquia ſignificauerunt. Vetus Amorbach. legit etiam expertem, ſed in reliquis conſentit cùm excuſis.

ne hac occaſione] Sic MS. & Amorb. pro nec hac occaſione.

IN CAP. XVII.

Iſto igitur cùm ille ſuos libros] Excuſa legebant, iſto igitur modo, ſed perperam, refertur enim pronomẽ illud ad ablatiuos ſequentes initio, & termino.

onus religioſum correctionis] Sic rectè manuſcr. pro onus religionis.

quia putas eum rectè iſta ſenſiſſe] Pro iſta, erat in excuſis ita, ſed alterum conſtanter habent MS.

# IN LIBRI III. DE ANIMA ET EIVS ORIGINE
## CAPVT SECVNDVM.

ſic adiuuerit vt ea tibi ſcribenda] Sic rectè MS. pro quo mendosè in excuſis, ſi adiuuerit Dominus, vt, &c.

in eum tibi eſt transfiguratus] Sic MS. omnia, non in eo; nam & infrà eodem hoc capite ſimiliter legis, in quem ſe ad te fallendum transfigurauit maligniſſimus ſpiritus.

hoc breuiter intuearis admoneo] MS. legunt hoc breue. Priori lectioni fauet quòd habes infrà cap. 10. breuiter admonuiſſe ſufficiat; & mox, vt hinc te breuiter admoneam.

tu communicando Catholicis, interiſti] MS. tria legunt, tu ei communicando, Catholicis interiſti; ſed malim priorem ſentẽtiam; vt ſignificet quòd granditer peccauit, quòd animo Rogatiſta, Catholicis communicauerit; quia nimirum ficto animo id fecerit. Atq; hoc eſt quòd iam ſequitur.

& vtinam fructuosè] Tornacenſ. exemplar legit, & vtinam ſic fructuosè.

priuſquam per incautum vulgus] Imitatio Virg. lib. 4. Georg.

*Continuo ferro culpam compeſce, priuſquam*
*Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.*

ſalubris negligitur diſciplina] quam MS. lectionem malim, quàm excuſorum, quæ habebant medicina.

IN CAP. III.

vbi non putas eſſe conſequens] pro putes.

eiuſdem naturæ non ſit] perperam ſit.

IN CAP. IIII.

cùm hic ipſe ſpiritus hauſtus quo vter impletus extenditur] Sic Tornacenſ. exemplar. Prius erat, cùm hoc ipſo quo ſpiritu hauſto vter, &c.

ſine aliqua noſtri diminutione egeratur] Sic iterum Tornacenſ. pro geratur.

non ea ſit quod ipſe] Ex MS. duobus adiecimus voculam ea.

cùm ex nobis ad aliquid tranſmittimus flatum] MS. tria legunt, cùm ex nobis aliquem tranſmittimus flatum. Sed alteram lectionem habes infrà eodem hoc capite repetitam.

Hoc tertium nobis Deus alimentum circumfudit aurarum, quas ita carpimus, vt ſine cibo & potu, &c.] Alludit ad illud Virgilij lib. 1. Æneid.

*Quem ſi fata virum ſeruant, ſi veſcitur aura*
*Aetherea, nec adhuc crudelibus occupat vmbris.* Et lib. 3.
*Quid puer Aſcanius ſuperátne & veſcitur aura.*

& ſpiritum flabilem] Sic MS. omnia, pro vt ſpiritum, &c.

Quod enim ſufflando amittis] Sic MS. omnia, pro inſufflando emittis. priorem lectionem habes & infrà eodem hoc capite, ſi quando inſufflaſti, inquit, nihil te exiſtimas amiſiſſe.

quam tua dicta, quia iam dicta ſunt] MS. omnia, pro quia, legunt quæ. Sed videtur humani cordis notare ſuperbiam, quæ pertinaciter interdum ſententiam ſuam defendit; non quia veram putet, ſed quia ita ſemel ſenſit, ſcripſit vel dixit.

non inflans vtrem, ſed inflatus ipſe defendere] MS. duo hunc locum ſic legunt, inflare vt vtrem vel inflatus ipſe defendere. Tornacenſ. non vt vtrem inflatum te ipſe defendere.

ſed quia omnipotentes non ſumus] Ex MS. adiecimus ſed. Cui reſpondet quod paulò pòſt ſequitur; ſed quia ſic omnipotens eſt.

quamuis nos viuamus atque ſentiamus] Pro nos, perperam erat non.

IN CAP. V.

addendum putaſti & exemplum de beato Heliſeo] Pro &, legebatur ad, quod vel redundat, vel mutandum eſt prout mutauimus.

quia flando in eius faciem mortuum ſuſcitauerit] Sic omnia MS. in excuſis pro quia, erat qui. Cæterùm de flatu Heliſei nihil habet noſtra lectio; ſed deſumptum id eſt ex Septuag. quæ ſic habent, & incuruauit ſe ſuper eum, & inflauit ſuper eum, & calefactæ ſunt carnes pueri. Et paulò pòſt, Et aſcendit, & cooperuit ſuper puerum, & inſpirauit ſuper eum, & confortatus eſt puer ſepties, & motus eſt puer, & aperuit oculos ſuos.

quaſi ab illo aliquid tranſiſſe vnde viueret, credatur in puerum] Sic MS. omnia, pro quo erat, quaſi ab illo aliquid tranſiſſet vnde viuere credatur.

reuiuiſcentis animam pueri] MS. legunt re[illegible] animam pueri. cui lectioni ſatis fauet quod ſubijcio.

rediuiuam animam reciperet & ſpiritum] manuſcr. tria legunt, rediuiuæ animæ reciperet ſpiritum.

IN CAP. VI.

Non enim ſic accipitur] In excuſis decrat ſic.

quando in hoc corpore deſtiterint viuere] plurali, non ſingulari numero.

IN CAP. VII.

Exceptis antiquis hæreticis] Origeniſtis, qui id ex Platone hauſtum in noſtram religionem inuexere.

etiam recentius in Priſcillianiſtis iam Catholica damnauit Eccleſia] In concilio videlicet; primum Cæſarauguſtano in Hiſpaniis, poſtea in Burdegalenſi Galliæ. Vide Seuerum Sulpicium ſacræ hiſtoriæ lib. 2. & Leonem papam epiſt. 93. ad Turbium epiſcopum cap. 10.

IN CAP. VIII.

tamen neque in peccato remanſit] Deerat tamen, vt liquet ſuprà ex lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 8.

quia in Chriſto præfigurata] Deſiderabatur præpoſitio in, quam habes locis iiſdem iam citatis.

IN CAP. IX.

Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet] MS. noſtra omnia locum hunc ita legunt, Qui lotus eſt, non indiget vt lauetur.

De Sila, de Philemone] Sic MS. duo; conſentit & Græcus Lucæ textus Actorum cap. 15. 16. 17. 18. vbi Silam habes, non Sileam.

de quibus ſorore orante liberatus eſt, neſcio] MS. tria præponunt ſi, ante liberatus. ſed non placet ea lectio: nam illud neſcio, non huc refertur, ſed ad id quod paulò anteceſſit, cur non tibi viſus fuerit baptizatus.

IN CAP. X.

qui prædeſtinati baptiſmo, vitæ præſentis] Sic habes & ſuprà lib. 2. cap. 9.

at hoc

A aut hoc futurum non fuiſſe, neſciuit ] *Adiecimus negationem ex* MS. *vt videlicet baptizaretur.*

&fictio qua in peius mutetur] *Vocula* qua *deſiderabatur.*

vt quod in eo prædeſtinarat impleret ] *Id commodius quàm* prædeſtinauit.

& tamen non omnes in regno cælorum manſiones præpārentur] *In excuſis erat non rectè* manſoribus,*in quodam* MS. manſionibus. *ſed alteram lectionem habent tria caſtigatiora* MS.

Veniat regnum tuum] MS. *conſtanter legunt* Adueniat, *quomodo & vetus Amorbach. ac Frobenij editio. Lipſius hunc locum primus immutauit, neſcio an exemplar aliquod ſcriptum ſecutus; fortaſſe quia ſic legit Auguſt. lib. De dono perſeuerantiæ cap. 2. ſub finem; & hoc locò paulò pòſt.* Quid eſt ergo, *inquit,* quod oramus vt veniat. *Ceterùm aliis locis vulgatam ſequitur lectionem.*

etiam nunc vtique regnat ] *Sic conſtanter manuſcr. & Amorb. non* vbique.

Vt autem tibi manifeſtiſſimè appareat] *Perperam* ibi, *pro* tibi.

aliud eſt enim regni Dei muneribus honorari, aliud regni Dei legibus coërceri] *manuſcr. vtrobique legunt* regnum, *non* regni; *ſed non rectè.*

B non eſſe regnum cælorum diſtribuendum baptizatis ] MS. *tria locum hunc ita legunt;* non eſſe alias partes regni cælorum diſtribuendas baptizatis: *ſed prior lectio ſuperioribus magis conſentit, Nam in occupatione qua tacitæ reſponſioni cuiuſpiam occurrit Auguſtinus, regnum cælorum fingit partem regni Dei, illud in ſolidum à baptizatis teneri, in huius verò parte alias manſiones eſſe in quibus futuri ſint non baptizati infantes.*

IN CAP. XIIII.

quod tibiipſi credulus non ſis ea probari poſſe ] *perperam* probare, *vt liquet infrà ex cap. vltimo, & ſuprà lib. 2. cap. 16.*

veruntamen cauta, pia] *Ex* MS. *adiecimus* cauta, *ita conſentienter legentibus.*

Eſto igitur optimi] *Perperam* Eſt: *Exhortantis eſt enim ſermo. ſic enim præter* MS. *etiam Amorb.*

Audi ergo teipſum, tuque potiſſimum & maximè eloquij tui fructibus vtere] *Locus hic in* MS. *variè admodum legitur. Amandi ſic habet,* tuiſque potiſſimum & maximè elocutis fructibus vtere. *Tornac.* tuæque potiſſimum & maximæ elocutionis fructibus vtere. *Gemblac. legit* elocutus. *Reliqua cum excuſis conſentiunt. quam lectionem retinuimus.*

IN CAP. XV.

C quàm ſi quemlibet alium recta ratione reprehenderes ] *Sic* MS. *omnia, pro* reprehenderis.

& mirabilior eorum emendator, quàm ſi nunquam illa ſenſiſſes] MS. *conſtanter legunt,* quàm ſi nullam earum ſenſiſſes, *vt referatur ad vocem quæ ſuprà præceſſit* opiniones. *Sed obſtat quod in hac ſen[illegible] pro[illegible] antecedit* eorum, *niſi fortè mutandum ſit genus.*

veraciter te dixiſſe reſipiſcis ] *Fortaſſe legendum* reſpicis, *aut* recolis, *vel* recognoſcis, *aut ſimile quid.*

# IN LIBRI IIII. DE ANIMA ET EIVS ORIGINE

## CAPVT PRIMVM.

& doctrinæ adminiculo] *Sic manuſcr. pro eo quod erat;* & doctrina & adminiculo.

quod aliquis doctus & peritus ignorat ] *manuſcr. addunt* laicus, *ſed non placet.*

ſi qua cognouerint] *pro* cognouerunt.

IN CAP. II.

D diſiciendo ſcrutati ſunt ] *Locus videtur corruptus.* MS. *ſimiliter & Amorb. legunt* diſſiciendo, *fortè* diſſecando; *aut* diſcindendo, *aut ſimile quid.*

Qualitas vtique noſtra] *Non* itaque. MS. *conſentit & Amorb.*

cum corpore computatur] *Sic legunt ſingulari numero manuſcr. vna cum Amorbach.*

IN CAP. III.

& de natura noſtra vtrem inflari] MS. *legunt,* & natura noſtra vtrem inflare. *Et pro eo quod ſequitur,*

Et naturam noſtram inde minus nihil habere] MS. *legunt;* & natura noſtra nos minus nihil habere. *Aliter Amorbach.* & naturam noſtram in nos minus nihil habere. *Nos quod in excuſis erat retinuimus.*

IN CAP. IIII.

vt non ſolùm quid intus habe[illegible]t] *pro* quod. *Sequitur enim,* verùm etiam quid ad eam forinſecus accedat.

IN CAP. V.

quot autem animalium genera crearit] *pro* creauit.

Anima verò] *Sic* MS. *& Amorbach. non,* Animam.

IN CAP. VI.

cur multi conentur diſcere iſta, nec poſſint] *pro* poſſunt.

ſed de illa vi qua cogitationes fiunt] MS. *duo addunt præpoſitionem* in qua.

Et quiſquis conatus fuerit hæc diſcere] *Perperam* dicere.

non fruſtra ei dicetur] *Id commodius quàm* dicitur.

aut inſufflatur à Deo] *Non,* inſuffletur.

IN CAP. VII.

& intelligere & velle certiſſimi ſumus] MS. *tria legunt,* certiſſimè ſcimus.

Amicus quidam meus iam inde ab adoleſcentia, Simplicius nomine] *Inſignis memoriæ exemplū, quale fuit & Senecæ qui in proœmio ſuarum controuerſiarum, memoriam, inquit, aliquando in me floruiſſe, vt non tantùm ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet, non nego. Nam ad duo milia nominum recitata quo ordine erant dicta referebam: & ab his qui ad audiendum præceptorem noſtrum conuenerant, ſingulos verſus à ſingulis datos, cùm plures quàm ducenti efficerentur ab vltimo incipiens vſque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum quæ vellem, velox erat mihi memoria, ſed etiam ad continenda quæ acceperat fida. Celebrat ibidem memoriā Porcij Latronis, Cyneæ atque Hortenſij, &c. quibus & alij addi poſſent. Sed ad Auguſtinum redeamus.*

Et credidimus eum poſſe] *Sic manuſcr. tria, quod magis placet quàm* credimus. *Iam enim per experientiam norat, quod tunc in eo explorabat.*

& quandocunque diſcere niſi tentando & experiendo poſſet? ] *Ita putauimus locum hunc reſtituendum. Pro* diſcere, *excuſa* dicere *legebant,* MS. *tria* diſceret; *ſed Amorbach. lectionem prætulimus. Negationem verò quæ in fine erat auſi ſumus tollere, prorſus enim ſententiam perturbabat; ſic enim legebatur,* niſi tentando & experiendo non poſſet: *Porro* quandocunque, *pro* quando, *poſitum eſt: ſi diuinare liceret, mālim ſic,* quando namque diſcere, niſi tentando & experiendo id poſſet.

& aliquò receſſerimus à nobis] *In excuſis erat* aliquo modo.

IN CAP. VIII.

in ea quæ antè ſunt extētus] *pro* ſunt, *perperam legebatur* ſum.

IN CAP. X.

C quod nullo ſenſu anima percipit] *Corruptè excuſa,* quod in illo ſenſu.

quàm quicquid de illius memoria] *pro* illis.

ſed Dei munere] *non* muneri.

IN CAP. XI.

vt eo ipſo quo diſtat à pecore] *Id malim quàm* quòd diſtat; *ſic enim & paulò antè,* niſi eo ipſo quo à pecore diſtamus.

nihil quantum ad animas pertinet] *pro* pertineat.

& potius intelligunt hanc infirmitatem ſuam, quàm de ſua virtute confidant] MS. *loco* potius, *legunt* toties, *& pro* quàm, quoties: *ſed magis placet excuſorum lectio.*

dicam quæ ipſe dixiſti] *pro* ipſi.

Quanto melius igitur non ſeparatim] *Id eſt ſingulariter, & priuata opinione. niſi fortè legendum ſit* ſuperbè.

antequam corpore moriantur] *id eſt ſecundum corpus, antequam à corpore ſeparentur. Perperam in excuſis erat;* antequam in corpore moriantur.

quos prædeſtinauit ad æternam mortem] *Prædeſtinatio intelligi fere niſi in bono ſolet, aliquando vt & hic, etiam in malo, ſed pœnæ tantùm, cuius author eſt Deus, non culpæ. Vtitur hoc modo & alibi*
D *Auguſt. vt lib. 2. De ciuitate Dei, cap. 10. lib. 21. cap. 24. Enchirid. cap. 100. lib. 2. De peccat. meritis cap. 17. De perfectione iuſtitiæ, cap. 13. in fine. Fulgentius in principio lib. De prædeſt. ad Monimum.*

propter originale peccatum ] *Sic* MS. *non* præter; *nam & præcedit,* non ſolùm propter illa.

IN CAP. XII.

aëreæ ſubtiliſque ſubſtantiæ] *In excuſis erat,* aërea ſubtiliſque ſubſtantia: *ſed legendum in primis* aëreæ ſubſtātię, *liquet ex ſequentibus, vbi reſpondens Auguſtinus;* ego, *inquit,* nec aëreę ſubſtātiæ animam dico. *Et paulò poſt,* ſed ob hoc aëream me putaſti eam dixiſſe ſubſtantiam. *At verò* futiliſque, *non* ſubtiliſque, *legit Amorbach. quod conſentit cum eo quod paulò infrà ſequitur,* non eſt conſequens vt eam velit videri inanis futiliſque ſubſtantiæ, *quomodo excuſa omnia & Amorbach. ibi habent, quanquam eo loco manuſcr. legant* ſubtiliſque.

non ſolùm caſſæ inanitatis] *Non* vanitatis, *vt liquet ex ſuperioribus Vincentij verbis.*

Qui vſque-



A Qui vſqueadeò inanes nō ſunt] *In excuſis deerat negatio, quam habent non ſolùm manuſcr. ſed & Amorbach.*

Sic itaque potuit] *perperam* Si.

IN CAP. XIII.

Tu autem vtrunque quamuis duo quædam ſentias, vnam fatearis habere ſubſtantiam ] *Perturbata eſt hoc loco* MS. *quorundam lectio; ſic enim habent:* Tu autē vtrunque quamuis duo quędam ſentias, ſiue non intelligas: me tamen putare non debes, vel aëream dixiſſe animam; ſed omnino incorpoream, nā vnam fateris habere ſubſtantiam. *Quæ enim hic adduntur pertinent ad caput 12. vbi in iiſdem manuſcr. deſiderantur, & à parum attento ſcriba huc tranſlata ſunt.*

neque enim aliter] *Voculam* enim, *ex* MS. *adiecimus.*

IN CAP. XIIII.

Et gelante ſubſtantia quæ comprehendi nō poterat ] *Sic* MS. *pro* quod comprehēdi. *Loquitur de flatu Dei ex quo factam eſſe vult animam: qui nimirum intrinſecus per corporis membra diſcurrens, concretus illic & congelatus ſit, anima iam factus corporea proq́; modo ſingulorum membrorum efformata & effigiata. Vnde paulò pòſt: ſi enim*
B *per membra exterioris cucurrit interior & gelauit (hoc enim etiam verbo vſus es) tanquàm figmentum fuſile fieret ex forma lutea quæ de puluere facta eſt, quomodo; &c. Et infrà cap. 20. Animam dicis per cuncta membra diffuſam gelando riguiſſe, & à vertice vſque ad ima veſtigia, à medullis intimis vſque ſuperficiem cutis, totam totius accepiſſe corporis formam. Et cap. 18. & tu vt loqueris gelando formari.*

efficeret corpus aliud intra corpus naturæ ſuæ vi & ſpiramine conglobatum] *Tornacen. legit* natura ſua ſpiramine conglobatum. *Reliqua omittunt* vi, *vti & vetus Amorbach. & Frobenij, quorum ille pro* intra, *non rectè legit* infra. *Fortè,* natura ſua & ſpiramine conglobatum.

& ſui corporis ſimilis imaginique conformis] *Sic* MS. *vnum & Amorb. alia tria,* & ſuo corpori ſimilis imaginique conformis; *ſed videtur mutatus à quopiam locus. Nam poſt cap. 18. ſimilem habes locutionem,* & tamen aliquid ſimile corporis. *Tornacenſ. exemplar, legit* & ſui corporis ſimilitudini, imaginique conformis, *quæ lectio non eſt reijcienda, multa enim ſunt quæ ei fauent, vt quod paulum antecedit* ſimilitudinem ſui delineauit exterioris hominis habitudo, *qua voce & infrà cap. 17. & 18. frequenter vtitur: in excuſis pro* imagini, *legebatur* imaginis.

per interiora concaua ſua recipit aliud corpus ] *Pro* concaua, *manuſcr. legunt* caua.

An duas habebit imagines, à ſummo quidem Dei, ab imo autem corporis, ſicut in nummo dicitur caput & nauia ] *Perperam apud Amorb. legitur* naiua. *Illuſtrat hunc locum quod paulò poſt ſequitur,* niſi quemadmodū nummus, vt dixi, aliter ex inferiore, aliter ex parte ſuperiore formetur. *Superiorem ergo partem caput vocat, inferiorem nauiam. Eſt autem nauia, teſte Feſto, lignum cauatum vt nauis, quo in vindemiis vti ſolent. Alij imam volunt nauis eſſe partem, quæ radit æquor. Videtur autē in nummis naues imprimi ſolere.*

ac ſic ad imaginem Dei] *Ex* MS. *adiecimus* ſic.

Nam ſi & ille intimus ] *Sic manuſcr. pro,* Nam etſi homo ille intimus.

ſicut illa eum forma formauit] *Locus corruptus, ſignificat autem animam à corpore formatam eſſe, imaginemq́; membrorum ſimilem accepiſſe, loquitur enim ex Vincentij ſententia.*

IN CAP. XV.

non poteſt cognitio prouenire ] *Non* peruenire, *ſic enim & paulò antè,* Vnde illi tanto antè tempore defuncti Abrahæ prouenit agnitio.

D Oblitus es te formam legiſſe doctrinæ ] *Reſpicit ad locum qui eſt Rom. 6. obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi eſtis.*

vel ſic agnoſcas velut aliqua lineamenta ] *Sic commodius* MS. *quàm* & aliqua.

IN CAP. XVI.

& refrigeret linguam meam ] *Sic manuſcr. pro* vt refrigeret. *quibus conſentiunt & Græca Lucæ verba.*

Dicis per hæc incorporeas intelligendas eſſe virtutes] *Perperam legebatur* corporeas. *Loquitur enim de membrorum nominibus quæ Deo attribuuntur.*

& ideò Abrahæ dictū] *Non* dictā, *ad ſinum enim refert Abrahæ.*

IN CAP. XVII.

quibus hac atque illac quaſi ferimur] MS. *legunt* huc atque illuc. *ſed priorem lectionem habes & lib. 12. De geneſi ad literam cap. 33. vbi de ſimili agens argumento,* Hac atque illac, *inquit,* egreſſu aut etiam volatu ferri ac referri.

Ex hoc genere ſunt etiam quæ alia ſignificantia diuinitùs

*Appendix tom. 7.*

oſtenduntur] *manuſcr. conſtanter legunt,* aliqua ſignificantia. *Pro priori lectione facit quod eſt infrà cap. 21.* quibus ſignificantur ea quæ geruntur in temporibus vel præſenti, vel præterito, vel futuro.

Cùm enim triſtia patimur ] *Sic* MS. *non* triſtitiam. *Reſpondet quod ſequitur,* Sic vbi læta ſentiuntur.

Et non attendis quam] *Tornacenſ. exemplar legit* attendere; *vt ſuperioribus cohæreat,* quale eſt dicere.

qui manum cùm eſſet paruus amiſit] *pro* magnum.

IN CAP. XIX.

ſolito veſtimento veſtitus] *pallio videlicet. manuſcr. tamen conſtanter legunt* ſolido, *ſed magis placet altera lectio, niſi ad veritatem referas veſtimenti, quod refellens paulò poſt Auguſt. ait non corpus ſed ſimilitudinem habitus fuiſſe.*

Et iſte ſic potuit apparere veſtitus] *Sic manuſcr. legunt. prius erat,* Et iſte ſicut potuit apparuit veſtitus; *quomodo legit & Amorb.*

cuius corporis ſimilitudinem quamuis incorpoream potuit anima retinere] *manuſcr. legunt* incorporea. *Sed priorem lectionem confirmat quod habes infrà cap. 24.* & habere in ſe animas corporum ſimilitudines incorporeas, ipſas autem non eſſe corpora.

magis quàm illum cognitum] *pro* illud, *refertur enim ad hominem præſentem quod antecedit.*

IN CAP. XX.

ſicut fidem, ſpem, charitatem ſine vllis coloribus & tumoribus eorumque ſimilitudinibus, certiùs ſanè firmiuſque conſpicimus] *Sic & lib. 13. De trinitate cap. 1. & 2. ait quemq́; fidem ſuam in corde videre: idem hic de charitate ait.*

Reſurrectionem quippe illam ſignificat corporum] *Idem & alij annotarunt, Tertull. lib. De reſurrectione, Ambroſius lib. 5. exaëmeron cap. 23. & lib. De fide reſurrectionis. Lactantio carmen inſcriptum de phœnice, Cyrillus Hieroſol. catecheſi 18.*

Quis iſta credere, dicere] *Sic* MS. *& Amorb. pro* ita.

An quia nec concumbere poterunt] *Non* poterant.

maſculinorum genitalium ſecum auferens totum] MS. *legunt* adferens.

IN CAP. XXI.

ſed iſta in hoc libro requirenda & pertractanda eſſe non arbitror] *De variis viſionum generibus tractat De geneſi ad literam lib.*
C *12. per multa capita. attingit etiam aliquid lib. De cura pro mortuis cap. 10. & deinceps.*

IN CAP. XXII.

Verùm nunc non de iſto ſpiritu loquimur qui à mēte diſtinctus eſt: habet iſte ſuam eandemque difficilem quęſtionem] *De variis ſpiritus ſignificationibus agit Auguſt. lib. 12. De geneſi ad literam cap. 7. & aliquot ſequentibus. Capite autem 8. explicans in hoc Apoſtoli loco, 1 Cor. 14. vbi ait, ſi orauero lingua, ſpiritus meus orat; quid vox ſpiritus ſignificet, vis eſt, inquit, quædam animæ m[illegible]ior, vbi corporalium rerum ſimilitudines exprimuntur. Et cap. proximo [illegible]ans illud, Orabo ſpiritu, orabo & mente; vt & ſigna rerum, inquit, formarentur in ſpiritu, & eorum reſulgeret intellectus in mente.*

IN CAP. XXIII.

& ſpiritus pecoris ſi deſcendat ipſe deorſum in terram ] *Sic* MS. *per accuſatiuum, non per ablatiuum, quibus & Septuaginta conſentiunt. Atque ita legit Auguſt. lib. 12. De geneſi ad literam cap. 7.*

IN CAP. XXIIII.

Quapropter ſi hos ad te libros] *Sic manuſcr. in excuſis autem* noſtros *legebatur, pro* hos.

& non alios tantummodo delectare poſſit] *Perperam* poſſis.

*Caſtigationum in libros quatuor De anima & eius origine finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI DE PERFECTIONE IVSTITIAE HOMINIS CONTRA CELESTII DEFINITIONES ſeu ratiocinationes librum vnum.

*Ex collatione ad* MS. *B. Amandi duo, Gemblacenſe, & Collegij apud nos Societatis Ieſu; vetera item Amorbachij ac Frobenij excuſa, recentioraq́; Bartholomæi Grauij.*

LIBER *iſte quoniam in Re[illegible] illa ſit eius mentio, ad calcem tomi huius reiectus erat, ad[illegible]q́; & iis poſtpoſitus quos certiſſimum eſt Auguſtini non eſſe. Sed B. Proſper non eum modò authori[illegible]o vindicat; ve-*

*cat, verùm etiam haud obſcurè ſcriptum eſſe ſignificat, non ſolùm ante libros De prædeſt. ſanctorum & perſeuerant. dono, ſed & ante eum cui titulus De correptione & gratia. Nam quia Galli quidã tres hoſce Auguſtini libros præ cæteris potiſſimum auerſabantur, vt ex Proſperi ad eum epiſtol. 1. & libro ad excerpta Genuenſium intelligi facilè poteſt; docet idem ipſe Proſper lib. contra Collatorem cap. 43. eãdem etiam in cæteris Auguſtini libris prius editis extare doctrinam; inter eos nominatim & hunc recenſens ad Paulum & Eutropium contra Celeſtij quæſtiones. Vnde qui Louanienſi excuſioni præfuerunt, opuſculo huic medium dedere locum inter lib. De gratia liberoq; arbitrio, & De correptione & gratia. Verùm quoniam hi duo libri ita inter ſe cohærent, vt non ſatis commodè ſeparentur, ſatius eſſe duximus alterum illum vtrique præponere. Plura quæ huc pertinebant, ſcripſimus in præfatiuncula quam in ipſis operibus libello huic præfiximus, inde ea repetere licebit.*

IN CAP. I.

ſed hoc eorum ſit qui hoc attulerunt de Sicilia, vbi Celeſtius non eſſe perhibetur, ſed multi talia garrientes] *Sic rectè* MS. *omnia, veteraq; excuſa; conſentiẽte & Barth. Grauio, pro eo quod erat,* Sunt enim multi talia garrientes. *Hinc natus error, quòd in Amorb. ac Froben. primis editionibus noua periodo legebatur,* Sed multi, *vnde quibuſdam faciendum potius viſum eſt,* ſunt multi: *vt autem & commodius hæreret ſententia, interiecta eſt vocula* autem. *Cæterùm in Sicilia quoque graſſatum Pelagianiſmum indicat Auguſtinus etiam lib. De originali peccat. cap. 11. Nominatim autem & Syracuſis, docet Hilarij epiſtola quæ eſt apud Auguſt. numero 88. & proxima 89. quæ Hilario reſpondet; in qua ſunt hæc verba ad ſuperiorem ſententiam illuſtrandam non parum idonea. Veritus, inquit, ſum ne fortè ibi (in Sicilia videlicet) ſit ipſe Celeſtius, qui veſtram fidem perturbare conatur. Ideò nominis ipſius commemorationem putaui eſſe faciendam. Sed ſiue ipſe ſit, ſiue alij conſortes eius erroris, plures enim ſunt quàm ſperare poſſumus, & vbi non redarguuntur, etiam alios ad ſuam ſectam ſeducunt, & ſic crebreſcunt vt neſciam quò ſint erupturi.*

vel etiam quorundam ſectatorum eius] *manuſcr.* ſociorum *legunt.*

quod in opere alio eius inſpexi, cuius eum eſſe cõſtat authorem] *Loquitur de libello fidei quem Celeſtius Zoſimo pontifici Romæ obtulit, & geſtis illic Eccleſiaſticis allegauit. Meminit eius Auguſtinus lib. De gratia Chriſti cap. 30. & 33. De peccato originali cap. 2. 5. 6. et 23. Lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 3.*

IN CAP. II.

vt non ea quæ vult homo faciat] *Pro eo quod erat*; vt ea quæ non vult homo faciat.

ſed naturæ accidens præſertim vitiatæ] *In excuſis deerat* accidens, *quod tamen addendum eſſe docent ſuperiora Celeſtij verba.*

Sed etiam in corpore claudicatio] *manuſcr. omnia legunt* Sicut etiam.

etiam quando nihil agit vnde auaritiæ ſuæ ſeruiat] *Ita rectè* MS. *pr[illegible] quod [illegible]* auaritiæ vel rapinæ ſeruiat. *Nam rapina actus [illegible] quem hic contra habitum ſeu contra animi qualitatem diſtinguit.*

IN CAP. III.

[illegible] deberi conſtiterit] *Variant hic* MS *quædã enim ſic legunt,* haberi ſiue deberi conſtiterit, *alia* haberi debere conſtiterit. *Nos quod in excuſis erat reliquimus, conſentientibus præſertim veteribus excuſis.*

IN CAP. IIII.

& præterquam quod illum bonum fecit] *In vulgatis deſiderabatur* quod.

bonum ei inſuper vt faceret imperauit] *Ita rectè manuſcr. omnia, pro* impetrauit.

& negemus eum bonum poſſe eſſe] MS. *legebant* ſi negemus. *ſed rectè vidit editio Louanienſis, & legendum, non* ſi, *ſic enim & ſuprà cap. 3. ratiocinatione 8.* Quanta hęc, *inquit,* impietatis blaſphemia ſit, cogitandum eſt, vt dicatur hominem poſſe eſſe cum peccato, quod Deus non vult; & negetur poſſe eſſe ſine peccato, quod Deus vult.

IN CAP. V.

Ad hoc enim lex iſta præcipit] *Ita rectius, quàm* præcepit.

IN CAP. VI.

Iterum ait quærendum eſt] *Loco* ait, *non rectè legebatur* autem, *quemadmodum ex reliquis ratiocinationibus conſtat.*

Peccatum eſt autem cùm vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet, ſiue hoc voluntate vitari poſſit, ſiue non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit] *Abutuntur hoc loco noſtri temporis hæretici ad erroris ſui confirmationem, quo peccare iuſtos omnes contendunt, quia non habeant eam charitatis perfectionem quæ ſit abſque omni carnalis concup. [illegible] malo; quam etſi nemo præſtare hic poſſit, volunt tamen magno illo dilectionis mandato ſimpliciter eſſe præceptam. Reſpondent autem nonnulli peccatum hoc loco generatim ab Auguſtino accipi, & propriè quidem ſic intelligi vbi nulla eſt charitas, impropriè verò & per tropum, vbi minor: quomodo ipſam concupiſcẽtiam cui non conſentiunt baptizati, peccatum à Paulo appellatum Auguſtinus interpretatur. vt ſimilis ſit illi ſententia quæ extat lib. De natura & gratia cap. 38. Si in Abel iuſto, inquit, charitas Dei qua vna vere iuſtus eſt quicunque iuſtus eſt, adhuc erat quo poſſet & deberet augeri, quicquid minus erat, ex vitio erat. Ex vitio, inquit, carnalis videlicet concupiſcẽtiæ, ſed nullum in vtroius peccatum. Sed non videtur ea ſolutio cum loci huius circumſtantia ſatis congruere. Nam in primis tum in ratiocinatione Celeſtij, tum in ſubiecta mox Auguſtini reſponſione, certum eſt proprij nominis peccatũ intelligi, quod videlicet Dei habeat offenſionem pœnamq; mereatur, & quod nobis oratione Dominica petamus, à Deo remitti. Deinde poſt ſuperiora illa verba quæ hic pertractamus, ſatis oſtendit Auguſtinus loqui ſe de ea charitatis & gratiæ menſura, nõ quam primus initio parens habuerit; ſed quæ hoc iam rerum ſtatu ſanctis à Deo præſtetur. Sic enim ait: & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adiuuatur. At verò concupiſcẽtiæ malo neminem ante mortem prorſus liberari docet non ſemel Auguſtinus. Non ergo ſatisfacit ea reſponſio: imò verò nihil neceſſe eſt eò confugere, cùm hic eſſe poſſit facilimus planiſſimusq; ſuperiorum verborum ſenſus. Peccari contingit, vel quia nihil inſit charitatis, vel quia nimis parum. Eſt autem huic rei impertinens vtrum vitari peccatũ ipſum poſſit, an non poſſit (neq; enim qui peccat ideò malè aliquid agit, quia vitari non poſſit, ſed quia eum peccare delectat) nam ſi vitari poteſt, præſens voluntas charitate inflammata id facit, vitatq; peccatum, (loquitur enim de potentia cum actu coniuncta.) Si verò vitari non poteſt, præterita eſt hominis culpanda voluntas, quæ ſe in peccati ſeruitutem, ac veluti quandam peccandi neceſſitatem coniecit. Hoc pacto intellectus hic locus neque tropo habet opus, neque hæreticis quicquam ſuffragatur. Nam & peccatum propriè ſumitur, ſiue illud mortale ſiue veniale intelligere placeat. Minorem autem charitatem eam accipimus, non ad perfectiſſimæ illius comparationem, qualem vel in cælis pro præmio expectamus, vel primus etiam ipſe parens habuit; ſed valde adhuc imperfectam, & fortaſſe cum dominante adhuc aliqua cupiditate coniunctam. Solet enim interdum Auguſtinus etiam ipſum quoddam charitatis ſeu dilectionis initium charitatis nomine appellare. Vitari verò non poſſe peccatum, non abſolutè intelligit; ſed pro præſenti hominis ſtatu, ex propriis videlicet eius viribus, & ſine gratia Chriſti; vel certè quanta ad ſuperandum hoc peccatum eſt neceſſaria: id quod ſequentia illa verba prorſus videntur poſtulare. Et tamen, inquit, vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adiuuatur.*

& tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adiuuatur] *Perperam* ſuperbia.

IN CAP. VII.

Et reſpondet, non ſum ſine peccato] *Redundat vocula* quod, *quæ in excuſis addebatur.*

& omnimodo implebitur contentione mortis abſumpta] *Ex manuſcr. adiecimus copulam* &. *Mẽdosè autem Lutetiana; pro* abſumpta, *legunt* aſſumpta.

IN CAP. VIII.

& orationibus indeſinenter inſiſtendo] *manuſcr. conſtanter legunt* inſtando.

oratione inſinuans omnes regulas ſancti deſiderij] *Perperam* & ratione.

ſi tamen quod dicimus, vt vel ipſi etiam diligantur inimici; vel ſi quiſpiam adhuc in Chriſto paruulus hoc nondum facit, pœnitenti tamen quod in eum quiſque peccauit, & veniam petenti, ex intimo cordis ignoſcat] *Ita rectius cum* MS. *omnibus, quàm* faciat. *In præcepto autem dilectionis proximi, etiam inimicorum continetur; quibus eam debemus in primis charitatem, vt ſi pœnitentia ducti veniam à nobis petant, ex animo eis ignoſcamus, nec vllam poſtea iniuriæ memores vindictam expetamus. Hoc enim præcipit Chriſtus Lucæ 17. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſi ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi. Pœnitenti ergo veniamq; petenti ignoſcere, res eſt neceſſitatis ac præcepti. At verò ſi quis in maleuolentia perſiſtens adeò veniam rogare nolit, vt iniurius etiam eſſe pergat, equidem nec iniuriam iniuria rependere, nec inimico aduerſus eum animo eſſe licet, imò verò ignoſcere illi animi præparatione debemus: ſi quis tamen non tam ſalutis alterius quàm proprij honoris contemplatione debitam vindictam iuris ordine exigat, non peccat is quidem, ſed imperfectionem ſuam prodit. Perfectorum autem filiorum Dei eſt nominis ſui honorem etiam inimicorum ſaluti impendere, & vltronea iniuriæ condonatione eos præoccupare, & ad pœnitentiam inuitare, nihilq; non facere quo eos ad correctionem perducant. Et huc quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc effectũ orando Deum,*



*ſecumq; a[illegible]ctando q; perducere. Non quia iniquum eſt, inquit Auguſt. in Pſal. 108. vt referat vnuſquiſq; quod fecerit; alioqui lex nequaquam id conſtitueret: ſed quia vlciſcendi libido vitioſa eſt, magiſq; ad iudicem pertinet inter malos hoc diſcernere, quàm bonum hominem id ſibi expetere. Atque hoc eſt quod Auguſtinus ſuperioribus verbis dicere voluit, pluribuſq; pertractat cap. 73. & 74. attingit autem & lib. 3. contra Pelagianos cap. 5.*

In qua oratione ſi contentioſi eſſe nolumus] *Ita commodius* MS. *quàm* nolimus.

non auferetur, ſed augebitur & implebitur] *Ita* MS. *pro* auferatur, augeatur, impleatur, *præcedit enim* ſuccedet.

Nam cùm eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus] *Rectè ait* omnimodo, *id eſt perfectiſſimè & abſolutiſſimè, quomodo in hominis adhuc integri ſtatu diligi poterat, vt videlicet nullus animæ ac viribus eius inſit motus, qui non in Dei tendat & referatur honorem; at concupiſcentiæ motus nihil aliud quàm peccati ſunt deſideria. Similis locus eſt lib. 19. contra Fauſtum cap. 7.* Etiam ſub gratia, *inquit,* poſitis in hac mortali vita; difficile eſt omnimodo implere quod in lege ſcriptum eſt, Non concupiſces. *Imò verò ſecundum eam gratiæ menſuram quam in hac vita Deus donare conſueuit, impoſſibile: vnde & ipſe Apoſtolus, Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. At eum perfectionis gradum non hic exigit à nobis Deus, ſed omnibus promerendum proponit qui aduerſus hoc cõcupiſcentiæ malum viriliter decertarint. Neq; obſtat quod ſequitur,* Cur ergo nõ præciperetur homini iſta perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? *Præceptam enim intelligit non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſub ratione finis; vt nimirum eò ſtudium omne noſtrum cõferamus, eò nitamur & contẽdamus, vt omnes animæ noſtræ vires ſolus occupet Deus, & prauis concupiſcentiæ motibus non modò non conſentiamus, ſed eos ne vel ſentiamus, imò verò vti ne inſit quidem vlla concupiſcentia. Atq; hoc eſt quod apud Auguſtinum ſequitur,* Non enim rectè curritur, ſi quò currendum eſt neſciatur. Quomodo autẽ ſciretur, ſi nullis pręceptis oſtenderetur. *Perfectionis ergo huius conatus ac ſtudium in præcepto eſt, ipſa verò perfectio vt finis, ſcopus & præmium proponitur. Id quod eleganter exequitur Auguſt. lib. De ſpiritu & lit. cap. vlt. Primum, inquit, præceptum iuſtitiæ, quo iubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, cui eſt de proximo diligendo alterum conſequens, in illa vita complebimus cùm videbimus facie ad faciẽ. Sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, vt admoneremur quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere, & obliuiſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Et infrà: Ad immortalem, inquit, vitam pertinet, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua; ad hanc autem, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſiderius eius. Ad illam, Non concupiſces: ad iſtam, Poſt concupiſcentias tuas non eas. Ad illam, nihil amplius quærere, quàm in ea perfectione perſiſtere: ad iſtam, hoc quod ait in opere habere, & illius perfectionem pro mercede ſperare; vt per illam iuſtus ſine fine viuat in ſpecie, quam in iſta deſiderauit; per hãc autem iuſtus viuat ex fide, in qua illam certo fine deſiderat. Et lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 7. Hic, inquit, præceptum eſt, vt non peccemus; ibi præmium, non poſſe peccare. Hic præceptum eſt, vt deſideriis peccati non obediamus; ibi præmium, vt deſideria peccati non habeamus, &c. Et concludens cap. 7. De perfectione iuſtitiæ, Quod vt perficiatur, inquit, & nunc in proficientibus agitur, & omnimodo implebitur contentione mortis abſumpta, & charitate quæ credendo & ſperando nutritur, videndo & obtinendo perfecta.*

hilariter & ex corde faciendo] *Illud* toto, *quod in vulgatis hic addebatur, non legunt nec* MS. *nec vetera excuſa.*

IN CAP. IX.

In Deuteronomio, Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. Item illic, Et non erit inconſummatus in filiis Iſraël] *Prior locus eſt Deuteron. 18. poſteriorem nuſquam illic reperio, nec in Septuaginta quidem.*

perfectè ſperate in eã quæ offertur vobis gratiam] *Sic rectè* MS. *conſentientibus & Græcis; pro* perfecti.

non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ concupiſcentiis. MS. *quædam pro* concupiſcentiis, *legunt* tenebris; *ſed alteram habent & Græca, à quibus nec noſter recedit interpres, qui* deſideriis *legit.*

Ingredi autem ſine macula non abſurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus eſt, ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia nõ negligens mundare eleemoſynis] *Nam horum neglectus atq; contemptus nõ ſanè exiguum aut leue peccatũ eſt.*

Ingreſſum quippe, hoc eſt iter noſtrum] *In excuſis deerat verbum* eſt.

vt dum non reprehenditur] *Negationem ex* MS. *adiecimus.*

IN CAP. X.

& facit præcepti ſarcinam] *Redundat* leuem, *quod in excuſis addebatur; neque enim legunt* MS. *& ſequuntur adiectiua alia quæ illi reſpondeant. Additamento huic occaſionem dedit quòd loco* pennarum *in veteribus excuſis, vt adhuc in Lutetianis, lectum fuerit* pœnarum.

vt impetret donum facilitatis] *Sic* MS. *pro* facultatis.

ore autem confeſſio fiat ad ſalutem] *Ex* MS. *adiecimus* autem.

IN CAP. XI.

quod ipſe Iob dixerit, Iuſtus enim vir & ſine querela, factus ſum in deriſum] *Locus eſt Iob 12. ſecundum 70. pro quo nos legimus,* Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, inuocabit Deum & exaudiet eum: deridetur enim iuſti ſimplicitas.

ab eodem Iob dictum, Ecce ego ipſe proximus ſum iudicio meo, ſcio quia iuſtus inueniar] *Locus eſt cap. 13. itidem iuxta 70. vbi nos habemus, Si fuero iudicatus, ſcio quòd iuſtus inueniar.*

Denique non dixit, ibi ſum, ſed proximus ſum] *Ita rectè* MS. *B. Amandi, pro* vbi ſum.

Per hanc enim dimiſſionem iuſti inuenientur, eo quòd ea quæ hic habebant peccata eleemoſynis deleuerunt] MS. *duo ſic legunt,* & qui ea quæ hic habebant.

Inde eſt quod dicit, Nihil iniquum erat in manibus meis, ſed munda oratio mea] *Locus eſt Iob 16. cap. iuxta 70. pro quo nos legimus, Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces.*

Item quod dicit, Vias enim eius cuſtodiui, & non declinaui à mandatis eius, neque diſcedam] *Et hæc petita ſunt ex Iob cap. 23. ſecundum 70. vbi noſtra verſio habet, veſtigia eius ſecutus eſt pes meus; viam eius cuſtodiui & non declinaui ex ea.*

ſi eadem fides qua cor[illegible] creditur ad iuſtitiam] *Suſtulimus præpoſitionem* in, *quam hic addebant excuſa.*

tunc verè ipſe fecit vt cedat, vt conſentiat, vt deſiderio peccati obediat] *Sic rectè* MS. *omnia, pro,* & conſentiat.

Tunc eum cor eius reprehendit] *Ita rectius Louanienſis editio, quàm* Tunc enim cor eius.

Hoc enim vult & ipſe quod lex] *Velle lex dicitur quia præcipit vt eò nitamur & contendamus, vt peccati deſiderium & concupiſcentiam ne habeamus quidem.*

quia vult & ipſe non concupiſcere] *Ita* MS. *omnia, pro eo quod prius erat,* quia non vult ipſe concupiſcere.

qua inuocat Deum vt adiuuetur pugnans] MS. *tria cum veteribus excuſis legunt,* quia inuocat.

& non habet quam reprehendat infidelitatem eius] *manuſcrip. tria legunt* quod reprehendat; *ſed nos excuſorum lectionem reliquimus.*

& annotaſti ſi quid inuitus tranſgreſſus ſim] *Pro* inuitus, *excuſa vetera legebant,* in vitiis, *quod retinent [illegible] Lutetiana; niſi quòd germanam lectionem ablatus reiectam [illegible].*

IN CAP. XII.

in Numeri libro ſcriptum eſt, homo verax] *Locus eſt Numer. 24. cap. ſecundum Septuaginta, vbi nos habemus, Dixit homo [illegible] turatus eſt oculus.*

cùm ſuperius dixerit, peccatum [illegible]ctum eſſe, non rem] *Ita rectè* MS. *alterum B. Amandi; cætera cum excuſis habent,* actum malum eſſe, *ſed illud* malum, *non addunt ſuprà cap. 2. ratiocinat. 8. ex quo loco eſt iſtud repetitum.*

Item inquit ad ipſum Iob, Et miraculum tenuit veracis hominis] *Non inuenitur hic locus in libro Iob, nec in noſtra vel Septuaginta editione; ſed nec apud Auguſtinum in annotationibus ſuper eundem librum.*

nec ſoluere poterit niſi correcto errore] *Perperam Lutetiana,* ſoluere potuit.

IN CAP. XIII.

proponẽdo aduerſum ſe prolatum teſtimonium] MS. *cum veteribus excuſis legunt* probatum, *ſed nos priorẽ prætulimus lectionem.*

Ait enim ſanctus Dauid, inquit] *Ex manuſcr. adiecimus verbum,* inquit.

quia & ipſa concupiſcentia] *Redundat verbum* eſt, *quod in excuſis addebatur.*

minui tamen non deſinit in proficientibus] *Ex* MS. *adiecimus præpoſitionem* in.

niſi quia populum quendam Pſalmus ille culpat] *Propriè pertinet hic Pſalmus ad totam humani generis maſſam in Adam corruptam & carnaliter ex eo genitam, ac necdum in Chriſto regeneratam, hoc eſt ad infideles & atheos, veræ religionis perſecutores; vnde ſic exorditur, Dixit inſipiens in corde ſuo Non eſt Deus. Horum certè nullus eſt qui faciat bonum. & paulò poſt, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.*

pani. Sic interpretatur Auguſtinus in Pſalm. 13. & lib. 16. De ciuitate Dei, cap. 10. Quia verò reprobi præcipua pars ſunt maſſæ damnatæ, & quanquam ad tempus inde liberantur, pòſt tamen eodem recidunt, hinc fit vt Auguſtinus hoc loco, quod de impiis omnibus in genere dictum erat, ad reprobos potiſſimum referat, ſed loquens de iis pro eo tempore quo ad ciuitatem diaboli pertinent. Similiter intelligendus eſt & Proſper lib. 1. De vocatione gentium cap. 9.

cuius gratia homo fit bonus, vt faciat bonum?] Ita commodius MS. & ſuperioribus conuenientius, quàm bona.

Deus de cælo reſpexit ſuper filios hominum] Loco proſpexit, ſic enim & paulò pòſt ſuis verbis repetit Auguſtinus.

IN CAP. XIIII.

Quid me dicis bonum] perperam dicitis.

Sic dictum eſt, Nemo bonus niſi vnus Deus] Pro ſicut dictum eſt.

cùm Dominus eum eſſe dicat lucernam, ſicut diſcipulos quibus dixit] Ita rectè MS. omnia, pro eo quod erat, cùm Dominus eum dicat lucernam, ſicut diſcipulis quibus dixit.

Quod de illis dicere non auderem] Cur Chriſtus Apoſtolos Matth. 7. malos appellet, alteram rationem reddit Auguſtinus ex B. Hilario, lib. 2. contra Iulianum cap. 8. Ipſis Apoſtolis, inquit, verbo licet fidei emundatis atque ſanctificatis, non deeſſe tamen malitiam per condicionem communis nobis originis, docuit Chriſtus dicens, Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris. Lib. verò 1. contra aduerſarium legis & prophetarum cap. 22. ad venialia peccata refert, ſine quibus non eſt in hac infirmitate mortalium, quorumlibet etiam vita iuſtorum. Hoc loco malitiam intelligit per comparationem futuræ bonitatis & iuſtitiæ in æterna vita, cui collata præſentis vitæ noſtræ iuſtitia, ob ſui imperfectionem, tam exigua eſt, vt quodam ſenſu malitia dici poſſit.

quia incommutabiliter bonus non poteſt omnino malus eſſe] In excuſis erat, & non poteſt, ſed redundat copula. Cæterùm pro quia, MS. qui legunt.

IN CAP. XV.

ſibi ipſa aduerſaria videatur] Sic MS. omnia cum veteribus excuſis, pro aduerſari.

cuius cognitionem fugere delicta non poſſunt] MS. duo cum excuſis veteribus legunt non rectè cogitationem: quod reſidet etiamnum in Lutetianis, quanquam alterum in margine habent aſſcriptum.

Cùm ergo rex iuſtus ſederit in throno, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor; aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato?] Locus eſt Prouerb. 20. ſecundum Septuaginta, pro quo nos legimus, Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?

& quod rex iuſtus cùm in throno ſederit] Mendosè iudex iuſtus, ita enim & ſcriptura habet & ſemel iterúmque hoc capite repetitur.

Superexultat autem miſericordia iudicio. Quod ſi non eſſet, quæ ſpes eſſet?] Similis locus erat & ſuprà lib. 2. De peccatorum meritis & r[...] cap. [...]de repetenda huius etiam loci intelligentia.

Mundat ergo eam nunc lauacro aquæ] Perperam in excuſis omnibus pro aquæ, legebatur atque.

[...]et mundus corde] Sic rectè manuſcr. omnia, pro habitat.

Illud in opere eſt, iſtud in fine] Ita rectè MS. duo, conſentiente Louanienſi editione; pro eo quod erat illud in fide.

IN CAP. XVI.

abſtinens ſe ab omni malo] In excuſis addebatur opere, ſed non legunt MS. nec Septuaginta.

IN CAP. XVII.

quod de ſancto Zacharia & Eliſabeth] Ex manuſcr. adiecimus Eliſabeth.

Erant autem Zacharias & Eliſabeth vxor eius iuſti ambo] Perperam erat.

Quomodo autem intelligendum ſit] Sic manuſcr. omnia, pro Quomodo ergo.

qui omnino ſine peccato ſunt] Pro his eſt in veteribus excuſis ac Lutetianis, qui omnino ſunt ſine crimine etiam in hac vita: ſed videtur hoc ex ſequenti verſu repetitum; neque enim ita vllum legit manuſcr.

Hoc eſt enim, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo; noli me iudicare ſecundum te qui es ſine peccato, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens; quod de hac vita dictum ſine difficili quæſtione intelligitur. Et quod ait, non iuſtificabitur; ad illam perfectionem iuſtitiæ retulit quæ in hac vita non eſt] Pelagius ſcripturam hanc eludere conabatur, quòd intelligenda eſſet de comparatione iuſtitiæ humanæ ad diuinam quæ illius reſpectu exigua vel nulla eſſet: quod quanquam [v]erum [ſ]it, atque ita hunc locum accepit & Bernard. ſerm. 5. De verbis Eſaiæ, tamen quia in hæreſis ſuæ fauorem ita Pelagius interpretabatur, rectè reijcit ac reprehen[dit] [...] Hieron. epiſtola ad Cteſiphontem; docens propter venialia ſaltem peccata id eſſe dictum, ſine quibus non ducitur vel iuſtiſſimi hominis vita. Sic intellexit & Ambroſ. cap. 11. De bono mortis. Et Hilarius in hunc Pſalmũ ſcribens. Concilium item Mileuitan. cap. 7. Auguſtinus autem cùm hoc loco, tum lib. 1. De peccat. meritis cap. 3. 10. & 14. lib. De ſpiritu & litera cap. vltimo, & aliàs frequentiſſimè. Lib. verò De natura & gratia cap. 60. negat etiam aliter intelligendum.

IN CAP. XVIII.

Ac per hoc, ſecundum id quod ex Deo nati ſumus, & in eo qui apparuit, vt peccata tolleret, id eſt in Chriſto manemus, non peccamus] Copula &, perperam erat in alienum locum dilapſa, & non peccamus. Cæterùm D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. paulò poſt initium ſuperiores ſcripturas, omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, &c. de mortali peccato intelligit, quod videtur eſſe probabilius.

quod homo interior] Illud homo, addebant tria MS.

Cùm ergo per gratiam renouationis filij Dei ſimus] Ita commodius MS. quàm ſumus.

IN CAP. XIX.

vel, ne nos inferas in tentationem] Sic MS. omnia, pro &, ne nos inferas, vt reſpondeat ei quod anteceſſit, contra Dei gratiam vel miſericordiam.

Hæc eſt fidei ſanitas quæ nos facit quærere] In excuſis addebatur orare, ſed non legunt MS. & rectiùs abeſt.

Videte tamen obſecro qualis ſit, ideò volenti & currenti] In Lutetianis veteribuſque excuſis deerat illud ideò.

miſericordiam Dei non eſſe neceſſariam] Ex manuſcr. adiecimus infinitiuum eſſe.

aut verò etiã ibi proſit aliquid velle] Pro eo quod erat prodeſt.

niſi cùm Deus operatur in nobis] Perperam non cùm Deus.

Si voles præcepta; ſeruabunt te] Ita locus hic diſtinguendus, vt accuſatiuus præcepta, non ad ſequentia ſed ad præcedentia pertineat, vt ex ſequentibus quoque Auguſtini verbis intelligitur, quaſi non debeat, inquit, Deo agere gratias, qui præcepta voluit.

quo vult quidem porriget manum] manuſcr. omnia legunt porrigat.

ſicut ſcriptum eſt, Venies & pertranſibis ab initio fidei] Locus eſt Cantici canticorum cap. 4. ſecundum Septuaginta; pro quo nos legimus, Veni coronaberis de capite Amana. Citatur & hic locus ab Auguſtino epiſtola 105. ad Sixtum, tract. 15. in Ioannem, & ſerm. 19. De verbis Domini. Similiter & ab Ambroſio lib. De iis qui myſteriis initiantur cap. 7.

& quiſque ita eligit bonum, ſicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei] Perperam & quiſquis ita elegerit: nihil enim eſt quod hic reſpondeat vocula quiſquis.

Magnum autem aliquid] In excuſis deerat aduerſatiua.

IN CAP. XX.

vt homo cogitatione non delinquat] Redundat præpoſitio in, quam addebant excuſa.

prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui] In excuſis addebatur fieri, ſed non legunt MS. nec Græca.

Et hoc nobiſcum agit gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm præceptis, ſacramentis, exemplis; ſed & ſpiritu ſancto] Annumerat hic Auguſtinus nouæ legis ſacramenta præceptis & exemplis, quæ ad legem tantum, eiúſque ſcientiam & exhortationem pertinent; vnde videri queat vim illis iuſtificandi detrahere: nam & contra Chriſti gratiam & ſpiritum ſanctum ea diſtinguit. Verùm non ita ſentit Auguſt. nam de ſacramẽtorum virtute quam cum hæreticis noſtri temporis non ſentiat, ſuprà non ſemel annotauimus. Hoc autem loco ſacramenta ipſa per ſe conſiderat, ſine fide & pietate ſuſcipientis, quomodo haud dubiè nihil operantur quod ad iuſtificationem pertineat, non magis quàm lex. Atque hoc eſt quod ait Auguſt. tractat. 80. in Ioannem ſuper illud, Iam vos mundi eſtis, propter verbum quod locutus ſum vobis. Quare non ait, inquit, mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait, propter verbum quod locutus ſum vobis; niſi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum etiam ipſum, tanquam viſibile verbum: Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit, Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. Sic & ſerm. 30. De verbis Domini, Baptiſma, inquit, quod ſemel adhibetur, per fidem mundat, &c. Non quaſi baptiſmi ſacramentum virtutem ſuam à fide habeat ſuſcipientis; (habet enim à Chriſti paſſione ac eius inſtitutione) ſed quia eam non exerat, niſi qui ſuſcipit per fidem & pœnitentiam ſit præparatus. Similis autem locus eſt tract. 40. in Ioannem. Hoc, inquit, nobiſcum agit ſcriptura diuina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio ſacramentorum, hoc baptiſmus ſanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ipſa noſtra diſputatio, vt hoc deſiderium non ſolùm ſeminetur, & germinet, verùm etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, vt idoneum ſit ſumere quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.



IN CAP. XXI.

Quod ſi quis aſſerit de illo peccato eſſe dictum, quod habitat in carne mortali noſtra, &c. ſubtiliter quidem iſta diſcernit] Scripturam 1 Ioannis 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, ad concupiſcentiam poſt baptiſmum remanentem, quæ per tropum aliquando peccatum vocatur, accommodat ipſe Auguſtinus concione 2. & 3. in Pſal. 118. vnde mirandum non eſt, quòd Pelagianos ſi hoc dicant, reprehendere hic nõ audeat. Sed nimirũ dura eſt ea interpretatio, & omnino probabilius eſt Ioannem de eo genere peccati agere quod verè culpã habeat; vt qui mox ſubiungat, Si cõfiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Atque in eam ſententiã aliis ſemper locis Auguſt. accipit, ipſúmque conc. Carthagin. & Mileu. can. 6. aduerſus Pelagianos. Nam quod ſuperioribus illis duobus locis non velit Auguſt. malum hoc remanentis concupiſcentiæ veri nominis eſſe peccatum, ex iis quæ ibidem conſequuntur, cuiuis clariſſimum eſſe poteſt.

Paulus apoſtolus præcipit] Ita commodius MS. quàm præcepit.

quod tantum eſt, vt hoc pietati non imputet Deus] MS. tria, pro pietati, legunt peccato, quartum pietate: ſed rectius excuſa noſtra conſentiente etiam Amorbachio, vt ſenſus ſit in gratiam pietatis. Cæterùm illud tantum eſt, idem valet ac tantillum eſt, quomodo loquitur & epiſtola 29. tanta eſt autẽ aqua, inquit, id eſt, tam exigua. Et lib. 19. De ciuitate Dei, cap. 27. tamen tanta eſt, inquit, in hac vita iuſtitia noſtra, id eſt, tam parua.

Scio enim quibuſdam eſſe viſum, quorum de hac re ſententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam] Legendum videtur, Scio enim quibuſdam id, vel ita eſſe viſum. Intelligit autem Origenem & qui eum ſecutus eſt Ambroſium in 1. cap. Lucæ. Vide Auguſtinum epiſtola 95. & lib. De natura & gratia, cap. 63.

& ore omnium anathematizandum eſſe non dubito] Ex MS. adiecimus infinitiuum eſſe.

Annotationum in librum De perfectione iuſtitiæ hominis contra Celeſtium finis.

# ANNOTATIONES IN LIBRVM B. AVGVSTINI DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Ex collatione ad MS. B. Amandi duo, Alnenſe, Cambronenſe, Gemblacenſe & Collegij apud nos Societatis Ieſu: necnon vetera Amorbachij & Frobenij excuſa, nouiſſimamque Louanienſem editionem.

## IN LIBRI SECVNDI RETRACTATIONVM CAP. LXVI.

Ad eos autem ſcripſi monachos Adrumetinos] Adrumetum Bizacij eſt ciuitas, inter Aphrodiſium & Leptim paruã. Bizacium autem vna eſt ex Africæ regionibus conſulari prouinciæ contermina.

IN LIBRI PRIMI CAP. I.

Nunciatum eſt enim mihi de vobis fratres, ab aliquibus qui in veſtra congregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, per quos & iſta direximus, quòd de hac re diſſenſiones in vobis ſint] Alluſit ad illud Apoſtoli, 1 Corinth. 1. Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt inter vos.

IN CAP. II.

quod præſciebat eorum futurum] Perperam quo præſciebat.

reſpondet liber Prouerbiorum Salomonis, inſipientia viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo] Locus eſt Prouerb. 19. ſecundum Septuaginta, pro quo nos legimus, Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius, & contra Dominum feruet animo ſuo.

Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentor] MS. tria legunt, à Deo tentatur, ſed alterum eſt & in Græcis.

Ipſe ab initio fecit hominem] Sic MS. omnia, pro eo quod erat, fecit illum. Suffragatur etiam Græcorum lectio.

ad quodcunque volueris extende manum tuam] Mendosè extendere.

In conſpectu hominis vita & mors] Ex MS. adiecimus hominis: in Græcis autem eſt Ante homines.

Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus nõ eſt intellectus] Excuſa legebant in quibus, ſed præpoſitionem non habent MS. atque ita citatur & in impreſſis cap. proximo.

Noli abſtinere benefacere egenti] Locus eſt Prouerb. 3. ſecundum 70. pro quo nos legimus, Noli prohibere benefacere eum qui poteſt; ſi vales & ipſe benefac.

Noli fabricare in amicum tuum mala] Manuſcr. quædam legunt inimico tuo, ſed locus eſt Prouerb. 3. in quo legitur quod habent excuſa.

Noluerunt accipere diſciplinam] MS. tria legunt, Noluerunt habere, ſed locum reſpicit Ieremiæ 5. vbi nos legimus, renuerunt accipere diſciplinam.

& hoc ſtatuit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit] Perperam bene dixit. Loco autem virginem ſuam, MS. duo virginitatem ſuam legunt, ſed alterum eſt & in Græcis, ſimiliterque repetitur & capite proximo.

Sobrij eſtote iuſtè & nolite peccare] Locus eſt 1 Corinth. 15. vbi nos legimus, Euigilate iuſtè. Vox Græca ad vtrumque ambigua eſt.

IN CAP. III.

non eſſe perituros cùm in Chriſtum non crediderunt] Pro crediderant, ſic enim MS. omnia, conſentientibus veteribus excuſis.

& fecit digna plagis, vapulabit pauca] Rectius per ablatiuum extuliſſet, vti & paulò poſt vapulabit multa: ſed caſum retinuit qui erat in Græcis.

voluntas conuenitur humana vbi dicitur] Perperam conuertitur: ita enim & capite proximo, Et cùm voluntas eius conuenitur & ei dicitur.

IN CAP. IIII.

Si talis eſt cauſa homini cum vxore] Illud homini, deeſt in quatuor MS. reliquimus tamen quia legatur & in Græcis.

Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt & liberũ arbitrium] Durius paulo dictum eſt, pro, facit hoc Dei donum & liberum arbit[rium]: [hu]iuſmodi locutionem habuimus & ſuprà lib. 5. contra Iulian. cap. 9. Cæterùm in altero B. Amandi exemplari huiuſmodi erat lectio, & Dei donum eſt liberum arbitrium: vbi ſublata copula ſententia efficitur Pelagiana.

& hoc & illud donum Dei eſſe monſtrauit] Ita commodius MS. omnia, quàm monſtrat.

Vellem autem omnes homines eſſe ſicut & meipſum] Copulam ex MS. adiecimus, quam habent & Gr[...]

virtus verò peccati lex] Vocem Græcam [...] reddidiſſet, robur ſeu potentia: ſenſus enim eſt, legem peccato vires addere, ex eius prohibitione peccandi voluntas augetur, grauiusque peccatur.

ecce vnde dicit homo] MS. quatuor legunt, inde [...]

IN CAP. V.

vt niſi hoc obiectum ſibi anathematizaſſet] MS. quatuor legunt, vt ſi hoc obiectum ſibi non anathematizaſſet; ſed eodem recidit ſententia.

in qua ad nos & ipſe conuertitur] In excuſis deerat præpoſitio ad.

manifeſtat quidem voluntatis arbitrium] Excuſa addebant liberum, ſed non legunt MS. nec additur paulò pòſt vbi ait, declarat voluntatis arbitrium.

Et in libro primo quod dictum eſt] Excuſa addebant Paralipomenon, ſed non legunt MS. & iam paulò antè expreſſum legebatur.

ideoque ſecutus adiunxit] Ita rectè manuſcr. quædam, pro in eo quod.

Rogamus ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis] Mendosè Rogauimus, MS. conſentiunt vetera quoque excuſa.

Non ego autem, ſed gratia Dei mecum: id eſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo] Perperam ergo ex hoc loco liberum arbitrium Lutherus euertere conatur, tanquam ſola ſine nobis gratia Dei per nos operetur.

Collabora euangelio ſecundum virtutem Dei] In excuſis erat euangelio Dei, ſed genitiuum Dei, non legunt nec Græca nec MS.

IN CAP. VI.

nam ſi ſe illa ſubtraxerit] Sic rectè manuſcr. pro nam ſi illam ſubtraxerit.

Quapropter nec quãdo cœperit homo habere merita bona, debet

debet ſibi tribuere illa] *Ita legunt* MS. *omnia, pro eo quod erat, nunquam nec malè*, Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet ſibi, *&c.*

illam verò quæ datur in fine] *Sic* MS. *omnia, id eſt, poſt mortem; non rectè* in finem.

non eſſet reprobanda iſta ſententia] MS. *legunt* reproba.

### IN CAP. VII.

quibus dixit coronam redditurum] *In* MS. *additur* iuſtitiæ, *ſed nullo incommodo abeſt vox illa.*

Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: Quæ ſententia nullo modo poteſt etiam ſic conuerti, vt dicatur, Non miſerentis Dei, ſed volentis & currentis eſt hominis] *Triplex loci huius eſt interpretatio. Prima Chryſoſtomi hom. 16. in epiſtolam ad Romanos, & 12. ad Hebræos, quam amplectitur & Hieronymus quæſt. 10. ad Hebidiam; recitat verò & Auguſtinus lib. De prædeſtinatione ſanctorum cap. 7. dictum videlicet non ex Apoſtoli ſed aduerſarij & opponentis perſona. quod videntur ex Origene alicunde hauſiſſe. Et id quidem ante exortum Pelagium innoxiè diſputari ac dici potuit; cæterùm poſteaquam is eam interpretationem in hæreſis ſuæ fauorem arripuit, meritò reiecta eſt atque improbata. Extat autem etiamnum in eius Commentariis ſuper hunc locum Apoſtoli Roman. 9. Vidit hoc poſtea & ipſe Hieronymus vbi cœpit aduerſus Pelagium ſcribere; vnde lib. 1. contra eundem, à priore ſententia recedens, alterū adfert Commentarium, quem nec Chryſoſtomus iiſdem illis locis diſſimulauit; de quo iam deinde dicemus. Secunda eſt ergo interpretatio D. Chryſoſtomi locis iam ſupradictis. Gregorij item Nazianzeni ſermone quodam in dictum Euangelij Matthæi 19. Et Hieron. lib. 1. contra Pelagium paulò poſt initium. Ante eos autem & Origenis lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1. quem ſunt illi hac in parte imitati: vt illud, Non eſt volentis neque currentis, cum excluſionis particula intelligatur, tantùm videlicet, ſed & miſerentis Dei: idq; vel quia in omni opere bono concurrant ſemper Dei gratia & liberum arbitrium; vel quia non ſufficiat voluntas & ſtudium noſtrum, niſi Deus quod volumus donet, & quò currimus eò nos ipſe perducat; iuxta illud Pſalmiſtæ, Niſi Dominus ædificauerit domum; in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Quod quanquam verum ſit, tamen quia poſteriores eam Pelagiani altera ſaltem ſui parte, in erroris ſui patrocinium conuerterunt, opus bonum diuidentes, ac nobis quidem eius* [illegible]*am, conſummationem verò Deo aſſcribentes: contra quem errorem agit liber De prædeſt. ſanctorum, tum quia omnino non ſatisfacit hæc interpretatio, nec explet Apoſtolici loci ſententiam; quandoquidem eadem ratione dici queat, Non miſerentis Dei, ſed volentis & currentis eſt hominis; quod ſanè abſurdiſſimum eſt: ob has inquam cauſas reiicit eam iuſtiſſimè Auguſtinus, breuiter quidem hoc loco, latius autem Enchirid. cap. 32. fuſiſſimè verò lib. 1. contra Simplicianum quæſt. 2. Ergo tertiam dat ipſe hanc interpretationem. Non eſt volentis vt velit, neque currentis vt currat; ſed* [illegible] *Dei, qui dat nobis ipſum & velle & currere.* [illegible] *non ſol*[illegible]*oncurrat Deus in omni opere bono, non ſolùm voluntatem* [illegible]*m impleat & cœpti operis incrementum perfectionemq; tribuat; ſed primam quo*[illegible] *donet voluntatem ipſam bonam, boniq; deſiderium quo* [illegible] *vires currēdi progrediendiq; in ſtudio pietatis. Quem Commentarium quanquam non expreſſerint Nazianzenus, Chryſoſtomus vel Hieronymus, ab eius tamen doctrina non ſunt exiſtimandi receſſiſſe. Nam de Origene non admodum laboro, ex quo certum eſt Pelagium pleraque ſua hauſiſſe, quod aliàs fortaſſis oſtendemus. Certè quod ad Nazianzenum attinet eodem illo loco quem ſuprà citauimus, in dogmate cum Auguſtino clariſſimè conſentit: Verba eius ex tralatione Billiana hæc ſunt: Cùm illud audis, inquit, Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerantis Dei, idem tibi exiſtimādum ſentio. Quoniam enim nonnulli ſunt qui ob rectè facta ita animis efferuntur, vt id totum ſibiipſis aſſcribant, nec quicquam creatori, ſapientiæq; eorum authori, ac bonorum omnium ſuppeditatori, his verbis eos docet Paulus, quod ipſum etiam rectè velle diuino auxilio indiget; imò, vt rectius loquar, propoſitum quoque ipſum atque electio eorum quæ recta & cum officio coniuncta ſunt, diuinum quoddam beneficium eſt, atque à Dei benignitate manans. Idcirco ait, non volentis, id eſt non ſolùm volentis, nec currentis ſolum, ſed etiam miſerantis Dei. Ita, quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, optimo iure totum Deo aſſignauit. Quantùmlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo qui det coronam. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam. Scio, inquit, quòd nec leuium curſus eſt, nec bellum potentum, nec pugnantium victoria, nec proſperè nauigantium portus; ſed Dei eſt & victoriam adferre, & incolumem ſcapham in portū perducere. Hactenus ille. Chryſoſtomus autem homil. illa 12. in epiſtolam ad H*[illegible]*br. di*[illegible]*tis verbis teſtatur, quod agimus & volumus quanquam & noſtrum ſi*[illegible] *propter arbitrij cooperationem, totum tam*[illegible]*n & Dei eſſe. Vnde in hanc diſputationem ingrediens ita loquitur: Quid ergo, inquit, nihil Dei eſt? Omnia quidem Dei ſunt, ſed non ita vt liberum arbitrium lædatur. De Hieronymo verò nulla eſt controuerſia, qui etiam eodem illo loco & aliàs frequenter contra Pelagium ad ſingulos actus neceſſariam nobis eſſe docet gratiam Dei & pro ea ſemper orandum. Epiſtola verò ad Cteſiphōtem ita ſcribit: Agamus, inquit, ſemper gratias largitori, ſciamusq; nos nihil eſſe, niſi quod donauit, in nobis ipſe ſeruauerit, dicente Apoſtolo, Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum, ſine Dei ſemper auxilio non erit meum. Et ne de perſeuerantia tantùm locutus videretur Hieron. adiecit: Dicit enim idem Apoſtolus, Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere. Et Saluator in Euangelio, Pater meus vſque modò operatur, & ego operor; ſemper largitor ſemperq; donator eſt. Non mihi ſufficit quod ſemel donauit, niſi ſemper donauerit, &c. Vbi habes ipſiſſimum quoque Auguſtini Commentarium. Hæc ideò pluribus egimus, vt ne prædicti Eccleſiæ patres vel ipſi ab Auguſtino, vel ipſe ab eis diſſentire videretur, ſaltem in ipſo fidei dogmate.*

Homines autem non intelligentes, quod ait Apoſtolus, arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: putauerunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiamſi malè viuat & bona opera non habeat] *Hæc eſt & hæreticorum noſtri temporis ſententia, quam impugnat Auguſtinus cùm hoc loco, tùm lib. De fide & operibus cap. 14. 15. 16. 22. & ſequentibus.*

### IN CAP. VIII.

ſed naſcitur inde non parua quæſtio] *Pro* & naſcitur.

Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum] *Perperam* ſecundum meritum.

velut ad ea facienda ſibipſi ſufficiant] *Ex conſenſu manuſcr. adiecimus* ipſi.

Itaque fratres chariſſimi, ſi vita bona] *In excuſis deſiderabatur* ſi *condicionalis: ex quibus adiecimus & voculam* fratres.

quæ bonæ vitæ redditur] *Mendosè* bona.

### IN CAP. IX.

ſed inſuper accipiemus & gratiā pro gratia] *Sic conſtanter* MS. *pro* & inſuper.

De quo in Pſalmo dicit homo eius] *In excuſis deſiderabatur* eius,

quibus corona redditur] *Pro* reddetur, *ſic enim & paulò antè.*

Tanquam ergo interrogaretur Apoſtolus & diceretur ei] *Pro* interrogetur.

### IN CAP. X.

Cognitio dixit nō conſumptio] *Ita rectè* MS. *pro* conſummatio, *abolitionem enim peccati intelligit.*

Quod alio loco ipſe Apoſtolus dicit] *Sic conſentienter omnia* MS. *pro quo excuſa*, quando alio loco.

hoc eſſe in mortem] *Pro* in morte.

vt fiat ſupra modum peccator peccatum] *Sic* MS. *tria. quam lectionem ideò viſum eſt ſequi, quòd eadem & alibi extet apud Auguſt. vt lib. 1. ad Simplician. quæſt. 1. & ſerm. 4. De verbis Apoſt. Durus quidem apud nos ſermo & vitioſus, at non item apud Græcos, quibus eſt ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία. vbi Apoſtolus quaſi perſonam quandam fingit peccati, pro eo quod ſimpliciter dixiſſe poterat, euidens ac manifeſtum, grauiſſimumq; peccatum. Quam figuram videtur interpres quo hic vſus eſt Auguſtinus, exprimere voluiſſe. Hieronymus quæſt. 8. ad Algaſiam legit* peccantius peccatum, *addens ſe hyperbolicè loqui, nouoq; verbo vti ad ſenſum ſuum explicandum. Noſter interpres vertit* peccans peccatum, *quomodo & hic legebant excuſa. Cæterùm neſcio quomodo in ſuperioribus illis* MS. *noſtris legatur* peccator aut peccatum, *ſimiliter & aliis locis paulò antè citatis; niſi ſcriptum fortaſſe fuit* peccator aut peccans peccatum, *addita videlicet explicandi cauſa, vulgata noſtra verſione. Quare diſiunctiuam illam omittendam putauimus.*

& nos in Chriſto credidimus] MS. *conſtanter legunt* credimus, *ſed Græca per præteritum efferunt.*

### IN CAP. XI.

Sed iſti indociles, contra lucem Dei cæci, & contra vocem Dei ſurdi] *Sic rectius* MS. *quàm excuſa, quæ pro* lucem Dei, *legunt* legem Dei, *lux enim non lex Dei, cæcitati opponitur, quæ & ipſa per* vocem Dei, *quod ſequitur, ſatis ſignificatur.*

### IN CAP. XII.

Quid eſt autem, Non habens meam iuſtitiam] *Ex manuſcr. adiecimus* autem.

& ideo eis dominabatur peccatum] *pro* dominabitur.

### IN CAP. XIII.

quam commendat & percipit fides Chriſti] MS. *vnum habet* præcipit, *pro* percipit, *ſed* percipit, *dixiſſe videtur, pro eo quod eſt obtinet ac impetrat.*

in quem venturum antiqui etiam patres] *Mendosè* in quam.

non adderemus, Et ne nos inferas in tētationem. Illud enim dicimus,



dicimus, vt peccata dimittantur; hoc autem, vt caueantur ſiue vincantur] *Sed non ſic intelligebat Pelagius qui & hic inuenit quod reſponderet: qua de re Auguſtinus epiſtola 92. ad Innocentium pontificem, illud verò, inquit, quod ſequitur, Ne nos inferas in tentationem; non ita intelligendum dicunt, tanquam diuinum adiutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, ſed hoc in noſtra eſſe poſitum poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere voluntatem hominis. Et epiſtola 94. ad Hilarium, illud verò quod ſequitur, inquit, ne nos inferas in tentationem, non ſic accipiunt tanquam Deus orandus ſit, quo nos ad ſuperandas tentationes adiuuet peccatorum, ſed ne quiſquam irruens corporaliter nos humanus caſus affligat, quoniam peccatorum tentationes vincere, ita ſit iam in noſtra poſitum poteſtate poſſibilitate naturæ, vt hoc inaniter impetrādum orantibus arbitrentur. Ita enim legendum;* non arbitremur, *vt habent ibi vulgata.*

Commoneo autem charitatem veſtram & multum exhortor, vt beati Cypriani librum, quem ſcripſit de oratione Dominica, diligenter legatis, & quantum vos Dominus adiuuerit, intelligatis memoriæque mandetis] *Solet libenter hinc Auguſtinus aduerſus Pelagianos teſtimonia repetere; vt infrà lib. De correptione & gratia cap. 6. De prædeſt. ſanctorum cap. 8. De dono perſeuerantiæ, cap. 2. 4. 5. & 6. Lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 9. lib. 2. contra Iulian. cap. 3. Epiſtola 107.*

vt oſtendat tamen ea quæ implenda iubentur in lege, in oratione eſſe poſcenda] *Ita commodius, quàm* videntur in lege.

### IN CAP. XIIII.

vt natura liberetur, peccatum non dominetur] *Sic conſtanter* MS. *pro* ne peccatum dominetur.

Gratia ſalui facti eſtis per fidem] *In excuſis deerat* facti.

niſi rectiſſimè crederemus etiam peruerſas] *Ita locus hic diſtinguendus. perperam enim vulgata*, niſi rectiſſimè crederemus? Etiam peruerſas.

& aduerſus Deum omnino inflexibilem] *Mendosè vulgata* inflexibile eſt.

Ego facio domus Iſraël, ſed propter nomē meum ſanctum] *In vulgatis legebatur hoc pacto*, Non propter vos ego facio domus Iſraël; *quomodo legunt & Græca & Hebræa, ſed non videtur Auguſtinus priora illa verba addidiſſe, nam aliquanto infrà vrgens hunc locum, eorum verborum mentionem nullam facit, cùm tamen ad rem præſentem maximè facerent.* Quare enim, *inquit*, dixit, Ego facio; ſed propter nomen meum ſanctum; niſi ne illi putarent propter bona merita ſua fieri.

& dabo vobis cor carneum] *In excuſis erat* in vobis, *ſed præpoſitionem non legunt* MS. *nec addunt Septuaginta.*

Domino dicente atque teſtante, Ego facio domus Iſraël] *Nec hic legebant* MS. *quod iterum hic addebatur*, Non propter vos: *vti neque quod ſequebatur*, quod profanaſtis in gentibus.

per quod nomen Domini profanauerant] *Ita rectius quàm* profanauerunt.

### IN CAP. XV.

& ſpiritum nouum dabo in vobis] *Præpoſitionem addebāt non ſolùm* MS. *& Septuag. ſed & Auguſtinus capite ſuperiori.*

cùm adiuuat vt faciat cui iubet?] *Sic manuſcr. omnia, pro* & adiuuat.

augeatur, & tam magna fiat] *perperam* fiet.

Si volueris conſeruabis mandata] *Ita Septuaginta Eccleſiaſtici 15. pro quo nos legimus*, Si volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te.

### IN CAP. XVI.

Quare non ei ſufficit mandatum Dei] *Voculam* Quare, *adiecimus ex duobus* MS.

Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum eſt] *Coniunctionem* quod, *quam hic præponebant excuſa, ſecuti duo manuſcrip. ſuſtulimus.*

Deus eſt qui operatur in vobis & velle] *Addebant excuſa* & operari, *quod quanquam ſequatur in Apoſtolo, hic tamen redundat, cùm agatur de ſola voluntate: nam ad operationem pertinent quæ hic deinde ſubiiciuntur. Certè ita citatur locus iſte & infrà cap. 17. etiam in impreſſis.*

### IN CAP. XVII.

Quoniam ipſe vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens] *Diſtinguit operantem & cooperantem gratiam: Operantem Dei gratiam appellat, qua operatur in nobis aliquid, nihil tale nobis prius petentibus, deſiderantibus, cogitantibus, quin & aliquando reluctantibus. Sic Pauli conuerſio & prima voluntatis in eo mutatio; omne item in quocunque bonæ voluntatis initium qua ſe vult quiſque ad Deum vitamq; bonam conuertere; quam primam gratiam appellamus, ſecundum Auguſtinum operans Dei gratia dicitur: Quam eandem alibi & præuenientem vocat. Cooperans Dei gratia eſt, qua operatur aliquid in nobis Deus, ſed nobis ſimul cooperantibus quærendo, petendo, pulſando: cuiuſmodi eſt incrementum perfectioq; virtutum, imò & ipſa peccatorum remiſſio, totiusq; iuſtificationis progreſſus qui gratiam eam ſequitur qua primum incipimus ad Deum conuerti. Hanc cooperantem gratiam aliquando Auguſtinus & ſubſequentem appellat. Scio hæc aliter à quibuſdam definiri, ſed nos hic Auguſtini mentem ſententiamq; explicamus. Quæ rectè percepta, haud difficile erit intelligere, quod ab eodem paulò poſt hic ſubiicitur:* Vt ergo velimus, ſine nobis operatur; cū autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur. *Non ſine nobis agentibus & liberè operantibus, ſed ſine nobis id prius volentibus & qualicunque ſtudio merentibus. Sic epiſtola 105. ad Sixtum,* Opera bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine: *non quaſi credere ſine voluntatis motu poſſimus, ſed quia fides præuia, quia boni cupiditas inſpiretur à Deo, ante omnem conatum noſtrum, & credendi ſtudium: opera verò bona quæ ex fide oriuntur, fiunt à nobis prius ea volētibus, & in ea toto conatu incumbentibus. Cuiuſmodi apertam eius habes ſententiam lib. De dono perſeuerant. cap. 15. quæ ad ſuperiores illuſtrandas plurimum valeat. Conſtat, inquit, Deum alia etiam non orantibus, ſicut initium fidei; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam.*

Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum.] *Ex hoc loco clariſſimè intelligitur Auguſtinum ſingulari numero* cooperatur *ſcripſiſſe, non* cooperantur, *quomodo legebant tamen &* MS. *& vulgata omnia, excepta editione Louanienſi. Quopacto enim alioqui ſubiungeret*, Quid eſt omnia, niſi & ipſas terribiles ſæuaſque paſſiones? *Huc pertinent quæ habet lib. De corrept. & gratia cap. 9.* Talibus Deus, *inquit*, diligētibus eum omnia cooperatur in bonum, vſqueadeò prorſus omnia, vt etiam ſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. *Quare vbicunque hic locus in Auguſtino occurrit, ita reſtituendus eſt, quomodo eodem illo capite lib. De corrept. & gratia etiam in excuſis ſincerius non ſemel ſcriptum legitur.*

Talibus enim Dominus dixit eſſe ſuam ſarcinam leuem; qualis Petrus fuit quando paſſus eſt pro Chriſto] *Sic* MS. *omnia cum Amorbachio. quam lectionem primus immutauit Frobenius, ſcribens* qualis Petro fuit, *quod nihil opus erat, rectiſſimè enim intelligitur, cui ſarcina leuis fuerit.*

factus ſum æramentum ſonans] *Notam ſimilitudinis* velut, *quam hic addebant excuſa, non legunt nec* MS. *nec Græca.*

Charitas magnanima eſt, benigna eſt] *Sic conſtanter manuſcr. pro* magnanimis.

Nunc autem manent, inquit, fides, ſpes, charitas] *Pro* manet, inquit.

maior autem horum charitas] *Verbum* eſt, *quod hic addebatur, non legunt nec Græca nec manuſcr.*

Ad Corinthios autem dicit] *Perperam* cum dicit.

& præcepta eius facimus] *Ita conſtanter* MS. *non* mandata; *al*[illegible]*rum enim & cum ſequentibus rectius conuenit.*

### IN CAP. XVIII.

Hæc omnia præcepta dilectionis, id eſt charitatis] *Mendosè* charitas.

Et quod diſcipulis ſuis dicit Dominus] *perperam* dicis.

vt ab illo eligi mereremur] MS. *quatuor legunt* eligeremur; *ſed placet magis excuſorum lectio, cùm qua conſentiunt & vetera excuſa ac quintum manuſcr.*

qui legem dederat vt inuicem diligamus] *pro* dedit.

gratias agere debemus Deo pro vobis] *Non* de vobis, *nam alterum habes & paulò antè expreſſum.*

In quo ſanè Apoſtoli teſtimonio cauere debemus, ne nos arbitremur non accepiſſe ſpiritum timoris Dei, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum] *Loquitur de timore non patris tantùm ſed & iudicis, vti paulò poſt explicat*, & ſpiritus timoris Domini, *inquit*, non quo timore Petrus Chriſtum negauit; ſed illius timoris ſpiritum accepimus, de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus, Eum timete qui habet poteſtatem & animam, & corpus perdere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. *Hunc ergò timorem Dei quo velut iudex à nobis timetur, magnum eſſe Dei donum Auguſtinus aſſerit; hæretici noſtri temporis peccatum eſſe docent.*

quo turbatus eſt Petrus] *Typographicus error eſt, vbi* turbamus *legitur.*

De quo ſpiritu] *Pro* ſpiritum, *eiuſdem generis mendum.*

### IN CAP. XIX.

tenebræ eam non compre[illegible]ndu[illegible]t] *Sic* MS. *omnia cum veteribus excuſis, pro* comprehender[illegible]nt.

Quam ſi veram, id eſt, Chriſtianam dilectionem haberent,

ſcirent & vnde haberent, ſicut ſciebat Apoſtolus qui dicebat, Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis] Abutuntur hoc Apoſtoli loco hæretici, ſtatuere ex eo conātes, debere vnumquemq; fidelium de accepta peccatorum remiſſione, Dei gratia, & vita æterna conſequenda, certum eſſe ac ſecurum. Verùm non ſic eum hic Auguſtinus interpretatur, verùm doceri nos per illuminationem ſpiritus ſancti, vt quicquid in nobis ſpiritualium chariſmatum & gratiarum ſentimus, non nobis ipſis, ſed Deo authori & largitori acceptum referamus, eoq; non vanè nobis placeamus, ſed Deo gratias agamus.

Item cùm dicat Apoſtolus] perperam dicit.

Fides autem vera & doctrina ſana ambas eſſe dicit ex Deo] Sic rectè MS. omnia, pro eo quod erat, Fidem autem veram & doctrinam ſanam. Vocula enim ambas, quæ ſequitur, non fidem & doctrinam reſpicit, ſed ſcientiam & charitatem.

A facie eius ſcientia & intellectus procedit] Locus eſt Prouerbior. 2. iuxta Septuaginta, vbi nos legimus, & ex ore eius ſcientia & prudentia.

IN CAP. XX.

ſed ſine vlla dubitatione] vocem vlla, conſtanter addebant MS.

ſicut eſt fuga Iſraëlitarum à facie hoſtium de ciuitate Gai] Sic MS. omnia conſentientibus 70 pro Hai, vt nos legimus.

vt obuiam irent ad Iſraël ad bellum] MS. legunt ad bellum Iſraël, ſed alteram lectionem habes & ſuprà lib. 5. contra Iulian. cap. 3. Dixit autem ad Iſraël, pro, aduerſus Iſraël.

plenus vera & alta & pia ſapientia] Addunt manuſcr. & ſpiritu prophetico.

quanto magis hic filius Iemini] MS. quatuor ita hic legunt, & adhuc modo filius Iemini; cui lectioni ſatisfaciunt & Græca, εἰ ῥὴ νῦν ὅτος ὁ ὑὸς τῦ ἰεμιναίυ, id eſt, ſi autem & nunc hic filius Ieminæi.

Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere Dauid, quis ſapiens & intelliget? Non enim iubēdo dixit vbi obedientia laudaretur, ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malam in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto, & occulto inclinauit, ideo dictū eſt, dixit ei Dominus] Similis locus eſt infrà cap. 21. Agit, inquit, omnipotens Deus in cordibus hominum etiā motū voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit; qui omnino iniuſtè aliquid velle non nouit. Expreſſius autē poſt non pauca, eodem cap. O[...]atur, inquit, Deus in cordib. hominū ad inclinādas eorum volūtates quocunque voluerit ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorū, iudicioq; vtiq; ſuo aliquando aperto, aliquādo occulto, ſemper autem iuſto. Et de prædeſtinat. ſanctorum cap. 20. Agit, inquit, Deus quod vult in cordibus hominum vel adiuuādo vel iudicando, vt etiam per eos impleatur quod manus eius & conſilium prædeſtinauit fieri. Sic & alibi non ſemel, vbi Deus agere, operari, & inclinare voluntates hominum dicitur non tātum ad bonum, verùm etiam ad malum; at non ipſam inſpirando mali[...] ſed inuentam ordinando, determinando, ac diri[...]endo vt [...]atur quomodo viſum ei fuerit. Non ſecus ac ſi princeps q[...]piam ſatellites ſuos ſpoliandi prædandiq; cupidiſſimos in hunc vel illum immittat [...]uem tali pœna dignum mulctandumq; iudicarit; vbi non [...]atus malæq; voluntatis eorum cenſendus eſt ſiue author ſiue conſultor, ſed iuſtæ tantum punitionis quam per eorum exequitur exercetq; malitiam. Ita Semei de quo hic agitur, cùm eſſet de cognatione Saulis, Dauidem ob ereptum regnum peſſimè oderat, auidiſſimus ſeſe quocunque modo ſeu verbis ſeu factis aliquando vlciſcendi. Hac eius malitia vſus Deus, cùm Dauidem punire exercereq; vellet, obiecta calamitatis huius occaſione, cor eius ad lædēdum promptiſſimum paratiſſimúmque direxit ac inclinauit, vt & conuiciis & ſaxis ſparſoq; puluere Dauidem inceſſeret. Non ipſe odij illius ac maledicentiæ iniuriæq; author, ſed ordinator, director, ac gubernator ad iuſtam Dauidis animaduerſionem exercendam. Atque ita ſemetipſum explicat Auguſtinus cùm iiſdem illis ſuperioribus locis, tum verò lib. 5. contra Iulian. cap. 4. Facit hæc Deus, inquit, miris & ineffabilibus modis; qui nouit iuſta iudicia ſua non ſolum in corporibus hominum, ſed & in ipſis cordibus operari; qui non facit voluntates malas, ſed vtitur eis vt voluerit, cùm aliquid iniquè velle non poſſit. Quare non eſt, quòd ob huius generis operationes inclinationesq; Caluinus Deum faciat peccatorum authorem.

cur ei Dominus iſto modo dixerit maledicere Dauid] pro dixerat.

hoc eſt, cor eius malum in hoc peccatum miſerit vel dimiſerit] Illud in hoc peccatum, ex quatuor adiecimus MS.

IN CAP. XXI.

locutus eſt in manu Ahiæ Silonitæ] perperam Abiæ.

Et ſuſcitauit Dominus ſuper Ioram ſpiritum Philiſthijm & Arabum qui finitimi erāt Æ[t]hiop[ib]us] Sic MS. quatuor. in excuſis erat, Et ſuſcitauit Dominus ſpirit[u]m ſuper Ioram: quod explens quintum MS. legit, ſpiritum aduerſariorum ſuper Ioram. ſed primæ lectioni conſentiunt 70. quæ ſic habent, Et ſuſcitauit Do[minus ſuper] Ioram Philiſthæos, & Arabes, & confines Æthiopum.

aut ſic venerunt ſua voluntate, vt mendaciter ſcriptum ſit] Mendosè aut ſi venerunt.

non eſt enim Dominus cū Iſraël & omnibus filiis Ephrem] Copulam quamquam non legant manuſcr. duo, nec habeant Septuaginta, viſum eſt tamen relinquere.

quoniam ſi putaueris obtinere in illis] Redundat accuſatiuus te, quem hic inſerebant excuſa, nec eſt in quibuſdam manuſcr. nec apud Septuaginta.

& conuerſus eſt color eius per diſſolutionem] MS. quatuor legunt, & conuerſum eſt cor eius; ſed Græca cum excuſis & quinto manuſcr. conſentiunt.

& ideò mittet illis Deus operationem erroris] Ex MS. adiecimus copulam &.

qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati] Ita rectè manuſcr. pro eo quod erat, conſenſerunt falſitati; Græcis eſt enim ἀδικίᾳ.

IN CAP. XXII.

nihil aliud quàm ſe negare gratiam] Ita rectè MS. pro eo quod erat, nihil aliud dicere quàm ſe negare.

aliquando autem fidelium filij] Aduerſatiuam ex manuſcr. adiecimus.

putabant & iactitabant Apoſtolum dicere, faciamus mala vt veniant bona] Perperam Apoſtolos, de Paulo enim loquitur. Sic quod ſequitur, Quod abſit vt Apoſtolus diceret, pro Apoſtoli dicerent.

IN CAP. XXIII.

& ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit] Illud ſi quid aliter ſapitis, deerat in excuſis.

quando ablata eſt ab Ægyptiis cynomyia] pro cynomya.

tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius] Mendosè reddit.

IN CAP. XXIIII.

& contentiones in vobis ſunt] Loco ſint.

quia ſi ex nobis eſſet iſta ſapientia] Mendosè vobis.

Annotationum in librum De gratia, & libero arbitrio finis.

# ANNOTATIONES IN BEATI AVGVSTINI LIBRVM DE CORREPTIONE ET GRATIA.

In hoc libro caſtigando iiſdem codicibus vſi ſumus quibus & in ſuperiore, niſi quòd alter nos hic B. Amandi MS. deſtituit.

IN CAP. I.

Lectis literis veſtris Valentine frater dilectiſſime, & qui ſimul ſeruitis Deo, quas per fratrem Florum & eos qui cum illo ad nos venerunt, miſit charitas veſtra, egi Deo gratias] Hac Valentini epiſtola hactenus excuſa non extitit, inuenta eſt autem nuper in bibliotheca Vaticana, quàm hac editione, vt arbitror, Plantinus in lucem dabit vnà cum non paucis eius generis aliis. Eam ego me ante biennium legere memini, & ſtatueram eam huic libro præmittere, ſed neſcio quo pacto id poſtea exciderit.

Non itaque opus eſt omnia identidem retractare] In vulgatis addebatur accuſatiuus me, ſed non legunt manuſcr. quatuor, nec vetera excuſa.

quem quomodo ſuſcepetitis, reſcripta indicant veſtra] Ita rectius cum MS. quàm ſcripta.

vt dilucidiſſimè ſciatis] Perperam excuſa omnia diligentiſſimè.

Si vos filius liberauerit] pro liberauit.

Nec ita, vt cùm quiſque fuerit à peccati dominatione liberatus] Perperam peccati [d]amnatione. MS. conſentit & Amorb.

quæ ſine dubio vera & prophetica & Apoſtolica, & Catholica fides eſt] Ex conſenſu MS. adiecimus & Catholica.

qui eum non intelligebant] MS. B. Amandi eam legit, ſed ex Valentini ad Auguſtinum epiſtola intelligimus germanam eſſe lectionem alteram.

IN CAP. II.

Quoniam ſicut idem doctor gentium dicit] Genitiuum gentium, conſtanter legebant MS.





vt terra eorum daret fructum ſuum] Sic rectè MS. quatuor, pro terra eius, vt non ad Dominum ſed ad homines referatur: alludit enim ad illud Pſalmi, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

IN CAP. III.

Imò omnia fiant] MS. quatuor faciant legunt.

IN CAP. IIII.

non eſt omnino alius] MS. cum Amorbachio aliud habent, ſed omnino germanum eſt alius.

pro cæleſtis & diuinæ gratiæ veritate certare] Perperam charitate certare.

IN CAP. V.

niſi vt rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur] Fortè, vt ex malis.

& tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit] MS. vnum loco ſupernus, legit ſuper nos: aliud quoddam vtrumque coniungit, ſed nos excuſorum lectionem prætulimus, reliquis manuſcr. conſentientem.

Reſponderetur ei] MS. duo legunt, Nūquid timuit ne reſponderetur ei. Sed videtur redolere Ariſtarchum.

quamuis non negetur, Deum poſſe quem velit] Ita rectè manuſcr. pro Deus.

IN CAP. VI.

non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio] MS. quatuor ita legunt, non accepi, quod acceptum gratia Dei, &c. cui fauere videtur quod paulò poſt ſequitur, quem cōſtat accepiſſe, & ſua culpa quod acceperat amiſiſſe? Reliquimus tamen quod erat in excuſis.

tamen vt correpto proſit] Perperam correptio.

poſſum omnino quando me arguis] Loco arguit.

quod ex bona vita in malam mea volūtate relapſus ſum] MS. duo legunt ex bona voluntate, ſed alterū habes & infrà initio cap. 7.

tam laudabilem tamque felicem] Mendosè infelicem.

Deinde cùm dicit Apoſtolus] pro dicat.

Gratias ago Deo meo] In excuſis deerat meo, quod legunt & Græca.

Donum Dei eſſe in bono perſeuerare] Ex MS. adiecimus eſſe.

& crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam] MS. tria præordinati legunt, ſed alterum habes & verſu ſequente.

niſi perſeuerantiæ dono] MS. quatuor pro niſi, legunt ſiue, ſed eodem recidit.

hic ſaluus erit] pro erat.

Quod cùm iam per lauacrum regenerationis] Illud iam, addebant conſtanter MS.

Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum] MS. conſtanter legunt, quomodo & ego ſanctus ſum. ſed alterum habes & lib. De dono perſeuerantiæ, cap. 2. & lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 9. nec aliter iam legit Cyprianus, cuius hæc ſunt verba.

IN CAP. VII.

& ideò corripiuntur] MS. duo legunt, & ideò correptione: tertium, correptione ſunt digni, quomodo habes in fine huius periodi, etiam diuina in æternū damnatione ſunt digni. Reliquimus quod erat in excuſis.

ſicut hic modò dicūt] Voculam hic, addebant quatuor MS. quam & vrgere videtur Auguſtinus.

quoniam poteſt dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeuerares ſi velles] Ita commodius MS. duo, quàm excuſa, quoniam poteſt dici homini, in eo quod audieras, &c.

niſi qui hoc donum habet quiſquis habet, quod gratia ſaluatoris accepit] Locus hic variè in MS. habebatur: quorum duo ſic legūt, niſi qui hoc bonum habet, quicquid habet quod gratia ſaluatoris accepit; tertium, quod quidem habet, gratia ſaluatoris accepit; quartum, niſi qui hoc bonum habet, quiſquis habet quod gratia ſaluatoris accepit. Amorbachius verò, niſi quod hoc donum habet quicquid habet, &c. Vbi Frobenius, quicquid in quiſquis mutauit. Nos ex hac varietate ſententiam collegimus, quæ viſa eſt commodiſſima, quanquam fortaſſe nondum per omnia ſatisfaciet.

vt beatus Cyprianus ad Quirinum ſcribens] Pro Cyrinum; ita enim citatur & ſuprà lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 8. & 10.

omnia cooperatur in bonum] Pro cooperantur: ſimiliter & paulò infrà.

his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt] In MS. additur ſancti, ſed non eſt in Græcis.

& prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui] Infinitiuum fieri, qui addebatur in excuſis, non legunt quatuor MS. nec ipſa Græca; ſimiliterq; citatur & paulò infrà.

non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt] In impreſſis antecedebat copula &, ſed non eam legunt nec Græca Pauli nec MS.

vt per eius opus damnabile] Sic MS. pro vt &.

Cùm itaque audimus, nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt; illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per iudicium] Abutitur hoc loco Caluin. tanquam ſentiat Auguſtinus, peccatum Iudæ ex diuina electione ac ordinatione extitiſſe, atque ita eſſe Deum vt bonorum ita & malorum authorem. Sed detegitur facilè calumnioſum eius ſtudium, ſi ſuperiora iungantur, vbi ſic ait Auguſt. Electi ſunt, inquit, ad regnandum cum Chriſto: non quomodo electus eſt Iudas ad opus cui congruebat: Ab illo quippe electus eſt, qui nouit bene vti etiam malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur. Vbi non ſentit electum eſſe Iudam ad fundendum Chriſti ſanguinem, aut eum etiam Iudæis prodendum, ſed quoniam præuidebat eū Deus ex ſemetipſo malum futurum, eum elegiſſe cuius malitia vteretur ad opus redemptionis noſtræ peragendum.

Quis condemnat?] MS. conſtanter legunt, Quis eſt qui condemnet? ſed alterum ad Græca vicinius accedit.

Qui verò perſeueraturi non ſunt, ac ſic à fide Chriſtiana] In excuſis deerat ac.

in iſto numero computandi ſunt] MS. quatuor legunt iſtorum.

IN CAP. VIII.

Sed naſcitur inde non parua quæſtio] Eandem habes ſimiliter tractatam epiſt. 105. ad Sixtum.

quibus eam quā Chriſtianè viuerēt dilectionem dedit] Mendosè qui eam.

Tu autem quiſquis inimicus eius gratiæ ſic interrogas] MS. quatuor legunt, inimicus es gratiæ ſic interrogans: nos excuſorum lectionem reliquimus.

ipſe quid dicis?] Mendosè qui dicis.

ſi ea quā fidelis erat, voluntas ipſā deficeret] Sic MS. quatuor, pro ſi ea quæ fidelis erat.

ideò pro illo Chriſti non poſſet inanis eſſe oratio] Ex MS. addidimus Chriſti.

Vel quæ accedunt extrinſecus] Ita MS. pro accidant.

Reſpondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus] Pro qui eos irrident.

IN CAP. IX.

non quia iuſtitiam ſimulauerunt, ſed quia in ea non perman[ſe]ſerunt] Caluinus VViclephum ſecutus negat reprobos aliquando iuſtos fuiſſe: diuerſum hic docet Auguſtinus.

Igitur filiis ſuis non prædeſtinatis Deus perſeuerantiam non dedit] Perperam excuſa, Non igitur filiis ſuis prædeſtinatis: neq; enim de prædeſtinatis, ſed reprobis agit.

quia murmurarent de hoc diſcipuli eius] pro murmurabant. MS. & Græca conſentiunt.

Appellamus ergo eos] Loco nos.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia co[o]peratur [in] bonum] Rectam hic habes lectionem verbi cooperatur, etiam in excuſis, quomodo & infrà eodem hoc capite duobus præter[...]

vt vſque in finem perducant, quod in bono eſſe cœperun[t]] Ita rectè MS. conſentiente Amorbachio, pro perducantur.

Ideò de illo dicit & propheta Eſaias, qui fecit quæ futura ſunt] Locus eſt Eſaiæ cap. 45. ſecundum 70. in quibus ita legitur, quia ſic dicit Dominus Deus ſanctus Iſraël qui fecit ventura. Interrogate me de filiis meis. Pro quibus noſtra verſio ſic habet, Hæc dicit ſanctus Iſraël plaſtes eius, ventura interrogate me. Cæterùm copulam & addebant conſtanter MS. pro futura autem MS. quoddam ventura legebat, ſed alterum habes & infrà cap. 14. & lib. De prædeſt. ſanctorum cap. 10.

Diſcunt enim in ipſa via iuſta] MS. tria loco via, legebant vita; ſed alluditur ad locum Pſalmi, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta; vt ex ſequentibus facilè intelligitur.

non mouebimur in æternum] Ita rectè exemplar B. Amandi, pro non mouebor, de pluribus enim loquitur.

Deus eſt enim, inquit, qui operatur in vobis] Redundat verbum ait, quod in excuſis hic antecedit.

qui dicebat in abundantia ſua] Ex manuſcr. adiecimus præpoſitionem in.

piæ conuerſationis & perſeuerantiæ] Ita quatuor manuſcr. pro conuerſionis.

facturo Deo aut miſericordiam aut iudicium] Redundat præpoſitio ad, quæ in excuſis ad vtrunque accuſatiuum addebatur.

IN CAP. X.

cui tam neceſſarium Dei donum defuit] Pro eo quod erat, cui tamen neceſſarium Dei donu[m] fuit.

eum perſeuerantiam non [h]abuiſſe] Ita rectè MS. cum veteribus excuſis, pro eam perſeuerantiam.

quia in eo bono quo ſine vitio fuit] MS. *omnia, vno dempto, pro* quo, *legunt* quod: *vnum quoddam neutrum legit. ſed recta eſt excuſorum lectio, vti ex ſequentibus patet.*

Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis maſſa] *Perperam* ille.

à Domino Deo refugæ facti ſunt] *Deerat in noſtris præpoſitio* à.

erat tamen adhuc] *Pro* erant.

IN CAP. XI.

Itemque virgine requirente] *Ita commodius quàm* virgini requirenti. MS. *conſentu & Amorbachius.*

cùm ipſa ſuſceptio talis eſſet] *Mendoſè* cùm ita.

qua nunquam vellet eſſe malus] MS. *quatuor legunt*, qua nunquam eſſet malus, *ſed rectius excuſa.*

quam reliquit in eius libero arbitrio] *Pro* quem.

ad bonum autem parum eſt] *Sic* MS. *quatuor conſentientibus veteribus excuſis, cuiuſmodi locutionis genere vtitur Auguſt. & ſuprà lib. De perfect. iuſtitiæ cap.* 10. Quæ tamen charitas, *inquit*, vt habeatur, etiam tanta quanta in corpore mortis huius haberi poteſt, parum eſt noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adiuuet gratia Dei per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. *In noſtris impreſſis erat*, ad bonum autem nihil eſt. *quam lectionem habebant vetera excuſa ad marginem annotatam.*

Prima eſt enim qua fit, vt habeat homo iuſtitiam ſi velit] MS. *quoddam habet* iuſtitiam qua velit, *ſed prorſus contra Auguſtini ſententiam, vti etiam ex ſequentibus liquet.*

vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem; voluntate ſpiritus vincat] MS. *duo pro* voluntatem, *legunt* voluptatem; *tertium verò quoddam pro* voluntate, voluntati, *vt ad ſuperiora pertineat. Sed nihil immutamus.*

nec illa quidem parua erat qua demonſtrata eſt] *Perperam* quæ demonſtrata.

Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem] MS. *quatuor loco* bonam, *legunt* liberam, *ſed locum vix dubito à quopiam immutatum, qui putarit primum hominem non fuiſſe in iuſtitiâ creatum: ſed omnino ridiculè, cùm vel hoc libro toties Auguſtinus diuerſum inculcet.*

quum primum facti ſunt defuiſſet] *Mendoſè* quàm primùm.

Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam] MS. *conſtanter legunt* Fit quippe; *reliquimus tamen quod habebant excuſa.*

quæ libertas futura erat & homini] *Vocem* libertas, *ex duobus manuſcr. adiecimus, prorſus enim videtur deſiderari; certè repetitur & capite proximo.*

Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum eſt donum gratiæ; quæ merces meriti futura erat] *Eſt & nunc plena illa libertas merces meriti, ſed ſimul etiam gratia, merces* [illegible] *ctu meritorum, gratia verò reſpectu noſtri, qui* [illegible]*eccatores eramus iuſtificationis beneficio indigni. Eius generis gratia non potuit eſſe vita æterna, ſi Adam in bono perſeueraſſet, vtpote ab initio iuſtus* [illegible] *Dei filius.*

IN CAP. XII.

non tantum tale adiutorium perſeuerãtiæ datur] *Vocem* tantum, *nulla legebant* MS. *ſed cùm addatur in veteribus excuſis & paulò pòſt ſimilis repetatur, viſum eſt relinquere.*

Nec eam niſi manentem vitæ huius inueniet finis] *Pro* inuenit.

Maior quippe libertas eſt neceſſaria] *Maiorem libertatem intelligit potentiorem, quomodo eam & ſuperiori capite appellauit, qua fiat videlicet vt non modò poſſimus non peccare & tentationibus cedere, verùm etiam peccata tentationesq́ue diaboli fortiſſimè ſuperemus. Nam pleniorem integrioremq́ue libertatem certum eſt parentes in primo ſtatu habuiſſe, quàm nunc iuſtis detur; carebant enim illi moleſtiſſimo illo concupiſcentiæ malo, cum quo nobis quotidianum eſt bellum, qua interna rixa à plena iuſtitiæ dilectione ac delectatione non parum impedimur.*

iſti futura quæ accepturi fuerant non viderent] *Perperam* viderunt.

non tamen vltrà ſeruiant peccato] *Mendoſè* vltro: *quomodo & paulò pòſt*, Huic peccato vltrà non ſeruiunt.

de quo peccato quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa ac diuerſa ſentiri; ego autem dico id eſſe peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deſerere vſque ad mortem] *Peccatum vſque ad mortem varij variè ſunt interpretati. Græci plerique crimen omne intelligunt quod mortem æternam mereatur, vt contra veniale diſtinguatur. Sic Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatôn. Origenes homil. 10. in Geneſim, & tomo 19. in Ioann*[illegible]*n. Chryſoſt. in Pſalm. 49. Cyrillus lib. 4. in Leuit. Latini quoque Pacian*[illegible] *parœneſi ad pœnitentiam, vbi legit, Eſt peccatum quod ducit ad mortem. Ambroſius lib. 1. De pœnitent. cap. 9. & 12. & lib. 2. cap. 3. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. vltra medium. Bernardus de triplici miſericordia. Auguſtinus verò id tantum crimen in quo ad mortem vſque perſeueret, ſeu finalem impœnitentiam, tum hoc loco, tum lib. 1. De ſerm. Domini in monte, cap. 43. Lib. 1. Retract. cap. 19. Cui aſtipulantur Hieron. in 14. cap. Hieremiæ; Gelaſius papa tomo de anathemate; Gregorius lib. 16. moral. cap. 28. Nec procul recedit ſcholia Græcanica. Cæterùm pro prioris generis peccato quomodo dicat Ioannes, non pro illo dico vt oret quis, optimè explicat Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, docens nihil aliud his verbis ſignificari quàm pro grauibus aliorum peccatis difficilem eſſe omnino exauditionem; nec eam impetrationis fiduciam promiſſam, quæ his qui orant pro peccato non ad mortem. Qui ſcit fratrem ſuum, inquit Ioannes 1. Epiſt. cap. 5. peccare peccatũ non ad mortem, petat, cum fiducia videlicet, & dabitur ei vita peccãti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortẽ, non pro illo dico vt roget quis, hoc eſt, non prohibeo quidem orare, ſed polliceri non audeo quod facilè certoq́ue impetrabis: ideò non dico vt roget quis, nimirum cum certa illa impetrandi fiducia. A quo Commentario non procul recedit Ambroſ. lib. 1. De pœnitent. cap. 9. vbi ait non dixiſſe Ioannem, vt nemo pro peccantibus ad mortem oret; ſed ne quis, hoc eſt vulgaris ac quiuis de media plebe. Opus hic eſſe precibus magnorum, nec parui meriti ſanctorum. Cæterùm pro finaliter impœnitentib. certũ eſt non eſſe orandum.*

Non autem ſic credidit Abraham] *Ita* MS. *omnia cum Amorbachio, pro* Non ait ſic, credidit Abraham.

ſed ſimul ſciente quid de illo ipſe faceret iuſtè] *Perperam* fecerit iuſtè.

Nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas] *Ita rectius manuſcr. cum veteribus excuſis, quàm* illa magni peccati.

qui factus eſt nobis ſapientia] *Perperam* vobis, *alterum enim habent* MS. *omnia & ipſa Græca.*

Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur] *Ita rectè* MS. *omnia, pro* inſeparabiliter. *Non ſentit autem Auguſtinus electos à via rectà declinare & ſuperari à tentatione non poſſe; ſed tam potentem eis dari gratiam, vt quantumuis infirmi & imbecilles, tamen nec declinent, nec ſuperentur: vt non negata peccandi impotentia, ſed euentus tantum ſignificetur. Id quod ſequentia verba ſatis indicant:* & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. *Et infrà*, infirmis ſeruauit vt ipſo donante inuictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent.

& hoc deſerere inuictiſſimè nollent] *Perperam pro* &, *legebatur* nec.

IN CAP. XIII.

non aliter hæc audire debent] *Ita rectius cùm* MS. *quàm* hoc audire; *præcedit enim*, ſic iſta dicuntur.

Nam propter huius vtilitatem ſecreti] *Ex manuſcr. adiecimus* Nam.

dum occultum eſt qui perueniant] *Sic* MS. *omnia, non* quò.

haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem] *Supereſt præpoſitio* in, *quam hic addunt noſtra excuſa.*

Cùm enim rex iuſtus, ſicut ſcriptum eſt, ſederit in throno, non aduerſabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato?] *Locus eſt Prouerb. 20. ſecundum 70 pro quo nos habemus, Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?*

qua fit beatus, cui non imputauit Dominus peccatum] *Sic* MS. *pro* fiet.

miſericordia eius præuenit hominem, vt liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat, niſi Dei gratia regeneraretur; & quæ paſſurus fuerat in æternum, niſi erueretur à poteſtate tenebrarum] *Liberationem à malis futuris pro præſeruatione dixit. quo genere locutionis vtitur interdum & ſcriptura, vt in oratione Dominica, Libera nos à malo; hoc eſt, vt interpretatur eccleſia, ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris.*

Rectè quippe ipſa intelligitur, quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia] *Sic rectè* MS. *duo, pro eo quod erat*, quæ gratia in Euangelio legitur, Gratiam pro gratia.

IN CAP. XIIII.

Vt ſi is qui corripitur] *Perperam* corripit.

& quod ſcriptum eſt, quòd vult omnes homines ſaluos fieri, nec tamen omnes ſalui fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemorauimus] *Abutebatur hoc Apoſtoli loco Pelagius ad hæreſis ſuæ confirmationem qua naturalem cuique poſſibilitatem ineſſe volebat, qua ex ſeipſis etiam ſine Dei gratia, & vocationi acquieſcere, & ad ſalutem*



*æternam peruenire poſſent: vnde in Commentariis ſuis, hanc verbis Apoſtoli condicionem adiicit*, ſi ipſi tamen vocanti Deo conſentire voluerint, *quod nimirum omnes ex ſemetipſis poſſe, cõtendebat. Ergo Auguſtinus ad excludendam hanc intelligentiam, triplicem ipſe Commentarium adfert, quo ſecundum ſcripturas ſacras accipi ea verba poſſe videantur. Primus eſt, quòd niſi per eius miſericordiſſimam voluntatem & gratiam nemo ſaluus fiat, quo ſenſu accipiendum eſt illud Ioannis 1. Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; non quaſi omnes illuminentur, ſed quia nemo niſi per illum. Quomodo dici etiam ſolet, hic ludimagiſter omnes docet huius ciuitatis adoleſcentes: non quia omnes literas diſcant, ſed quòd nemo niſi ab illo. Sic Auguſt. De prædeſt. ſanctorum cap. 8. Epiſt. 107. Enchiridij cap. 103. Et Proſper epiſtola ad Rufinum, & reſponſione 8. ad cap. Gallorum. Altera expoſitio eſt, vt, omnes homines, intelligantur omne hominum genus per quaſcunque officiorum & condicionum differentias: quo modo accipiendæ ſunt ſequentes ſcripturæ Luc. 11. decimatis mentam & omne olus. Gen. cap. 12. & 22. Benedicentur in te omnes gentes. Ioan. 8. Omnia traham ad meipſum. Sic Auguſtinus hoc loco & in Enchirid. cap. 103. Tertia eſt Auguſtini interpretatio, vt ideò Deus omnes homines ſaluos fieri velit, quia id nos velle faciat: qui locutionis modus ſcripturis eſt familiariſſimus, vt Gal. 4. miſit Deus ſpiritum filij ſui clamantem Abba pater; id eſt, clamare nos facientem. Sic Rom. 8. & ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id eſt, poſtulantes facit. Et Gen. 22. Nunc cognoui quòd timeas Deum, hoc eſt, cognoſcere te feci. Ita explicat Auguſt. cap. ſequenti & lib. 22. De ciuitate Dei cap. 1. & 2. Damaſcenus aliam profert interpretationem, qui lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. refert hoc ad antecedentem Dei voluntatem, qui quantum ad ipſius miſericordiam & bonitatem pertinet, omnes ſaluos eſſe cupit: conſequenti autem voluntate ob præcedentem hominis culpam punit & damnat. Nam, vt rectè inquit Bernardus ſerm. 5. De natali Chriſti, miſerendi cauſam ex proprio ſumit Deus, vlciſcendi ex noſtro. Atque hic Commentarius placuit potiſſimum Doctoribus Scholaſticis. Quinta verò eſt Proſperi interpretatio reſponſ. 1. & 2. ad obiectiones Vincentinas, & lib. 1. De vocatione gentium cap. 1. 6. 7. & 8. vbi adſigni quã vocamus refert voluntatem, quia Deus multa ad ſalutem adiumenta contulerit.*

quod vult cùm vult facit] *Ex conſenſu manuſcr. adiecimus*, cùm vult.

& non attulerunt ei munera] *Pro* obtulerunt, *quomodo præter* MS. *noſtra legunt & 70.*

Et ſpiritus induit Amaſai] *Sic rectè* MS. *quædam iuxta lectionem Septuaginta, qua vſus eſt Auguſt. pro eo quod erat*, Et ſpiritus Domini induit Abiſai.

vt hoc vellet, diceret & faceret] MS. *quatuor legunt*, vt hoc vellet dicere & facere.

IN CAP. XV.

quia & ipſa quæ damnatio nominatur, quàm facit epiſcopale iudicium, qua pœna in eccleſia nulla maior eſt] *Perperam* fecit. *Loquitur autem de excommunicatione, quæ Eccleſiaſtica diſciplina veteris Synagogæ gladio ſucceſſit, & præfigurata eo fuit, vt rectè docent Cyprianus lib. 1. epiſt. 11. Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum. Auguſt. De fide & operibus cap. 2. Tanto verò terribilior, quo ſpiritualior. Hinc Auguſt. lib. 1. contra aduerſar. legis & prophetarum cap. 17. Illud, inquit, quod ait Dominus, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus & publicanus; grauius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubrigeretur: nam ibi quoque ſubiungit, Amen dico vobis, quæ ligaueritis ſuper terram, ligata erunt & in cælis. Et Innocentius pontifex epiſt. 91. apud Auguſt. Foris poſiti, inquit, de excommunicatis loquens, & tanto præſidio à fide munitionis excluſi, periculis omnibus exponuntur deuorandi luporum dentibus atque vexandi, quibus obſiſtere hac qua illos in ſe iritauerunt doctrinæ peruerſitate non poſſunt. Quare dolendum eſt diſciplinam iſtam eccleſiæ tam nunc apud multos eſſe contemptam, vt vel nihili faciant, vel hæreticos ſecuti corpus ea tantum ligari putent, non animam. At longè aliter Auguſt. Non corporalis, inquit epiſt. 75. ſed ſpiritalis eſt pœna, qua fit quod ſcriptum eſt, Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo: animas obligat, de quibus dictum eſt, Anima patris mea eſt, & anima filij mea eſt: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Ligatur autem homo amarius & infelicius, vt idem ait lib. 1. contra aduerſar. legis & prophet. cap. 17. Eccleſiæ clauibus, quàm quibuſlibet grauiſſimis & duriſſimis ferreis* [illegible]*el adamantinis nexibus.*

in correptionem ſaluberrimam cedere atque proficere] *Ita rectius* MS. *quàm* correctionem. *Conſentiunt & vetera excuſa.*

aut ante finem vitæ huius] *Mendoſè* an ante finem.

ne reſpiciat & det pœnitentiam] *Non rectè*, ne recipiat.

obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo] *In excuſis addebatur* ergo, *ſed non legunt nec* MS. *nec Apoſtoli Græca.*

Pax huic domui; & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra] MS. *quatuor cùm hoc loco tum infrà*, ſuper illam *legunt, vt ad domum referatur. ſed noſtræ lectioni conſentiunt Græca.*

Peribit infirmus in tua ſcientia frater] MS. *conſtanter legunt* Perit, *ſed ſecus habet Apoſtolus.*

& pereat infirmus, quid ad nos?] MS. *legunt* quid ad nos pertinet, *ſed facilè id ſubintelligitur.*

IN CAP. XVI.

Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat] MS. *tria legunt*, plus pereat: *ſed non videtur proxima id antitheſis hic admittere, in qua comparatiuus ille vrgetur.*

& ideò ſic eſt præcipienda iuſtitia] *Mendoſè* percipienda.

*Annotationum in librum De correptione & gratia finis.*

# ANNOTATIONES IN B. AVGVSTINI AD PROSPERVM ET HILARIVM, De prædeſtinatione ſanctorum, & perſeuerantiæ dono lib. II.

*Ex collatione ad* MS. *B. Amandi, Cambronenſe, Martinenſe & Collegij Societatis nominis Ieſu, necnon excuſa ſuperiora.*

## IN D. PROSPERI AD AVGVSTINVM EPISTOLAM.

ſed etiam fidei, qua Eccleſia viuit affectu] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat*, quæ Eccleſiæ viuit effectu.

ſi ea quæ valde pernicioſa eſſe intelligo, ad ſpecialem patronum fidei non referrem] *In excuſis erat*, vel ad ſpecialem, *ſed redundat particula* vel.

Multi ergo ſeruorum Chriſti, qui in Maſſilienſi vrbe conſiſtunt] *Inter hos non poſtremus erat Ioannes Caßianus.*

Librum de correptione & gratia] *Perperam* correctione.

Deinde ne ſimpliciores quique] *Ex manuſcr. quodam adiecimus* deinde.

Omnem quidem hominem Adam peccante, peccaſſe] *Mendoſè* precante.

Hoc autem propoſitum vocationis Dei] *Eandem ſententiam tuendam ſibi putarunt Ambroſius Catharinus & Albertus Pyghius.*

& ſanctis occaſionem teporis adferre] *Ita rectè* MS. *duo, pro* occaſionem temporis; *niſi malis* torporis, *quomodo legiſſe videtur Auguſtinus, reſpondens ad hanc obiectionem infrà lib. De dono perſeuerant. cap.* 15. Nunquid enim ſi hoc audito, *inquit* [illegible]ulli in torporem ſegnitiemque vertantur. *Quanquam & altera* [illegible] *paulò pòſt vtitur.* Cauendum eſt igitur, *inquit*, ne dum timemus ne tep[illegible]ſcat hortatio, extinguatur oratio.

eo quòd vtraque parte ſuperfluus labor ſit] *Ita con*[illegible] *pro* in vtramque partem.

caſſa ſit adnitentis intentio] *id eſt, ſuperflua & inanis: perperam* cauſa ſit.

Atque vt breuius ac plenius] *Malim* planius.

hoc totum ab iſtis ſanctis intentioſiſſimè conclamatur] *Fortè* contentioſiſſimè. *quam diuerſam lectionem Amorbachius ad marginem annotauit. Pro* conclamatur *autem, neſcio an non rectius* reclamatur *ſcribendum ſit.*

& ea quæ de epiſtola Apoſtoli Pauli] *Perperam* vt ea.

à nullo vnquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta vt nunc ſentiuntur, affirmant] *Fallebantur, vti reſpondens ad hunc locum Auguſt. infrà De dono perſeuerant. cap. 19. & ſequentibus, oſtendit. Cæterùm pro* affirmant, *non rectè* affirment *legebatur.*

quia nec exiſtentem liberi arbitrij & rationalem, gratia creatoris inſtituat] *Ita* MS. *tria pro* rationalis gratia.

quia bono naturæ bene vſus ad iſtam ſaluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire] *Mendoſè* vt ad iſtam ſaluantem gratiam.

vt quia præterita non extant, futura quæ non ſint futura confingant] *In excuſis erat*, vt quia præterita quæ non extant, *ſed pronomen* quæ, *nullum legebat excuſum: & alioqui imperfecta ſententia eſt. Loquitur autem de paruulis in ætate infantili morientibus.*

quia nec fuerint recepturi] *Sic* MS. *omnia, pro* fuerant, *præceſſit enim* potuerint.

quia quod nec renouari [illegible]lle habeãt, prænoſcãtur] *Hæc* MS. *lectio loco huic opportunior videtur, quã illa excuſorum* vtile habeant.

cui [illegible] ſtudium ceſſante electione f[illegible]ſtrandum ſit] [illegible]*is. quod*[illegible]*am habe-*

dam habebat caſſante, vbi iam de electione diuina agetur, nō humana. A

& aliqui eorū adepto nuper ſummo ſacerdotij honore] MS. ſummi legunt: nos alterum prælegimus.

tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire] MS. quoddam tantorum virorum diſputationibus legit.

Deinde quomodo per iſtam præoperātem & cooperantem gratiam] Auguſtinus operantem & cooperantem, præuenientem & ſubſequentem gratiam appellat.

præſcientia tamen quodā ordine ſit ſubnixa propoſito] MS. duo legunt obnixa, ſed non rectè.

in tuæ charitatis & ſcientiæ vigore ſperat] MS. omnia pro ſperat, legunt ſpirat: ſcribendum videtur reſpirat, vel ſuſpirat.

nec vulnus ſuperducta cute ſentiunt] MS. tria ſuperductu legunt, vbi iam non cute, ſed cutis, ſcribendum fuerit.

## IN HILARII ARELATENSIS Epiſcopi ad Auguſtinum epiſtolam.

Hilarius iſte Arelatenſis fuit epiſcopus, vt conſtat ex ſuperiore Proſperi ſub finem epiſt. Honorati in ea ſede, cuius & vitam ſcripſit, ſucceſſor. B Fuiſſe autem videtur Auguſt. diſcipulus, ſic enim ipſe ait infrà non procul à calce huius epiſt. Sufficiat mihi pœna mea quod à præſentiæ tuæ delicijs exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus nutriebar, non ſolùm abſentia tua crucior; verùm etiam peruicacia quorundam, qui non tantùm manifeſta reſpuunt, ſed etiam non intellecta reprehendunt. Neſcio an idem ſit cum eo ad quem extat Auguſt. epiſt. 94. nā cùm hunc fratrem ibi & conſacerdotem vocet, Arelatenſem cap. 1. lib. ſequentis De prædeſtinat. ſanctorum, filium appellat. Certè diuerſus eſt, vt arbitror, cuius eſt ad Auguſt. epiſt. 88. & eidem reſpondens 89. nam quamuis & illum filium dicat, conſtat tamen Syracuſis, quod Siciliæ oppidum eſt, habitaſſe, cùm Arelas Galliæ ſit ciuitas. Cæterùm teſtatur Gennadius in catalogo ſuo, genere clarum & nobilem fuiſſe, doctum & pium: paupertatis quoq; amatorem, inopum verò tantam curam agentem, vt iis iuuandis reficiendisq;, etiam ruſticationem ſupra vires ſuas, longè aliter quippe educatus, exerceret. Contra graſſantes autem in Gallijs Pelagiani erroris reliquias fortiter Catholicam fidem defendit, eiusq; rei cauſa poſt Auguſtini mortem ad ſedem etiam Apoſtolicam cum B. Proſpero ſe contulit; vt liquet ex Cæleſtini pontificis epiſtola ad Galliarum epiſcopos. Mortuus eſt autem Valentiniano & Marciano imperantibus, cuius memoria celebratur tertio Nonas Maij.

C per conſilium ſanctitatis tuæ ſatagit prouideri] MS. duo legunt prouidere.

quòd quidā ſecundum propoſitum eligendi dicantur] Fortaſsis, eligi dicantur.

niſi credendi voluntate donata] Sic MS. omnia cum Amorbach. primus Frobenius quod adiecit, niſi quod credendi; nimirum vt mollius cohære[illegible]a, ſed non vidit totam hac additione turbari ſententiam. Quanquam deeſt fortaſsis vocula aliqua duas inter ſe periodi huius partes connectens.

à ſu[illegible]oo ſe poſſe ſanari] MS. quoddam ſanare habet: ſed, vt ex ſequentibus liquet, non rectè.

& totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum] Sic MS. omnia cum veteribus excuſis, pro ſanctitatis: quam lectionem miror cuiquam præ altera placuiſſe, cùm intra pauciſſimos præcedētes ſequentesq; verſus toties repetantur ſanationis, curationis, ſalutis, morbi & ægrotationis vocabula.

exterrita & ſupplici voluntate] Perperam ſupplicij voluntate: reſpondet enim ei quod poſt non pauca in eadem hac epiſtola ſequitur, vt non vel ſuppliciter emereri. Error natus ex Amorbachij editione quæ D habebat exterrita & ſupplicij voluntate.

Vnde conſequens putant exhibendam ab eo fidem] Duplex hic exſtabat in excuſis error, in quibus erat in primis, Vnde non conſequens putant. Et mox pro exhibendam, id eſt præſtādam, legebant exigendam; ſed altera eſt MS. lectio, eaq; rectior, quæ ſecundum poſteriorem partem & in Amorbachio reperitur.

propter quod vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit, cùm ſua ægritudine puniatur] Mendosè propter quod vt ſanetur.

quare aliquibus vel alicubi prædicetur vel non prædicetur] Hæc vnius MS. lectio viſa commodior, quā cæterorum excuſis conſentientium, quare aliis vel alicubi.

quando & vbi prænoſcebatur] vel, vt quædam MS. præſciebatur. Perperam excuſa prænunciabatur.

Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe donaturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia] Ita hunc locum ex MS. caſtigauimus, qui[illegible]us co[illegible]ntit ipſe Auguſtinus lib. Expoſitionis quarundam propoſitionum epiſt[illegible]æ ad Romanos, vnde eſt hic locus repetitus.

A cùm in eadem natura remanſerit] Ita ſcriptum habes & infrà De prædeſt. ſanctorum cap. 5. alioqui ſupereſſe fortaſsis præpoſitio videri queat.

niſi perſeuerandi virtute percepta] Sic MS. omnia cum veteribus excuſis, non præcepta.

Cæterùm & ipſi abominari] Perperam ipſos. Amorbachius ipſa legebat. hinc natus error.

ſi quis quicquam virium in aliquo remanſiſſe quo ad ſanitatem progredi poſſit, exiſtimet] MS. duo legunt quod ad ſanitatem.

euidens eſt qualecunque initium voluntatis] Redundat ſit, quod addebatur in excuſis.

à quā non permittatur præuaricari] Pro permittitur.

quod correptio valeat excitare] Mendosè correctio; quomodo & paulò poſt correctionis inſtantia, pro correptionis.

correptionis inſtantia, ſi non ab homine, & ſi non fides integra] Ita rectè MS. quoddam, vt non ex Hilarij ſententia, ſed ex aduerſo diſputantium Gallorum dicantur. Id enim prorſus poſtulat ſequens aduerſatiua: Si autem eſt qualiſcunque dolor, &c. Prius erat, correptionis inſtantia? Si ab homine, etſi non fides integra.

vel nunc omnibus datur] Pro detur.

B ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet] Ita rectè MS. omnia, cum veteribus excuſis, quod miror quis deprauare voluerit in, ſed ne hac per liberum arbitrium perſeuerare non poſſit, cùm verba ſint Auguſt. ex cap. 12. lib. De corrept. & gratia.

quæ & perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem] Fortè obtineat.

ineuitabili neceſſitate coniunctum eſt] Mendosè conuictum.

Inde eſt quod & illud pariter non accipiunt, vt eligēdorum reiiciendorumque eſſe definitum numerum velint] MS. duo cum Amorb. pro velint, legunt nolint; ſed omnino alterum eſt retinendum.

ita eum ſaluari velle omnes homines] Perperam ſaluare.

nec tamen omnes homines ſaluari] Non rectè velle ſaluari. Error natus ex Amorbachio, apud quem incuria fortaſſe typographorum infinitiuus velle, ex priori ſententia huc erat delapſus, nam in altera parte apud eum non legitur.

Alia autem ad id referunt] Sic rectè MS. omnia, pro Alij: non enim hoc ad homines, ſed ad teſtimonia pertinet ſcripturarum, vt facilè ex antecedentibus poteſt intelligi.

Quod in libro tertio De libero arbitrio ita poſitum meminiſti] C Hæc trium MS. eſt lectio: in excuſis erat poſuiſſe meminiſti.

in ſententia teneantur, aut à ſententia transferantur] Perperam aut ad ſententiam.

Ad ſummam, fatigatis omnibus] Ita conſtanter MS. omnia, pro Ad ſummū. Clarius dixiſſet, In ſumma, vel, Vt ſummatim dicam.

vt ſumma mea vota confitear] Condicionalem ſi, quam hic præfigunt MS. & excuſa, rectè prætermiſit Louanienſis editio; quam & nos ſumus imitati: nam ſanè redundat.

tolerari deberet audirem] Mendosè deberent.

Tuæ ſanè prudentiæ eſt diſpicere] Hæc MS. vnius lectio præ cæteris arriſit, quæ habent, Tuæ ſanctæ prudentiæ; nam nec infrà additum hunc habes aut ſimilem genitiuum, vt dixi, inquit, tuæ ſapientiæ derelinquo.

quos de vniuerſo opere tuo moliris] In excuſis deerat tuo.

Sanè quia vrgente perlatore timui ne vel non omnia] Pro ne, perperam me legebatur.

vel hæc ipſa minus dignè conſcius meatum virium, poſſem dirigere] Pro poſſe dirigere. Neſcio autem an rectè ſe habeat verbum dirigere, ánne fortaſſe rectius fuerit digerere, id eſt, diſponere & ordinare. D

## IN LIBRI PRIMI QVI EST DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM CAPVT PRIMVM.

ne teneant poëticam ſententiam qua dictum eſt, Spes ſibi quiſque] Hemiſtichium eſt à Virg. lib. 11. repetitum, vbi ſic ait,

Spem ſi quam accitis Ætolum habuiſtis in armis,
Ponite, ſpes ſibi quiſqu[illegible].

eo modo eſſe tractā[illegible]s, quo tractauit Apoſtolus quibus ait, Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit] His ſequentibusq; verbis aliud nihil agit Auguſtinus quàm vt qui rectam diuinæ prædeſtinationis doctrinam ſub certa quadam verborum formula receperant, ex eadem docerentur & aliis verbis expreſſam recipere, ſub quibus eam auerſabantur. Non ſentit autem tolerandos in Eccleſia eſſe, qui ſcientes volentesq; ab eius fide & doctrina recedunt: Hi enim hæretici ſunt, ad quos negat Auguſtinus Paulinam illam ſententiam, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit, pertinere, lib. 2. contra duas



tra duas epiſt. Pelag. cap. 3. Nam ob quos hæc ſcribuntur nondum fuiſſe A dicendos Pelagianos, diſertis verbis teſtatur Auguſtinus lib. De dono perſeuerant. cap. 16. A Pelagianorum porro hæretica peruerſitate, inquit, tantum iſti remoti ſunt, propter quos hęc agimus, vt licet nondum velint fateri prædeſtinatos eſſe, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant; iam tamen fateantur, quòd eorum præueniat voluntatē quibus datur hæc gratia. Et cap. 17. Neque enim Pelagiani ſunt, inquit, vt aduerſus iſtam perſpicuam veritatem dura & hæretica peruerſitate contendant. Et cap. 24. Hoc Pelagiani, optamus, vt habeant; iſti autem noſtri vt plenius habeant.

### IN CAP. II.

ſed ab ipſo tantum augeatur] Non dubitaui locum hunc ita caſtigare, pro eo quod erat, ſed ab ipſo tamen augeatur.

eo merito quo cœpit à nobis] Legendum videtur quod cœpit.

ſi non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus] Sic rectè MS. conſentiente & Amorbachio, niſi quòd pro ſi, legebat ſed. Id Frobenius mutauit in, quaſi non pertineat.

Quamuis enim raptim, quamuis celerrimè credēdi voluntatem quædam cogitationes anteuolent] Loco celerrimè, MS. quoddam celerrimam legit. Alia duo addunt vocem ſanctæ, ſcribentia, B ſanctæ quædam cogitationes.

ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipiamus] Sic MS. omnia, pro incipimus.

quoniam quod promiſit potens eſt & facere] Pro qui promiſit. MS. & Græca conſentiunt.

vnde pietatis exordium ſumitur] Ita MS. omnia, pro pietas exordium ſumit.

& tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe quod credit; quaſi componit homo cum Deo] Ita conſtanter MS. pro eo quod erat, quod credit homo: quaſi componat cùm Deo.

### IN CAP. III.

Quo præcipuè teſtimonio etiam ipſe conuictus ſum] Ex MS. adiecimus ipſe.

Item diſputans inquam quid elegerit Deus] Ita commodius MS. quàm, quid inquam elegerit.

Quod ergo credimus, noſtrum eſt] Sic Auguſtinus, vnde ſunt hæc repetita; pro Quod enim.

ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem] Perperam niſi iam ſcirem.

vt per munus Dei bene operentur] Ex MS. vno & ipſo Auguſtini loco addidimus bene. C

& quem obdurat, relinquit eum vt malè operetur] Sic MS. omnia, pro mala: præcedit enim facit eum bene operari.

vtrum & meritum fidei miſericordia Dei præueniat] Mendosè miſericordiam. MS. legunt, vtrum & meritum fidei de miſericordia Dei veniat. ſed altera Auguſtini eſt lectio.

### IN CAP. IIII.

quarum duas ex epiſtola Pauli Apoſtoli] Illud Apoſtoli, ex Auguſtino adiecimus.

elaboratum eſt quidem pro libero arbitrio] In excuſis deerat quidem.

in nullo gloriandum, quando nihil noſtrum ſit] Pro ex nullo, & nihil noſtrum eſt.

### IN CAP. V.

quia in eadem natura remanſit licet vitiata] Sic MS. & ſuprà Hilarius in epiſtola ſua, cuius hæc ſunt verba; pro remanet.

Itaque nemo glorietur in homine] Locus eſt 1 Corinth. cap. 3. vbi nos conſentiētibus & Græcis pluraliter legimus, in hominibus. Citat & aliàs frequenter numero ſingulari tum hoc libro tum ſuprà epiſtola priore ad Valētinum, quæ eſt in tomo 2. 46. Rurſus lib. 3. contra Petilianum cap. 2. 3. 28. & 36. D

ad hoc perducitur eadem ipſa eius intentio, vt dicat] Ita commodius MS. duo, pro perducitur illuc eadem.

talibus occurrens cogitationibus] MS. legunt qualibus.

Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodū habere charitatem, gratiæ eſt fidelium] Ex hoc loco intelligi poteſt quo ſenſu dixerit Bernardus initio lib. De gra[illegible] & libero arbitrio Deum eſſe ſalutis noſtræ authorem, capax eius eſſe [illegible]antum liberum arbitriū. Non quaſi in ſalutis noſtræ negotio nihil agam[illegible]s aut cooperemur Deo; ſed quia per peccatum corrupti nihil omnino ex nobiſipſis poſſumus operari quod ad ſalutem pertineat, id tantum habentes reliqui, quo brutis adhuc animantibus præſtamus, quòd ſalutarium operum capaces adhuc ſumus, eadem operaturi, ſi fidem, ſpem & charitatem diuina bonitas inſpirare dignabitur. Idquod & Proſper expreſſit lib. 2. De vocatione gentium cap. 2. & Fulgentius libello de incarnatione & gratia Domini, cap. 22. 23. & 24.



### IN CAP. VI.

A diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius] Pro venit.

Fiat menſa eorum in laqueum] Addebant excuſa, & venationem, ſed non legunt nec MS. nec 70. ſed neque Auguſt. tom. 8. in Commentariis huius loci, vbi pro laqueum, habet muſcipulam.

reliquiæ per electionem gratiæ] Perperam reliquæ.

### IN CAP. VII.

Sed forſitan dicant] Ita commodius cum MS. quàm dicunt.

Quid faciemus vt operemur opera Dei] MS. omnia legunt ſingulari numero, opus Dei; ſed alterum habent & Græca.

Et dicitur nobis] Ita conſtanter MS. pro Et dicitur à vobis.

Quicquid igitur & antequam in Chriſtum crederet, & cùm crediſſet] Redundat quod interijciunt excuſa, & cùm crederet.

### IN CAP. VIII.

inſeparabilia quippe didicimus eſſe opera trinitatis] Mendosè dicimus.

gratiam verò eſſe quis ambigat?] Ita rectius MS. quā ambigit.

ſed miſeretur bona tribuens] Pro bonum, ſequitur enim, obdurat digna retribuens,

Aut ſi & iſta, vt quidam diſtinguere maluerunt, verba ſunt B eius cui Apoſtolus ait] Huius ſententiæ authores aliquot ſuprà allegauimus lib. De gratia & libero arbitrio, cap. 6.

Dicis itaque mihi] Pro Dicitis.

hos omnes vult ſaluos fieri] Perperam hoc omnes.

Nam ſi & illos] Loco & ſi illos.

Orat pro non credentibus, quid, niſi vt credant?] Mendosè, Orat pro nobis credentibus.

prædicatore forinſecus inſonante] Ita commodius MS. quàm ſonante.

ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio] Pro ita & nulla.

vt qui gloriantur, non in ſuis meritis] MS. ſingulari numero legunt, & hoc verbum & ſequentia.

### IN CAP. IX.

quod eam loco illo explicare noluiſſem] Pro eo quod erat nouiſſem.

diuinæ debet accedere veritati] Sic MS. Auguſtinus, vnde hæc ſunt repetita, pro accedere, habet credere, aut, vt alij legunt, cedere. In excuſis erat diuinæ accedere veritati non poterit.

Quid ergo mirum, ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſeculis nouerat, vt eis apparere vel prædicari merito nollet] MS. duo ſic legunt, Quid ergo mirum, ſi tam C infidelibus pleno orbe terrarū Chriſtus prioribus ſeculis non venerat. Sed altera Auguſtini eſt lectio epiſt. 49. vnde eſt locus iſte repetitus.

Cùm enim nonnulli commemorentur in ſanctis Hebraicis libris] Inter quos B. Iob & Naaman Syrus, d[illegible]riore nominatim Auguſt. lib. 18. De ciuit. Dei, cap. 47. & De peccato ori[illegible]li cap. 24.

Quibus autem credituris annuncietur, hi regno cælorum] Mendosè in regno cælorum.

### IN CAP. X.

vt ipſe faciat quod promiſit] Pro ipſi.

nihilominus vt impleat quod promiſit Deus] Sic MS. pro impleatur: nam & paulò pòſt, non implet Deus quod promiſit: & mox, vt promiſſa ſua Deus poſſit implere.

### IN CAP. XI.

Sed incerta eſt mihi inquis] Id ſequentibus accommodatius quàm inquit.

& quod iubetur, & quod offertur] Pro eo quod erat iubet.

quoniam exigi audimus à nobis] Id magis arridet quàm audiuimus. D

vt intelligatur quòd & nos ea facimus] Ita rectius MS. quàm faciamus, ſequitur enim, & Deus facit.

Locum ipſum ſcripturę fratres chariſſimi attendite] Illud fratres chariſſimi, nulla legunt MS. ſed quia nihil obſtat intelligentiæ, reliquimus.

hoc ipſo quod eos facit] In MS. eſt, hoc ipſo quo; ſed alterum habet etiam Amorbachius.

### IN CAP. XII.

laboratur aliquando in ætate maiorū] MS. tria laborat legunt, vt ad rationem referatur, cuius initio capitis fit mentio: ſed vox imperſonalis viſa eſt commodior, quanquā malim aliquantum, pro aliquādo.

non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante vel damnante, ſed nullam? Apoſtolus quidem limitem fixit] Ita legunt MS. omnia, pro eo quod [illegible]it, Deo remunerante vel damnante? Sed nullum Apoſtolus q[illegible]dē. Vbi nullam vitā appellat infantū quæ futura ſomniatur, ſi ſuperuix[illegible]ſſent (quæ vtiq; mox mortuorū nulla eſt.

punrantur aut honorentur merita paruulorum] *Perperam* vt honorentur.

Iudicari autem quemquam non ſecundum merita] *Redundat vocula* ſolum *quam hic addunt excuſa, nec legunt* MS.

ſi diutius fuiſſet in corpore] MS. *legunt* vixiſſet in corpore, *ſed & paulò antè habes*, quamdiu fuit in corpore.

lauacro quo peccata diluuntur] MS. *vnum legit* ſoluuntur.

IN CAP. XIII.

quia præſciti ſunt, pœnitentiam ſi viuerent non acturi] *Perperam* acturos.

Hoc ſi auderent Pelagiani] *Ita locum hunc legendum non dubito, pro* audirent, *quod habent vulgata; vel* audierint, *quod Amorbach. Nam & infrà cap.* 14. *ſub finem*, vt quod illi, *inquit*, audere nō poſſunt: *& cap. hoc* 13. ideò, *inquit*, nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multo magis nec iſti dicere debuerunt. Dici enim non poteſt quàm moleſtè ferant, quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſſimum & abſurdiſſimum, hoc non vidiſſe iſtos. *Quid, quòd eluſionem hanc quorundam Gallorum attigit Auguſt. lib.* 2. *contra duas epiſtolas Pelagian. cap.* 7. *& lib.* 1. *De anima & eius origine cap.* 12. *vt eam Pelagiani audiſſe etiam potuerint.*

quia non manducauerunt carnem] *Sic* MS. *pro* qui non.

IN CAP. XIIII.

Ait tamē ille copioſiſſimè atq; optimè] MS. *omnia* Agit *legunt*.

Quis enim audeat negare Chriſtianus] *Pro* audet.

Quilibet hoc dixerit] *pro* quiſquis *aut* quicunque, *vt aliàs frequenter.*

ſed vnum diem vixerit] *Ita conſtanter* MS. *pro* duxerit.

nihil ſibi præterita ſua iuſtitia profutura] *Sic rectè* MS. *per ablatiuos. Excuſa per accuſatiuos legunt, ſed vbi tunc cōiunctio aliqua deeſt.*

Nunquid requiem reſpondere dubitabimus] *Sic* MS. *duo, pro* dubitamus.

quę cùm ita ſint, non debuit repudiari ſentētia libri Sapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti, tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab epiſcopis vſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ authoritatis audiri] *Sapientiam, velut canonicæ authoritatis librum citant frequenter veteres patres & Græci & Latini, etiam proximi Apoſtolorum temporibus, vti* [illegible] *lem infrà hoc capite ait Auguſt. repetitq́ lib. De dono perſeuerant. cap.* 17. *qui eum teſtem adhibentes, inquit, nihil ſe adhibere niſi diuinum teſtimonium crediderunt. Nominatim verò in canonem referunt Innocentius papa epiſt.* 3. *cap.* 7. *Gelaſius pōtifex cum conc.* 70. *epiſcoporum. Concilium Carthag.* 3. *can.* 47. *Florentinum ſub Eugenio pontifice. Tridentinum Seſſ.* 4. *Auguſt. verò præter præſentem hunc locum lib. etiam* 2. *De doctr. Chriſt. cap.* 7. *& lib.* 17. *De ciuit. Dei, cap.* 20. *Nam quæ Hieron. de hoc libro ait in prologo ſuper lib. Regum, ipſe contra Rufinum, ex Rabbinorum* [illegible] *reſpondet ſententia.*

quid ig[illegible] opus e[illegible]] *Pro* qui.

[illegible]requen[illegible]ationibus autem orationum] *Sic rectè* MS. *cum Amorbachio; quam lectionē Frobenius primum deprauauit, fecitq́* frequentatio[illegible] aut orationibus.

quod ad Chriſtum voceris, amplecteris] *Sic* MS. *omnia & Cyprianus, pro* vocaris.

qui pro meritis hominum fallūtur] *In excuſis erat* eis meritis, *ſed nihil eſt quod voculæ* eis *reſpondeat, nec legunt* MS.

Si enim iudicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quę non habuerunt morte præuenti] *Sic* MS. *pro* quæ non haberent morte præueniente.

vt quod illi audere non poſſunt] *Ita rectè* MS. *pro* audire. *De qua lectione ſuprà diximus ad cap.* 13.

IN CAP. XV.

vnde hoc meruit?] *Non rectè*, meruerit.

Nunquid metuendum fuit, ne accedente ætate] *Perperam* nec accedente.

Quis non dico Chriſtianus, ſed inſanus hæc dicat] *Id tamen poſt auſus eſt dicere Neſtorianus quidam, de cuius blaſphemia diximus nonnihil lib.* 2. *De peccat. meritis & remiſſ. cap.* 17.

quam ſuſcepta natura hominis cum infirmitate carnis] *Pro eo quod erat*, quam ſuſcepit à natura hominis.

Humana hic merita conticeſcant; quæ perierunt in Adam; & regnet quæ regnat Dei gratia] *Bonorum operum meritorumq́ facultatem quam primis parentibus in ſui creatione Deus inſeruerat, iiſdem peccantibus omnes in illis perdidi[illegible]us; eam autem ſola nobis Chriſti gratia reſtituit: ergo priuſquam eam Dei miſericordia conſequamur, nihil eſſe in nobis poteſt bonorum me[illegible]torum [illegible]uo Deum vitamq́ æternam aut aliud quicquam quod eò pertineat pro[illegible]ereamur. Quare Caluini eſt calumnia, dum videri vult hic Auguſtinu[illegible] omnia fidelium merita tollere, cùm ea toties euidentiſſimè prædicet, verùm quæ ex Chriſti nobis ſint gratia, nō ex primæuæ inſtitutionis et creationis honore operibusq́ relicta.*

principium fidei & perfectionem in Ieſum] *Perperam* in Ieſu. *neque enim illud* in Ieſum, *ad* perfectionem *referendum, ſed ad voculam* fidei.

IN CAP. XVI.

Euangelio ſicut videmus, ſine dubitatione profecit?] *Ita rectius* MS. *nonnulla cum veteribus excuſis, quàm* proficit.

quod cum dimiſſi à Iudæis Apoſtoli] *In excuſis deerat* quod.

& indicaſſent quāta eis ſacerdotes & ſeniores dixiſſent] *Proſper cap.* 5. *ad excerpta Genuenſium locum hunc recitans, pro* dixiſſent, *legit* fecerunt: *ſed alterum eſt & in Græcis.*

quanta neceſſaria fuerunt euangelio propter vos] *Sic* MS. *omnia, pro* quanta neceſſaria fuerant euangelio propter nos: *ſic enim & infrà*, ibi intelligendi ſunt inimici propter vos.

Vbi verò audimus] *Sic* MS. *omnia, pro* Vbi audiuimus: *ita enim & paulò antè*, Vbi ergo audimus.

quoniam reliquiæ per electionem gratiæ factæ ſunt] MS. *duo addunt* ſaluæ: *ſed eſt vbi & aliàs prætermiſſum inueniatur.*

Quiſquis ergo inde eſt, omnino non perit; nec erit inde qui perit.] *Pro* qui pereat: *ſenſus enim eſt, quicunque perit, non eſt de numero electorum.*

IN CAP. XVIII.

in diſpenſatione plenitudinis temporum] *Sic rectè* MS. *duo, pro* diſpoſitione; *ſimiliter enim & infrà eodem hoc cap. legunt etiam impreſſa. Eadem eſt & Græcorum lectio.*

ne in tanto beneficio gratię, de placito gloriaremur voluntatis noſtræ] *Ita rectè exemplar vnum, pro eo quod erat in cæteris*, ne in tāto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur volūtatis noſtræ.

quibus omnia cooperatur in bonum] *Pro* cooperantur.

IN CAP. XIX.

opus ſuum præſciuit, quo nos ſanctos & immaculatos facit] *Perperam* qui nos.

noſtram Deum non præſciſſe niſi fidem] *Mendosè* noſtrum.

vt etiā ſancti & immaculati] *Ita rectius* MS. *quàm*, vt iam ſancti.

Nolite errare, Deus non irridetur] *Ita conſtanter* MS. *nec aliter legunt excuſa cap.* 2. *lib. De dono perſeuer. pro* Non erremus.

ne Apoſtoli falſa vel fallax gratiarum actio merito iudicetur] *Deprauatiſſimè excuſa*, ne Apoſtoli falſa vel falſarum gloriarum, gratiarum actio merito iudicetur.

IN CAP. XX.

Vobis datum eſt noſſe myſterium] *Pro* datum eſſe.

Cùm veniſſem, inquit, Troiadem in Euangelium Chriſti] *hoc eſt, propter Euangelium; quomodò legebant* MS. *duo: ſed tertio conſentiunt & Græca. In excuſis erat*, in Troiadē in Euāgelio Chriſti.

Sed vt minus ſuccenſeatur ab hæc parum intelligentibus] *Præpoſitionem* ab, *nulla legunt manuſcr. nos excuſorum lectionem & ſententiam prætulimus.*

Verùm redeamus ad oſtij apertionē] *Sic* MS. *pro* Veruntamē.

quid enim eſt aliud nihil dicere & tamen contradicere] *Ita rectè* MS. *cum veteribus excuſis, quod ſciolus quiſpiam deprauauit in* niſi dicere.

& faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis] *Mendosè* faciant.

Cogitate autem qualis ſit] *Perperam* Cogitare.

IN CAP. XXI.

ad hoc valere illa teſtimonia] *Redundat copula quam hic excuſa præponebant.*

Quod ſi & diutius fecimus] *Ita commodius* MS. *vnum quàm*, Quod & ſi diutius.

# IN LIBRVM II. AD PROSPERVM ET HILARIVM, QVI EST DE DONO PERSEVERANTIÆ.

*In excuſis titulum habebat liber iſte*, De bono perſeuerantiæ; *ſed* De dono *ſcribendum, non* MS. *modò teſtantur, ſed indicat ſatis etiam ipſe Auguſtinus, plus centies h[illegible] libro inculcans*, donum Dei eſſe perſeuerantiam, *quod habes in [illegible]ſius ſtatim exordij verſu quarto.*

IN CAP. I.

Quomodo ergo perſeuerantiam qui non perſeuerauit] *Sic* MS. *omnia, pro* perſeuerauerit.

cum vero eſſe deſiſtit] MS. *legunt* deſtitit, *ſi cui fortè id magis arridet.*

cum perſeuerando quiſque oſtendat ſe perſeuerantem] *Ex* MS. *adiecimus accuſatiuum* ſe.

ſi & illa perſeuerantia] *Sic* MS. *pro* & ſi.





IN CAP. II.

cui donatur mori pro Chriſto] *Pro* donetur.

oſtendit hoc diuinitus donari] *Ex conſenſu manuſcr. adiecimus pronomen* hoc.

quod non donauit ipſe, nec fecit] *Perperam* ne fecit.

An ab illo perſeuerantia iſta fortè non poſcitur] *Sic* MS. *omnia, pro* perſeuerantia noſtra.

ſed ſanctorum orationibus reuocandus] MS. onerandus *legunt. nos excuſorum lectionem prætulimus.*

Nam tria ſunt, vt ſcitis] *Mendosè* ſcis: *Proſperum enim & Hilarium alloquitur. Cæterùm plura fuerunt Pelagiani erroris dogmata, vt diuitem ſaluari non poſſe, niſi omnia ſua vendideritq́ dederitq́ pauperibus; item nullo caſu licitum eſſe iuramentum. quæ duo recenſentur epiſtola* 88. *& proxima refutantur. Præterea, omnem veſtimentorum ornatum Deo eſſe contrarium: ad hæc tantam eſſe neceſſitatem ſcientiæ diuinæ legis, vt eam & mulierculas habere neceſſe ſit, aliaq́ complura, quæ proponit refellitq́ Hieron. lib.* 1. *contra Pelagianum. Sed Auguſt. præcipua hic capita repetit, aduerſus quæ potiſſimum eccleſia inuigilauit. Nam reliqua non ita fuere contagioſa, perpaucis eam doctrinam recipientibus.*

& paulò poſt de hàc ipſa re adhuc diſputans] *Pro* de hàc re ipſe adhuc.

Quid eſt enim aliud petere quod accepimus, niſi vt id quoq; nobis præſtetur, ne habere deſinamus?] *Pulchrè Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem, ita dumtaxat vt agamus ſemper gratias largitori, ſciamusq́ nos nihil eſſe, niſi quòd donauit in nobis ipſe ſeruauerit, dicente Apoſtolo, Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Velle & currere meum eſt; ſed ipſum meum, ſine Dei ſemper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apoſtolus, Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere. Et Saluator in Euangelio, Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Semper largitor ſemperq́ donator eſt. Non mihi ſufficit, quòd ſemel donauit, niſi ſemper donauerit. Peto vt accipiam; & cùm accepero, rurſus peto. Auarus ſum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego ſatior in accipiendo: quanto plus bibero tantò plus ſitio, &c.*

Ergo & hic qui iam ſancti ſunt] *Perperam* hi: *agitur enim de parte iſta orationis Dominicæ, Sanctificetur nomen tuum.*

IN CAP. III.

ſed vt fiat in terra ſicut in cęlo, vt terra ſcilicet imitetur cælū] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat*, in terra ſcilicet vt imitetur cælum.

IN CAP. IIII.

quomodo intelligatur & hic perſeuerantia poſtulari] *Perperam excuſa* perſeueranda.

dum abſtenti & nō communicantes à cæleſti pane prohibemur] *Ita Cyprianus, pro eo quod erat in impreſſis*, dum abſentes, *quam tamen lectionem lib.* 4. *contra duas epiſt. Pelagianorum, cap.* 9. *reſidere paſſi ſumus, quòd ita conſtanter legerent* MS.

IN CAP. V.

perſeuerātia verò quæ in æternum ſaluos facit] *Mendosè* perſeuerantiam.

tanquam telo inuictiſſimæ veritatis] *manuſcr. legunt* telo inuictiſſimo.

Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem iuſtum in hac vita nullum habere omnino peccatū, & in talibus hominibus eſſe iam in præſenti tempore eccleſiam non habentē maculam neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, quæ vna & ſola ſponſa ſit Chriſti: tanquam ſpōſa eius non ſit, quæ per vniuerſam terram quod ab eò didicit, dicit, Dimitte nobis debita noſtra] *Sic Auguſt. ad Quodvultdeum hæreſi* 88. *De Pelagianis agens, In id etiam progrediuntur, inquit, vt dicant vitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omninò habere peccatum; & ex his eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga: quaſi non ſit Chriſti eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra.*

Ne quis ſibi quaſi innocens placeat] *Suprà lib.* 4. *contra duas epiſtolas Pelagian. cap.* 10. *legitur*, & ne quis, *quod eſt aliquantò commodius: non legunt tamen vulgata hodie Cypriani exemplaria.*

IN CAP. VI.

Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt] *Paſſiuè dixit* emereri, *pro ſupplici oratione impetrari. Loquitur autem de improprij nominis merito, quod congrui Schol[illegible]ppellant, quo genere ſermonis ait frequenter Auguſtinus, nec merito [illegible]rere peccatorum remiſſionem quam fides pœnitentiaq́ impetrat. Nam merito cōdigni ſeu de condigno non modò primam gratiam, remiſſionemq́ peccatorum, ſed nec perſeuerantiam in pia ſanctaq́ vita, mereri apud Deum poſſumus. Nam ſi iuſto quia iuſtus eſt perſeuerantia deberetur, oporteret ſecundum iuſtum Dei iudicium iuſtos omnes in finem vſq́ perſeuerare, quorum tamen multos excidere videmus; vt rectè docet Auguſt. infrà cap.* 13. *Vita autem æterna ipſa propriè ſub meritum cadit, eoq́ omnibus abſolutè perſeuerantibus redditur: finis enim eſt, qui ſolus ſub mercedis ratione proponitur, non autem ipſa media omnia quibus ad hunc finem contenditur.*



ſed haberi ſperantur, poſſe dicamus amitti] MS. *tria, legunt* habenda ſperabantur. *Quartum* habenda ſperantur.

cum vobis plura fortaſſe occurrant] *Perperam* nobis.

Deus autem neminem tentat, tentatione ſcilicet noxia. Nam eſt & vtilis, qua nō decipimur vel opprimimur, ſed probamur] *Sic Auguſt. ſerm.* 11. *De verbis Domini. Eſt tentatio adducēs peccatum, qua Deus neminem tentat: & eſt tentatio probans fidem, qua tentare Deus hominem dignatur. Cæterùm pro* qua, *minus rectè in excuſis erat* quando.

Illa ergo noxia tentatione] *Perperam* tentatio eſt.

& inanis ſit labor noſter] *Sic* MS. *omnia conſentientibus Apoſtoli Græcis.*

ne quis aut confeſſionis aut paſſionis gloriam ſuam ducat] *Ita Cyprianus, pro* dicat.

IN CAP. VII.

hoc eſt enim manus Dei, quoniam opere Dei fit] MS. *tria, pro* quoniam, *legunt* quo.

hæc Deus facturum ſe eſſe præſciuit] *Ita* MS. *pro eo quod erat in excuſis*, hoc Deus futurum eſſe præſciuit.

quam propoſuit in illo, in diſpēſatione plenitudinis temporum] *Sic rectè* MS. *ſuffragantibus Græcis, pro eo quod erat*, quā propoſuit, in illa diſpoſitione plenitudinis temporum. *Idem annotatum & ſuprà De prædeſtinatione ſanctorum cap.* 18.

IN CAP. VIII.

Sed cur inquit] MS. *quoddam cùm hoc loco, tum infrà ter quaterve eodem hoc capite*, inquis *habet, ſed alterum eſſe germanum, arguunt ea verba quæ aliquanto infrà leguntur*, Adhuc pergat & dicat.

Quoniam Deus iudex iuſtus eſt] MS. *non legunt* iuſtus, *reliquimus tamen, nam & paulò pòſt verſu proximo habes*, iuſto iudicio demonſtratur.

Si in remittendo debito bonitas] *Sic* MS. *duo, pro* debitum.

atque ita gratius ſuam gratiam vaſis miſericordiæ commēdaret] *Præpoſitionem* in, *quam addunt excuſa*, MS. *nulla legebant.*

ſicut magna eſt miſericordia eius] *Mendosè* ſic & magna; *ſequitur enim redditiua particula*, ita inſcrutabilia iudicia eius.

ad quod bonum ſumendum & tenendum] MS. *duo legunt*, ſumendum & obtinendum.

IN CAP. IX.

ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur] *Addebant excuſa*, vt vocantem ſequatur, *ſed non habent* MS. *& ex ſuperiori verſu facilè repetitur.*

qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum] *Ita rectius* MS. *quàm* bibebat. *Quod autem in officio Eccleſiaſtico de Ioanne canitur, Hic eſt iſte Ioannes qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia, qui fluenta Euangelii [illegible] ſacro Dominici pectoris fonte potauit; Quodq́ addit Iſidorus, & quaſi [illegible] de paradi[illegible] fluminibus verbi Dei gratiam toto terrarum orbe diffudi[illegible] petitum eſt cùm ex hoc, tum ſimilibus Auguſtini locis. Sic enim ait lib.* [illegible] *homil.* 19. *Videte qualis fuerit Ioannes Apoſtolus, ſupra pectus Domin[illegible] [illegible]bebat, de alto fonte illo ſapientiæ ſecreta bibebat. Inde enim bibit quod in Euangelio eructauit, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et tractat. vltimo in Ioannem; Propter vitæ illius, inquit, ſecretiſſimæ quietiſſimum ſinum ſuper pectus Chriſti Ioannes Euangeliſta diſcubuit, Et mox, quæ prædicando ructaret de fonte Dominici pectoris ſolus bibit, ſed ipſe Dominus ipſum Euangelium pro ſua cuiuſque capacitate, omnibus ſuis bibendum toto terrarum orbe diffudit. Et tractat.* 61. *ſub finem, Hic eſt vtique, inquit, pectoris ſinus, ſapientiæ ſecretum. Mutuatus autem hæc videtur Auguſtinus à B. Ambroſ. qui epiſt.* 2. *ſic ait. Sapientia Dei Chriſtus, in cuius pectore recumbebat Ioannes, vt de principali illo ſecretoq́ ſapientiæ hauſiſſe diuina proderetur myſteria.*

Sed ſi hæc audiret ille] *Sic conſtanter* MS. *pro* hoc: *nam & proximo verſu pluralem numerum habes repetitum.*

Iudicari homines mortuos] *Perperam* iudicare.

à Domino Chriſto mirabilia ſigna ſunt facta] *Pro eo quod erat*, admirabilia & ſigna.

Nunquid dicturi ſumus, quod in libro illo dixi, vbi ſex quibuſdam quæſtionibus] *Ita rectius* MS. *quàm* in libro alio.

quæ facturi eſſent, ſi ad eos viuentes Euangelium perueniret] *Ex* MS. *adiecimus* eos.

Et ſi hoc falſum eſt, non eſt [illegible]ur dicamus] *Pro eo quod prius erat*, Et ſi hoc falſum non eſt, cur dicatur de infantibus.

quod videmus aliis ean[illegible]em habentibus cauſam, non niſi per Dei gratuitam gratiam re[illegible]neratione donari] *Sic manuſcr. pro eo quod erat* quoniam videm[illegible]s, & regenerationem donari; *quanquam*

*quam & vetera excuſa per ablatiuum legebant.*

IN CAP. X.

Quidam diſputator Catholicus non ignobilis hunc Euangelij locum ſic expoſuit] *Quis author hic fuerit, quia nomē eius non expreßit Auguſt. diuinare non poſſumus; nam apud veteres qui nunc extant, non arbitror expoſitionem illam reperiri. Inter Neotericos verò Rupertus abbas Tuitienſis in cap. 11. Matthæi videtur ab ea ſententia non procul recedere, dicens ideò Tyriis & Sidoniis non fuiſſe ſigna talia diuinitùs procurata, quia pœnitentiam acturi fuerint ad temporales tantum pœnas euadendas, non autem æternas, atque ad terrena bona retinenda, non autem ad regnum cælorum conſequendum; eoq́ depulſo metu, exemplo Niniuitarum, rurſus ad priſtinos mores redituros: alioquin eis nec prædicationem, nec ſigna huiuſmodi fuiſſe defutura: quandoquidem Deus omnes homines velit ſaluos fieri. Mirum ergo cur Niniuitis Ionam miſerit, quos vtique præſciebat ad intermiſſa peccata iterum reuerſuros.*

In qua ſententia docti hominis & admodum acuti, quæ ſint adhuc merito requirenda] MS. *duo* merita *legunt, ſed excuſorum lectionem prætulimus.*

quod eos futuros fuiſſe præſciuit] *In excuſis erat*, quod eos iterum infideles futuros fuiſſe præſciuit; *ſed altera eſt* MS. *lectio, & omnino commodior.*

IN CAP. XI.

Ex ore quippe infantium & lactentium] *Perperam* lactantium. *Lactant enim matres aut nutrices, lactent autem infantes.*

in vlla authoritate non habent] *Pro* nulla.

quis cognouit ſenſum Domini] *Sic* MS. *cum veteribus excuſis, pro* cognoſcit.

IN CAP. XII.

Conficitur itaque gratiam Dei] *In quibuſdam erat* Confiteamur itaque; *quod annotauit & Amorbachius.*

quia nulli peccato ſicut putant, tenentur obnoxij] *Ita conſtanter* MS. *pro* nullo peccato.

Quod aduerſus eoſdem Pelagianos dicere ſolemus] *Ita eis reſpondet lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 6.*

qui dicunt fatum eſſe vbi meritum non eſt] *manuſcr. legunt* fatum eſt.

Si enim quando libros De libero arbitrio laicus cœpi, preſbyter explicaui] *In excuſis erat* laicus Romæ cœpi, & in Africa presbyter explicaui; *ſed quæ hic adduntur, videntur ex libris Retractationum huc eſſe tranſlata, nam in nullis leguntur* MS.

& de renaſcentiū liberatione dubitarē] *Perperā* naſcentium.

nemo vt opinor, eſſet tam iniuſtus atque inuidus] *Ita commodius* MS. *quàm* eſt tam iniuſtus.

quoniam quod ſcriptum eſt] *Ita rectè tria* MS. *pro* quoniam quidem ſcriptum eſt, *reſpondet enim quod paulò poſt ſequitur,* aliter rectè intelligi non poteſt; *quod ipſum perturbatè in excuſis nouæ periodi erat ini[...] [...]nim alter ille error exortus.*

ſine vl[...] ſuo originali propriòve peccato] *Ex manuſcr. adiecimus* ſuo.

V[...]e chariſſimi quàm ſit abſurdum] MS. *conſtanter legunt,* Videtis enim chariſſimi.

in quo omnes cecidimus] *Mendosè* credimus.

qui eum paululum in hac vita non tenuit vt daretur] *Sic* MS. *pro eo quod erat,* qui eum paruulum.

Quid eſt, quod aliquando paruulis infidelium filiis potuit] *Perperam* Quid etiam quod, *ſic enim & initio capitis ſequentis,* Quid eſt quod morituro.

IN CAP. XIII.

Iam verò quoniā de dono perſeuerantiæ nunc agimus] *Non rectè,* De bono perſeuerantiæ. *qua de re diximus aliquid ad libri huius initium.*

Qui autem nolunt dicere] *Deprauatè excuſa* volunt.

ſi antequā laberētur hinc exiſſent] *In excuſis erat* hinc eſſent.

vnde idem qui hoc ait, item dicit Ambroſius] *Pro eo quod erat,* vnde idem qui hoc agit, idem dicit Ambroſius.

Hoc vtique vt diceret] MS. *legunt,* Hoc itaque.

Quod ergo in ſacramētis fidelium dicitur, vt ſurſum cor habeamus ad Dominum, munus eſt Domini; de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere à ſacerdote poſt hāc vocem quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum & iuſtum eſſe reſpondent] *Hinc ſacri Canonis Miſſæ vetuſtatem agnoſcimus, ad cuius præfationem verba hæc pertinē[t q]uæ hic ab Auguſtino recitantur. Meminit eorum & alibi non ſemel, v. lib. De dono viduitatis, cap. 16. Illud, inquit, quod inter ſacra myſteria, cor habere ſurſum iubemur, ipſo adiuuante id valemus, quo iubente admon[e]mur: & ideò ſequitur, vt de hoc tanto bono ſurſum leuati cordis, non [n]obis gloriam quaſi noſtrarum virium tri[b]uamus, ſed Domino Deo no[ſt]ro gratias agamus: Hoc enim continuò commonemur, quia hoc dignum eſt, hoc iuſtum eſt recordari. epiſtola 156. Anima Chriſtiana, inquit, non fruſtrà audiat, Surſum cor, nec fruſtra reſpondeat, ſe habere ad Dominum. Et ſerm. 29. De verbis Domini: Omnino non fruſtrà audiamus ſurſum cor. Sic lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 4. & lib. 14. cap. 13. Rurſus in Pſalm. 85. Lib. De vera religione cap. 3. ſerm. 44. De tempore. Cyprianus quoq; in orationem Dominicam. Chryſoſtomus hom. De Eucharistia, & homil. 22. in epiſt. ad Hebræos. Cæterùm in ſuperioribus illis Auguſtini verbis excuſa legebant* vt ſurſum corda habeamus ad Dominum; *ſed* MS. *conſtanter ſingularem numerum habebant* ſurſum cor; *quomodo ſcriptum eſt in reliquis illis eiuſdem authoris locis quæ paulò antè produximus, ſaltem quinque numero: vt ſimile mendum eſſe exiſtimem in tribus aliis poſterioribus eiuſdem locis. Quanquam Cyprianus & Chryſoſtomus cum Eccleſiaſtico nunc vſu conſentiunt.*

IN CAP. XIIII.

Creditis in Deum, & in me credite] *Perperam* Credite in Deum, *altera eſt enim & Græcorum lectio, quæ & infrà eodem hoc capite repetitur: ſimiliterq́ refertur in Comment. ſuper Ioan. tract. 67.*

quia iterum dixit Eſaias] *Sic* MS. *& Græca, pro* dicit.

vt non videant oculis] *Ita & hic* MS. *conſentientibus Græcis.*

& induratis cor lapideum vellet auferre] *Perperam* vellent.

Oportet ſemper orare] *Pro* oportere.

Quia vobis, inquit, datum eſt noſſe myſterium] *Mendosè* datum eſſe.

in nullo gloriandum eſt, quando noſtrum nihil ſit] *Pro* eſt, *ſic enim & Cyprianus.*

omni Chriſtiano confitente præſciuit] *In excuſis erat non rectè* confitendum.

& in ſancta obedientia vſque ad paſſionem pro Chriſto perſeuerantiſſimè vixit] *Plus vehementiæ habet* MS. *hæc lectio quàm excuſorum* perſeueranter.

quam ſe daturum quoniam præſciuit Deus] *In excuſis deerat* quoniam.

& cùm Apoſtolus ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur, Vellem, inquit, omnes homines eſſe ſicut meipſum; ſed vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic. Vbi ſatis oſtendit non tantum continentiā donum Dei eſſe, ſed coniugatorum etiam caſtitatem] *Non ſentit Auguſt. Apoſtolum Paulum in negotio matrimonij caſtè verſatum fuiſſe, aut omnino etiam vxorem habuiſſe: nam quod ait,* cùm ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur; *non eſt ad id referendum quod ſequitur,* Vellem, inquit, omnes homines eſſe, ſicut meipſum, *tanquam ſenſus ſit, Optarim omnes coniugatos in tam pudicè vxoribus vti quàm ego facio; ſed ad ea quæ ibidem in Apoſtolo antecedunt, Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir, &c. Coniugatorum autem caſtitatem Dei donum eſſe ſignificat Apoſtolus illis verbis,* Sed vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic. *Nam alioqui de Apoſtoli Pauli continētia, clariſſima & euidentiſſima eſt Auguſtini ſententia, De gratia & libero arbit. cap. 4. De ipſa quoque, inquit, pudicitia coniugali nempe Apoſtolus ait, Quod vult faciat, non peccat, ſi nubat: & tamen hoc etiam Dei donum eſt, dicente ſcriptura. A Domino iungitur mulier viro. Ideò doctor gentium & pudicitiam coniugalem, per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, ſuo ſermone commendans, & hoc & illud Dei donum eſſe demonſtrauit, admonens coniuges ne ſe inuicem fraudent. Quòd cum admonuiſſet, adiecit,* Vellem autem omnes homines eſſe ſicut meipſum: quia vtique ipſe ab omni concubitu continebat. *Et continuò ſubiunxit, Sed vnuſquiſq; proprium habet donum à Deo; alius quidem ſic; alius autem ſic. Neq; verò continentem modò, ſed & cælibem fuiſſe Apoſtolum; vt non tātum vxore ſua non amplius vteretur, ſed ne habuerit quidem vnquam, adeoq́; & virgo fuerit apertè teſtatur Auguſt. epiſt. 143. ad Iulianam, de ipſa quoque ſacra; inquit, continentia virginali, quòd non ſit ſibi ex ſeipſa, ſed ſit Dei donum, quamuis credenti volentiq́ collatum, eundem audiat veracem piumq́ doctorem, qui cùm hinc ageret ait, Vellem omnes eſſe ſicut meipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Audiat etiam ipſum, non tantum ſuum, ſed vniuerſæ Eccleſiæ vnicum ſponſum, [d]e tali caſtitate atque integritate dicentem, Non omnes capiunt verb[um] hoc, ſed quibus datum eſt, &c. Cæterùm virginem fuiſſe Paulum Ap[oſt]olum docent etiam Hilarius in Pſal. 127. Ambroſius in exhortatione ad virgines: Commentarius etiam eidem inſcriptus in 1 Cor. cap. 7. Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. Nec alia eſſe videtur Tertulliani ſententia in vtroque libro ad vxorem non ita procul ab exordio. Similiter & Epiphanius hæreſi Valeſianorum quæ eſt numero 58. Item Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in cap. 4. ad Philippenſes. Sunt qui connumerent & Chryſoſt. in eundem locum, ſed nihil ibi aliud quàm reijcit eorum ſententiam* qui com-



*qui comparem cuius ibi Paulus meminit, vxorem eius eſſe volunt. Propius ad rem facere videtur locus quidam lib. De virginitate cap. 36. ſed manifeſta eſt eius ſententia lib. eiuſdem cap. 82. vbi cùm Ioannem baptiſtam & euangeliſtam in virginum numerum retuliſſet, inter continentes Petro coniungit Apoſt. Paulum. Vxorem autem aliquando habuiſſe Paulum citrà controuerſiam ſenſit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, quem eius locum citauit & Euſebius lib. 3. cap. 24. ſecundum editionem Chriſtophorſoni. Idem habet Ignatij etiam martyris epiſtola ad Philadelphienſes: ſed vetera exemplaria non legunt ibi nomen Pauli, neque additum habent Vaticana, quod ex viro fide digno intellexi.*

Ac per hoc ſicut exhortatur & prædicat rectè, ſed ille qui accepit hoc donum; ita exhortantem rectè atque prædicantē profecto ille obedienter audit qui accepit hoc donum] *Pro* accepit, *quod priore loco legitur, deprauatè in excuſis legebatur* incipit. *In iiſdem deerat poſterius illud* rectè. MS. *lectio extat & apud Bedam in collectaneis eius ſuper cap. 7. prioris epiſt. ad Corinthios.*

qui carnis aures apertas haberent] *Ita conſtanter* MS. *pro* carnales. *Conſentit & Beda in collectaneis ibidem.*

IN CAP. XV.

Iſta cùm dicuntur, ita nos à confitenda Dei vera gratia] *In excuſis aberat* vera, *quod in ſequente explicatione vrget tamen Auguſtinus. Pro* dicuntur *autem erat minus rectè* dicunt.

& à confitenda ſecundum eam prædeſtinatione ſanctorum] *Deprauatè excuſa* prædeſtinationem.

Nunquid ergo propter huiuſmodi cauſas] MS. *tria,* animas *legunt.*

IN CAP. XVI.

profecto qui ex ſeipſo hanc ſe habere putat] *In excuſis erat contrario ſenſu,* ex ipſo.

Cauendum eſt igitur, ne dum timemus ne tepeſcat hortatio] *In excuſis deerat poſterius* ne.

Quod tamen & paruulis non tacetur & grandibus, nec paruulis occultatur à grandibus] *Sic rectè* MS. *pro eo quod erat in impreßis,* Quod tamen & paruulis non tacetur, & nec grandibus nec paruulis occultatur.

quemadmodum eam ſancta ſcriptura euidenter eloquitur] *Ita commodius* MS. *quàm* loquitur.

Ideò vtique, ne non gratis dari credatur gratia] *Ex* MS. *adiecimus* non.

IN CAP. XVII.

id omnino, nec aliud quicquam eſt prædeſtinare] *Redundat quod in excuſis addebatur* niſi.

quoniam Dei dono, ſe audit futurum eſſe quod quærit] *Ita rectè* MS. *duo, pro* quod erit.

neque ad hæc habēda atq; retinenda] *Perperam* continenda.

cùm ab illo impetrantur credentis fide] *Plurali non ſingulari numero.*

ſi & ipſa quod verum eſt, eſſe Dei dona] *In excuſis erat,* ſi & ipſa opera, *ſed redundat illud* opera, *nec legunt* MS. *Loquitur enim de fide & perſeuerantia, vt liquet ex verſu proximè antecedente.*

in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit] *Mendosè* in illo gloriandum.

certè vt de continentia taceamus] *Pro* vt, *erat in excuſis* &.

quæ fidem quoque ipſam, & in ea permanſionem, dona Dei eſſe commendat] *Ita commodius* MS. *quàm* donum.

atque exhortandos eſſe homines confitentur] *Perperam* exhortandos ſe homines.

ſiue ad fidem ſiue ad perſeuerantiam vſque in finem] *Mendosè* ſiue ad finem.

At enim, vitio ſuo quiſque deſerit fidem] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat,* At enim, quod vitio ſuo quiſque deſerat fidem.

Maledictus omnis qui ſpem habet in homine] *Ita conſtanter* MS. *pro* ponit. *conſentiunt & 70. ſimiliter legis & infrà cap. 22.*

Hæc vtique dona Dei] MS. *omnia* itaque *legunt.*

IN CAP. XVIII.

Anne ſcitis in Helia quid dicit ſcriptura] *Pro* dicat. MS. *conſentiunt & Græca.*

IN CAP. [X]IX.

id eſt, vt & gratiam Dei gratuita[m] ſicut credenda atq; prædicanda eſt, per omnia credant & [p]er omnia prædicent] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat,* per omnia credentes, per omnia prædicent. *Aberat quoque prior copula* &.

non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum & noſtræ cogitationes] *Excuſa per infinitiuum efferebant, ſed rectius & ſuperioribus conuenientius ipſa Ambroſij verba recitantur, quæ eſt* MS. *omnium lectio.*

Quid & corripitis, ſi nihil boni habeamus, quod ſit noſtrū] *Ad epitaſin facit copula &, quare eam ex* MS. *adiecimus. Non placet autem quod legunt* ſi nihil boni vt habeamus eſt noſtrum. *Alludit enim ad ſuperiora Cypriani verba.*

intelligebant pauciſſimis eſſe donatum, vt nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum vel per angelos cælorū doctrinam ſalutis accipiant] *Plura ſcribit hac de re Auguſtinus præfatione in libros De doctrina Chriſtiana.*

quàm nulla merita humana præcedūt] *Perperam* procedunt.

Viſum eſt & mihi] *Copulam addebant* MS. *omnia: legit & Ambroſius & Græca.*

Simul diſce, inquit, quia recipi noluit ab iis quos ſciebat non ſimplici mente conuerſos] *Sic Ambroſius; pro eo quod erat,* quia recipere noluit non ſimplici mente conuerſos.

Cur autem non receperint eum] *Pro* receperunt.

quid euidentius, quid illuſtrius] *Mendosè* quid iuſtius.

Vnius deitatis quæſo vos confitemini trinitatem] *Obſcura eſt hæc verſio qua vſus eſt Auguſtinus: clarius autem ſic reddidit D. Billius:* Trinitatem viri boni vnius diuinitatis eſſe fateamini, aut ſi magis placet vnius naturæ; atque hanc vocem, Deus, à Spiritu vobis poſtulabimus. Dabit enim profecto ſecūdum qui primum dedit. *Ex quibus verbis intelligimus non rectè Auguſtinum legiſſe, ſeu interpretis ſeu codicis vitio,* deprecabitur, *pro* deprecabimur, *ſic enim habent & Græca, & vetus noſter interpres. Quod autem ſequitur apud Auguſtinum,* id eſt rogabitur Deus vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis confiteri poſſitis: *& paulò poſt,* qui dedit credere, dabit & confiteri; *vel interpres vel Auguſtinus explicandi cauſa, de ſuo addidit.*

& velimus illud vt honoremus Deum] *Redundat vocula* quod, *quam hic addebant excuſa.*

Porro ſi hæc ita Deum nouerant dare] *Perperam* mouerant.

nolite nobis iſtam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ vt nos faciamus hortamini] *Sic* MS. *tria conſentiente Barth. Grauio, pro eo quod erat,* quàm Deum dare fatemur, quam & nos vt faciamus hortamini.

IN CAP. XX.

Certè qui non accepit reiiciat] *Ita commodius* MS. *duo, quàm* accipit: *præcedit enim,* Quis autem habet, ſi non accepit.

futuram neſcientes Pelagianam hæreſim cædebamus, prædicando gratiam qua nos Deus liberat] *Ita locum hunc e[x]* MS. *reſtituimus, legebant autem excuſa,* futuram neſciētes Pelagianam hæreſim, credebamus prædicando gratiam, qua nos Deus liberat.

penè cum eo qui illa commemorauerat litigauit] *Ita commodius quàm* commemorabat.

vt oſtenderem me fidelibus & quotidianis matris meæ lachrimis ne perirem fuiſſe conceſſum] *Mendosè* confeſſum.

Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones; contra quas diligen[tius defen]deretur ſcriptura diuina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret] *Quātum boni per occaſionem hæreſeon Eccleſiæ ſuæ Deus procuret variis præterea locis tradit Auguſtinus; vt in Pſal. 54. De vera relig. cap. 8. Lib[...] [d]e Geneſi contra Manich. cap. 1. lib. 7. confeſſ. cap. 19. Lib. 16. De ciuit. Dei, cap. 2. & lib. 18. cap. 5. Epiſt. 50. paulò poſt initium, & epiſtola 105. ſub finem.*

IN CAP. XXI.

vt eo cætera Dei dona mereamur accipere] *Perperam* ea.

Sed ita hoc nunc dixi, vt non ante me nemo dixerit] *Ita rectè excuſa, pro eo quod erat,* Sed ita hæc non dixi vt ante me nemo dixerit.

remāſerit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari] *Pro* quod vocetur.

niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit] *Alteram præpoſitionem ex conſenſu* MS. *adiecimus.*

qua miſericordiam conſecutus eſt vt fidelis eſſet] MS. *duo legunt* quia miſericordiam, *quomodo paulò poſt & cætera, vbi eſt,* qua miſericordiam conſequitur. *Vtraque lectio commodum ſenſum habet.*

IN CAP. XXII.

vt legitimè curreretis] *Sic* MS. *omnia, pro* curratis.

cæteris facere videamur iniuriam] *Ita rectius cum* MS. *omnibus, quàm* facere iudicamur.

accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiātur electi] *Redundat infinitiuus* eſſe, *quem a[ddeba]nt excuſa, in quibus erat* qua velint eſſe: *neque enim voluntas ad electionem refertur (quis enim non velit eſſe electus) ſed ad fidem, ad pietatem & viam Domini, vt ex præcedentibus & ſequentibus lique[t]. Scio aliquāto poſt capitis huius initium verba iſta legi,* accipient eandem gratiam, qua electi velint eſſe &



ſint:

ſint: *ſed eadem poſtea repetens ſecus loquitur*, accipietis, *inquit*, can- A dem gratiam quà velitis & ſitis electi.

ſubtrahentur obediendi vires, vt obedire ceſſetis] *Datiuus* vobis, *quem hic addebant impreſſa, nulla legunt* MS. *neque Proſper ipſe libro, quem tertium habes in Appendice, titulo ad excerpta Genuenſium, cap. 7. vbi locus hic recitatur, imò nec ipſa paulò pòſt excuſa.*

Vt paulò antè à me dictum eſt] *Illud* à me, *conſtanter legebant manuſcr.*

Si qui obeditis] *Pro* obauditis, *ſic enim & MS. omnia & in formula reprobata, quæ partim antecedit, partim ſequitur.*

ſed ſi qui obediunt] *Ita rectè* MS. *pro eo quod erat*, ſed qui obaudiunt.

quaſi in audientium frontem compellando colliditur] *Perperam* compellendo: *reſpicit enim ad elocutionem per ſecundam perſonam qua præſentes compellabantur.*

& cætera per verbi perſonam tertiam] *Redundat verbum* di- B cantur, *quod hic addebant excuſa, facillimè enim ex præcedentibus repetitur.*

Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine] *Supereſt vocula* homo, *quam legunt impreſſa, neque enim eſt vel in* MS. *vel apud Septuaginta.*

Hanc ſpem tenentes] *Ita commodius* MS. *quàm* Et hanc ſpem; *tametſi ita legat & Proſper ad excerpta Genuenſium cap. 7.*

Quoniam de vita æterna, quam filiis promiſſionis promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi conſummata fuerit iſta vita] *Secus noſtri temporis hæretici, docentes debere quemque credere certò ſe ad vitam æternam peruenturum. Qua ſecuritate nihil vtique peſtilentius. Cæterùm in excuſis erat,* niſi cùm conſummata fuerit; *ſed aduerbium illud temporis non legunt nec* MS. *nec ipſe Proſper loco iam ſemel iterumq́ue citato.*

IN CAP. XXIII.

etſi aliquando in ſermonibus exerendam nullo vrgente ad- C uerſario non putauit] *Vocula* non, *deerat in excuſis.*

Nam ſi hæc ab ipſo quidem poſcit eccleſia; ſed à ſeipſa ſibi dari putat] *Perperam* à ſeipſo.

Et hic quid eſt, clamantem, niſi clamare facientem] *Ita rectè* MS. *pro*, Et hoc.

& hoc eſſe dicunt quod gratia præceditur merito noſtro, vt ſequatur illa] *Pro eo quod erat*, & hoc eſſe dicunt quò gratia prædicetur merito noſtro. *Quam lectionem poſtulat & ipſa ſententia, leguntq́ue conſtanter* MS. Præceditur *autem dixit pro anteuertitur.*

Quod vidit & beatus Ambroſius] *Ex* MS. *adiecimus copulatiuam &. Locus autem iſte Ambroſij prolatus eſt ex eius Commentariis ſuper Eſaiam, qui liber iam non extat: citatur autem eadem ſententia hoc titulo lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 11.*

nec ab illo eſſe præcognita vnquam ei negare fas fuit] *Sic rectè* MS. *pro* nec ab illo ſemper cognita.

IN CAP. XXIIII.

& incipere in Dominum credere] *Ita malim cùm* MS. *quodam, quàm* in Domino.

vt qui obedienter hæc audit, non in homine, ac per hoc nec in ſeipſo, ſed in Domino glorietur] *Planior eſt* MS. *hæc lectio, quàm excuſorum*, ac per hoc vt non in ſeipſo.

& hoc præceptum obedienter audire] *Ex* MS. *adiecimus* & hoc præceptum.

Hoc Pelagiani, optamus, vt habeant, iſti autem noſtri vt plenius habeant] *Ita ſimplicius* MS. *quàm impreſſa quæ per datiuos efferebant*, Hoc Pelagianis optamus vt habeant, iſtis autem noſtris vt plenius habeant.

Oremus dilectiſſimi, oremus, vt Deus gratiæ det etiam inimicis noſtris, maximéque fratribus & dilectoribus noſtris, intelligere & confiteri] *Perperam* vt Deus gratiam det: *Verbum enim illud donandi refertur ad id quod ſequitur* intelligere & confiteri.

quæ omnia tria falſa & vana hæreticorum Apollinariſtarum, tres partes varias diuerſaſque fecerunt] *Ex manuſcr. adiecimus voculam* tria.

nec eius humanitatem qua minor eſt patre] MS. *conſtanter legunt* qua maior eſt pater. *ſed excuſorum lectio quadrat aptiùs ei quod ſequitur*, qua æqualis eſt patri.

minuere aliquid eius diuinitatem] MS. *omnia* diuinitati *habent; ſi cui fortaſſe hoc magis arridet.*

Et illum ergo & nos prædeſtinauit, quia & in illo vt eſſet] *In excuſis deerat poſtrema hæc copula.*

à cuius facie eſt ſcientia & intellectus] *Locus eſt Prouerb. 2. iuxta 70. pro quo nos legimus, ex ore eius prudentia & ſcientia.*

ANNOTATIONVM IN LIBROS DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM ET DONO PERSEVERANTIÆ FINIS.

## ERRATA SIC CORRIGE.

Col. 41. *verſ.* 33. *pro* baptiſma, *reponatur* baptiſmum.
Col. 134. *verſu* 6. *à fine, diſpungatur* Auxentio. *&* *ex* Arriano, *fiat* Arrianis.
Col. 156. *verſ.* 3. *deleantur hæc verba* tractoria, (ſic enim & aliis locis legendum, *deleatúrque nota quæ parentheſim claudi ſignificat.*